





Fabbricii.
Amoenitat.
Theologicæ
1699.
7
II
6
346









Nobilissimo ac litteratissimo viro,
ANTONIO MAGLIABECHIO,
Ser.mo Magno Hetruriae Duci a Consiliis et Bibliotheca, Polyhistori famigeratissimo, librum hunc dono mittit
Auctor.

JOHANNIS FABRICII
D. & Prof. in Acad. Julia
ordinarii

AMOENITATES THEOLOGICÆ

varii
& ſelecti argumenti.

Opus tam ſacra, quam alia ſtudia tractantibus, nec non peregre abeuntibus haud inutile.

In quo
quid præſtitum ſit,
docebit Præfatio.
Syllabus autem materiarum, quæ tractantur, in averſa hujus folii parte exhibetur.





HELMESTADII,
Apud Georg. Wolffgangum Hammium,
Acad. Typographum.
M D CIC.

In hoc volumine continentur

DISSERTATIONES IX.

I. *De Denario S. Petri.*
II. *De Erroribus pictorum contra historiam sacram.*
III. *De Prudentia ecclesiastica.*
IV. *De Religionis ob temporale commodum mutatione.*
V. *De Moderatione theologica.*
VI. *De Scylla theologica.*
VII. *De Theologia eclectica.*
IIX. *De Ecclesiis domesticis.*
IX. *De Paradoxis theologicis.*

ORATIONES IV.

I. *De Vtilitate itineris Italici.*
II. *Valedictoria, Altorfii habita.*
III. *De Vtilitate itineris Germanici, Belgici & Gallici.*
IV. *De Pietate & prudentia Divi JVLII, D. B. & L. in condendis Statutis Theologici in Academia Sua Julia Ordinis.*

Cum justis & necessariis Annotationibus.

Item,

Bulla Cœnæ Domini, qua quotannis in die Cœnæ Domin. excommunicationem peragit Papa Romanus, Latine & Italice.

Programma de Auctoris vita & studiis.

Nobilis-



Nobilissimis & amplissimis Viris,

JOHANNI BEHMIO M. D. J. CHRISTOPH. POMMERO ANDR. INGOLSTÆTTERO

JOHANNES FABRICIVS
Salutem & Felicitatem.

IN dedicandis libris, placet mihi hactenus eorum mos, qui suo se pede metientes, æqualibus & amicis, si quid edendum est, inscribere & consecrare solent; ut ita occasionem habeant, eorum virtutes, & rationem initæ cultæq; cum ipsis amicitiæ, etiam publice commemorandi. Nihil enim suavius est vera & honesta amicitia, nihil etiam, ad alios tali exemplo inflammandos, melius atq; efficacius. Et vestræ quidem virtutes, Viri optimi, quarum causa amare vos cœpi, & non solum in amicitiam, sed & fami-

liaritatem vestram me insinuavi, omnino singulares sunt atq; eximiæ, sive junctim, sive seorsum a me considerentur. Nam, ut abs te dicendi initium faciam, excellentibus Medicis annumerande BEHMI, in pueritia Parentibus orbatus, durisque usus initiis adolescentiæ, eas tamen egregiæ indolis scintillas emisisti, ut prudentiores ad liberalem quandam artem te non ineptum esse judicarent. Posito itaq; binarum linguarum fundamento, tantum in pharmaceutica, cui te illi tradiderant commendaverantque, profecisti, ut non modo heri tui secretiores operationes chemicas tibi inter reliquos ministros soli concrederent, sed magnus etiam *Zwölferus* auctor tibi existeret suasorq;, ut horis subcisivis medicinæ studium tractares: prævidebat enim vir clarissimus, atq; in se ipse expertus fuerat, interdum ex perito pharmacopœo præstantissimum evadere Medicum. Neque ejus consilium eventu caruit. In diebus enim feriatis, quum commilitones lusibus aut compotationibus tempus fallerent, tu, ne te ipse falleres, & spem Patroni illius, libris Medicorum evolvendis operam impendisti, illisq; commilitonibus tuis altum, & in utramvis aurem dormientibus, insomnes sæpe noctes duxisti. Ita factum, ut insi-

insignem tibi comparares in novo studio notitiam, & fiducia profectuum tuorum fretus, Patavium proficiscereris, in nobilissimum scientiarum & elegantiorum literarum, ac præcipue medici studii emporium, ut, quæ tibi deessent, sub celeberrimis illis Machaoniæ artis Professoribus addisceres, donec tandem, perspectis eruditione meritisque tuis, omnium calculis Doctorum, & cum aliorum præstantium virorum, ac studiosæ juventutis applausu, *Doctor* renunciareris. Quam dignitatem adeo decore tuitus es, ut a Præfecto Xenodochii, *facultatem secandi* corpora humana, & *operationibus chirurgicis* manum adhibendi, facile, quanquam raro exemplo, impetrares. His præsidiis instructus, non dubitâsti ad salutaris scientiæ *exercitium* accedere, idq; non in vili aliquo oppido, aut parva urbe, sed in Venetorum metropoli, quæ orbis miraculum est, suscipere. Nec caruit hic conatus felici exoptatoq; successu: nam ut primo, ita & postea multis aliis ægrotis, valetudinem, quam amiserant, optimis remediis, Deo auxiliante, restituisti. Vnde & nomen tuum magis magisque inclaruit, & illustre *Medicorum Collegium*, quod in illo mundi theatro est, albo te suo lubens inseruit, *Summiq; Imperantium*

 Legatus

Legatus tua aliquando opera uti voluit. Quod quamvis in aliis magnam laudis partem possit absolvere, nihil in te tamen, vel parum est, respectu virtutum, quæ in te lucent, ut sidera in cœlo, suntq́; Probitas, Integritas, Constantia. Quarum quidem ipse fui observator & admirator per plusculum temporis spatium, quando convictu mihi frui tuo licuit, & amicitiæ munus ita explere, ut nunquam tecum redierim in gratiam. Sed, ne quid auribus dare videar, prætereo cætera, quæ omnino etiam celebranda essent, atq́; ad te me converto, nobilissime POMMERE, qui sub eodem cœlo vivis, & in eadem æternæ Reipublicæ civitate virtutes dotesq́; tuas exseris. Neque illæ meo indigent encomio, quum ab omnibus, qui te nôrunt, laudentur. Nôrunt autem cum inter Venetos plurimi, tum etiam multi exteri, quod, postquam fidelem in re mercatoria operam præstitisti, ejusq́ue causa itinera fecisti per Germaniam, Belgium & Italiam, in Apuliam & Calabriam usq́ue, (quo alii non facile pertingunt, quasi via ad Brundusium esset interclusa) adeo tibi faventem DEUM fuisse, ut negotiationem, a tenuibus valde initiis, per te ad summum perduceret, nemine, quod mirum, invidente,

dente, quum ſingularis humanitas tua omnium animos lucraretur, tibiq́ue obnoxios redderet. Cui virtuti & multæ aliæ acceſſerunt, atque inprimis Pietas, Candor, Prudentia, Sobrietas, & Liberalitas in pauperes. Atque has remuneratura Divina Providentia, effecit, ut non duntaxat ſplendidum *Conſulis Germanicæ Nationis* officium, quod ambulatorium eſt, tibi conferretur, ſed & perpetuus evaderes inclytæ *Nationis Suecicæ Conſul*, ac tandem etiam Sereniſſimi DVCIS WüRTENBERGICI *Conſiliarius*. Nec dici poteſt, quam facilem nonnemo te repererit cum clariſſimo BEHMIO, ad liberalitatem erga Lyceum Altorfinum, in quo tunc docebat, exercendam. Simul enim ac vobis expoſuit propoſitum ſuum de donatione aliqua ad pios uſus illi ſtudiorum Vniverſitati, in qua primum lucem adſpexit, facienda, gratumq́ue ſibi fore, ſi & vos ſymbolam conferre veſtram, ſodalitiumq́ue in tam ſancto propoſito ſecum inire velletis, non tantum promtiſſimi ſtatim fuiſtis, omnemq́ue rei ordinandæ curam ei permiſiſtis, ſed & conſenſiſtis lubentiſſime, ut ante ſuum aliam in Academiam abitum, almæ Altorfianæ, communi trium nomine, M. floreni

ſcriberentur. Sed ſimilem, ac majorem etiam dicendi materiam tu mihi ſuppeditas, amplisſime INGOLSTÆTTERE, qui Deo duce, & dexteritate tua comite, in honorabilem evaſiſti virum, quem domeſtici & exteri laudant & admirantur. Placuit enim DEO O. M. opulentiam & benignitatem in te ſuam demonſtrare, tuisq́ue negotiis, quibus religionis & precum ſtudium, ſcientiam & ejus uſum, integritatem & circumſpectionem, aſſiduumq́ue laborem & operam indeſinenter jungebas, usq́ue adeo benedicere, ut gaudere & gratulari tibi hoc nomine, tandemq́ue, miſſo negotiorum æſtu, fortunas tuas in portum ſubducere potueris. Quando autem in illo vitæ genere adhuc verſabaris, non ei ſoli vacâſti, ſed magnam temporis partem impendiſti legendis variarum linguarum, ut Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Belgicæ & Anglicanæ, (omnes enim illas, quod notorium eſt, tibi familiares reddidiſti) ſcriptis ſelectioribus, aliquam etiam interdum pangendis carminibus: atque in hiſce adeo felicem te comprobâſti, ut vel optimi Poëtæ ea ſummopere laudarent, honeſtisſimumq́ue in ſocietate ſua locum tibi ultro offerrent & concederent. Vt alios fœcundæ

cundæ

cundæ tuæ venæ bellulos partus prætercam, quid nervosius & elegantius pariter esse potest illis strophis, queis (*) seriem & ordinem atque officium astrorum cœlestium mira suavique brevitate complexus es? Non jam inquiram, unde tibi judicii illam vim, ac prudentiam illam singularem, postquam a studiis academicis ad mercaturæ negotia te contulisti, acquisiveris; sed hoc tantum liceat mihi dicere, quod tota fatetur Noriberga, te non minus de civilibus, quam mercatoriis rebus optime judicare. Vnde & lites privatorum, & abstrusiora, sæpe ad te, tanquam virum sapientem, deferuntur, ut illas componas, hæc autem enodes & explices. Quod quidem alioquin etiam spectat ad spectatissimum *Præfecturæ fori mercatorii* officium, quod meritis tuis collatum est, & juxta cum tribus optimis Collegis decore a te geritur. Sæpe fit, ut, qui bono præditus est ingenio, & judicio pollet, animi tamen sensa non satis feliciter sciat promere, & quando loquendum, præcipue coram conspicuis viris, scribendumve, tunc ei aqua hæreat, aut cœlum terræ misceat. Ast te benignissimum Numen tantis instruxit dotibus, ut non modo in-

(*) Strophæ istæ sub finem hujus libri exhibentur, e quibus sane præstantia Poëtæ, tanquam leo ex ungue, cognosci potest.

tricata ſecernere, ſuo quæque loco ponere, rerum momenta ponderare, deque diverſis diverſimode judicare, ſed & tali ſermone & ſtylo ſententiam tuam proferre valeas, ut eo nihil ſit acceptius, nihilque gratius. Experti hoc ſunt plus una vice perilluſtres viri, ad quorum conſultationes de re monetali, tanquam ejus peritus, faventiſſime vocatus fuiſti. Animi enim tui ſententiam de modo extirpandæ improbæ ac adulteratæ monetæ dicere juſſus, tam expedite & tam eloquenter eam ſignificâſti, ut ipſi excellentiſſimi Legati, qui rerum peritiam, judicii robur, & ſermonis ornatum, indefeſſo ſtudio, multoque uſu ſibi conciliârunt, præclara & rariſſima iſta ornamenta tua tacite admirarentur, teque eorum cauſa & amare & æſtimare occiperent. Sicuti autem gloria virtutem ſequitur, ita meritis tuis ſua non defuére præmia. Etenim MAGISTRATVS ille, qui a multis ſeculis ob ſapientiam & munificentiam ſingularem, apud ipſos etiam exteros, ſummopere celebratur, affectus in te ſui oſtendendi cauſa, honoratis te muneribus ornavit, quando ob res præclare geſtas, inter *Executores ſtipendii Crauſiani*, te, ut ingenuorum civium florem ſelectiſſimum, eſſe voluit, tandemque, quod

ſingu-

ſingularis virtutis & ſpectatæ fidei argumentum eſt certiſſimum, ex IIX. *regionibus elegantisſimæ urbis*, in qua binas domus habes & ampliſſimas & nitidiſſimas, unam tuæ concredidit integritati, tuæque curæ, atq; ita ampliſſimo ordini, in quo graviſſimi Senatores ac bene meriti Patricii conſpiciuntur, ſingulari plane exemplo, te aſſociavit atq; adſcripſit. In tanto autem opum & honorum affluxu, non avaritiæ indulges, nec criſtas erigis, ſed liberalitati ſtudes & moderationi. Beneficum te præbes non erga pauperes modo, ſed & literatos, literarumque ſtudioſos, nec minus erga exteros, quam cives. Et in dandis ſtudioſæ juventuti beneficiis hac uteris cautione, ut pecuniam quidem ad ſolvendum didactrum lubenter ſuppedites, non autem ad alendam, ſub honorifico ſpeique pleno *Studioſi* nomine, deſidiam vitamq; diſſolutam. Domus tua prytaneum eſt, in quod viri docti & virtutum amantes certatim quaſi involant; nec hebdomas, aut fere dies abit, quin tales convictores habeas; & quamvis, pro modeſtia tua, te ab illis aliquid diſcere velle præ te feras, revera tamen eruditis & piis colloquiis tuis doctiores eos dimittis, ac meliores. Quoties ego, qui minima ſum eruditionem ſectantium por-

 tio,

tio, beneficio hoc abs te mactatus ſum! Immo tandem, quum Altorfio diſceſſiſſem, Helmeſtadium profecturus, me juxta cum familia in ædes tuas recepiſti, lautiſſimeq; per plures dies tractâſti. Neq; mihi tamen vel aliis benignitatem expertis tuam, de redhoſtimento licet cogitare: nam omni alia re potius, quam liberalitate, vinci te pateris. Ita fit, ut & ego & alii æternum tibi devincti maneamus. Neque vero intra hos, quos modo delineavi, terminos ſubſiſtit, ſed ultra progreditur beneficentia tua, eamq́; erga Academiam Altorfinam, cujus, quod ad privilegia attinet, amplificationem omni ſtudio & labore quæſivit magnificus SENATVS Noribergenſis, binis vicibus luculenter atque egregie oſtendiſti. Primo enim *Syſtema mundi Copernicanum*, a celebri Aſtronomo, pictore & ſculptore, G.C. Eimmarto, ex aurichalco affabre confectum, & abs te, communiq́; quondam amico noſtro, Jacobo GRASSELIO, C. aureis ducatis, ſeu CCC. & amplius florenis redemtum, (quod & laudatus artifex cum

præfa-

præfatione doctiſſimi J. C. Sturmii, Latino poſtea deſcripſit idiomate) Vniverſitati illi donâſti; ac deinde, ad perficiendum Ordinem Theologicum, cui facultas creandi Licentiatos & Doctores deerat, ærario fideliſſimæ CÆSARI ſuo Reipublicæ, duriſſimi ac diuturni belli immenſis ſumtibus exhauſto, neceſſarias expenſas ultro tuliſti, & *M. florenos* numerâſti dicam? an profudiſti, vel ſic etiam laudatiſſimæ Reip. bonum civem, celebratiſſimæ vero Academiæ, & cumprimis Theologico Collegio, pium Mæcenatem te exhibens. Ne quid dicam de *novo beneficii genere*, quod ad decus & ſplendorem ejuſdem Athenæi, poſt abitum meum, præſtare voluiſti: id enim aliis deprædicandum relinquo. In quibus omnibus inuſitatis operibus tantum abeſt, ut laudi & gloriæ inhiaveris, ut potius eam apud illos, quibus omnino incumbebat, tanta beneficia encomiis efferre, ſtudioſiſſime deprecatus fueris, quippe qui mavis benefacere, quam ob benefacta laudari ac celebrari. Eximia autem hæc decora veſtra, Viri præ-

ſtantiſ-

ſtantiſſimi, & ſingulares hæ virtutes, quæ in vobis deprehenduntur, & ſimplici ſtylo deſcriptæ, aut potius adumbratæ duntaxat a me fuerunt hactenus, impulerunt me, ut præſens *Exercitationum Academicarum* opus, quod maximam partem in Lyceo patrio, cui tantopere favetis, conceptum & ortum, in hac autem celeberrima Julia multis in locis correctius auctiusque redditum eſt, & cui inedita quædam acceſſerunt, clariſſimis Nominibus veſtris nuncupem atque inſcribam. Illud igitur benevole accipite, & mei erga vos ſtudii, gratiq; animi teſtem publicum ac perpetuum eſſe patimini, dum ego, pro continuatione ſalutis & felicitatis veſtræ, DEUM indeſinenter rogaturus ſum, nec, ut per me detrimenti quid capiat amicitia noſtra, unquam conceſſurus. Valete. Dab. Helmeſtadii in Academia Julia, pridie feſti Paſchalis A. C. 1699.

Præfa-


PRÆFATIO.

EN tibi, *Lector benevole, Exercitationes meas Academicas, quas certis de causis,* Amœnitatum Theologicarum *nomine insignire libuit, easq; multo, quam antea, correctiores & auctiores : ita ut, si cum prioribus conferantur editionibus, novum fere opus videri queant. Accesserunt etiam huic editioni IV.* Orationes, *quarum non nisi prima exstabat impressa, & CCXXIV.* Paradoxa. *Ut autem ab hisce, in alma Julia conscriptis, & XXX. illis, quæ in Academia proposui Altorfina, Centuria Paradoxorum, Jenæ, pro impetrandis honoribus privilegiisq; doctoralibus, a me defensa, dignosci & secerni posset, singula inauguralia ista asterisco notavi, atque in universum CCCLIV. secundum seriem & ordinem Locorum Theologicorum exhibui. Neque etiam operæ peperci, quin* triplicem *conficerem* Indi-

c cem,

cem, videlicet Auctorum, Dictorum Scripturæ, & Rerum: novi enim, quantum ſæpe impedimenti & faſtidii injiciatur Lectoribus, ſi ſcripta, præſertim talia, absque indicibus eduntur. Deprehendes autem, amice Lector, ex horum ſcriptorum evolutione, cupere nos ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, ac moderationis, paciſque eccleſiaſticæ, ut qui maxime, amantes ac ſtudioſos eſſe. Ex his fontibus fluunt, quæ perverſi rerum cenſores neſciò quibus lacunis tribuerent atque adſcriberent. Quos quidem ſuis opinionibus relinquo, tibiq́; & illis largisſimam DEI gratiam ex toto corde adprecor.

Vale.



NOMINA

Eorum, qui Diſſertationes more academico tueri ac defendere laborârunt.

Andr. Arnoldus, Noribergenſis, Chriſtophori filius, ejusq́ue poſtea in ſuggeſtu æque, ac cathedra ſucceſſor, A. de Denario S. Petri, anno 1679.

Bonaventura Krabe, Holſatus, nunc in Dania Eccleſiaſtes, de Erroribus pictorum contra hiſtoriam ſacram. *1684*.

Joh. Juſtin. Arnſchvvanger, Noribergenſis, hoc tempore in æde urbis Laurentiana V. D. M. de Prudentia eccleſiaſtica. 1686.

Matthias Kläckelius, Stiria - Auſtrius, Noribergenſi Miniſterio jam inſertus, de Religionis ob temporale commodum Mutatione. 1688.

Joh. Auguſtus Cæſar, Noribergenſis, tunc Eccleſiæ Raſchenſis Paſtor, & Altorfinæ Vicarius, nunc Paſtor Farrenbacenſis, de Moderatione theologica. 1690.

M. Joh. Kelpius, Dalia-Tranſylvanus Saxo, A. de Scylla theologica. 1690.

Caſparus Gipſer, Noribergenſis, de Theologia eclectica. 1695.

Justus Jacob. Mayr, Noribergensis, de Ecclesiis domesticis. 1697.

Georg. Christoph. Schultheis, Noribergensis, 1695.

Joh. Henr. Metze, Halberstadiensis, &

Georg. Engelbert. Büschius, Frisius Orientalis, A. 1698. de Paradoxis theologicis.





DISSERTATIO I.
DE
DENARIO S. PETRI.
SECTIO PRIOR.

SVb initium cœpti nostri, cui DEVM adesse cupimus, venit in mentem ea res, quam sapientissimus scriptor Thuanus lib. CVI. non sine quadam animadversione refert: *Tum literatus Mendoza, Orator Hispanicus, meditatam orationem scholastico apparatu pronunciavit, in septem tractatus & unicum corollarium distinctam. — Prudentiores risu exceperunt, plures indignati.* Nemo vero quisquam nobis id vitio verterit, si nostro negotio intenti, membra articulatim dividamus, remotiores aliquanto a divino illo persuasionis genere, quando oranda caussa non est. Hæc igitur stat sententia. Partiemur operam hanc bifariam, cujus prior sectio, historica maxime, recensebit singula, quæ ad Denarium S. Petri in Anglia attinent, additis statim iis, quæ in Regnis terrisve aliis paria aut similia evenerunt. Porro accedent caussæ, propter quas Illustrissimi Principesque viri obtulerunt se suaque Ec-

clesiæ. De Petri Romano itinere cura nostrã erit ultima. Age, aggredimur bono omine, quod ratio postulat.

CAP. I.

De Denariis, & particulatim de Denario S. Petri in Anglia.

I. § NON *abs re fore arbitramur, initio denariorum varietatem recensere, ut omnia deinceps rectius sibi conveniant.*

Commodissime Varro lib. IV. de L. L. *Denarii, quod denos æris valebant.* Quantumvis enim denarius fuerit aliquando sexdecim assium, ut sestertius assium quatuor; tamen a denus esse flexum, non male asseritur. Testium plus & abunde est. Festus: *Deni asses, singuli pondo libras efficiebant denarium, ab hoc ipso dictum.* Plinius: *Argentum signatum est A. V.* DLXXXV. (alii ex Livio legunt CCCCLXXXIV. Budæus de Asse CCCCLXXIIX.) *& placuit denarius pro decem libris æris, quinarius pro quinq;, sestertius pro dupondio & semisse.* Plutarchus in vita Camilli: Ἀσσάριον γὰρ ἦν τὸ ἀργύριον, καὶ δεκάχαλκον. οὕτως ἐκαλεῖτο δηνάριον. Fatentur Veteres omnes, bigatorum quadrigatorumque nomen accepisse denarios a bigis & quadrigis, prima illa nota, cum charactere X. Imo Tacitus de Morib. Vet. Germ. serratos his annumerat. Quæcunque vero de denario dici possunt, comprehendisse videtur eruditissimus Joh. Gravius, Astronomiæ Professor Oxoniensis, libello plane docto, & scripto Anglice, (*A Discourse of the Romane Foot and Denarius*) de quo illud Ciceronis dixeris: *est quidem non magnus, verum aureolus*: cujus titulum nuncupavit Discursum de Pede Romano & Denario, duobus veluti principiis mensura-

rum

rum ponderumque apud Veteres. Sic ſe res habet. Dupli-ci, ait, ratione denarius, perinde ac drachma Græcorum, conſiderari poteſt; ſive, ut eſt pondus, ſive, ut nummus eſt. Ponderis gravitas notanda; pretium in civilibus obſervari meretur. Audite, quæ ad Rempublicam apprime pertinent, ex Plinio Lib. 33. cap. 3. *Poſtea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo Dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium XVI. aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis: Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt. In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro X. aſſibus datus. — Mox lege Papiria ſemiunciales aſſes facti. Livius Druſus in Tribunatu plebis, octavam partem æris argento admiſcuit.* Denarios Conſulares, præcipue Conſulum poſt bellum Punicum II. & Cæſareos, ponderum illa principia, præterire jubet neceſſitas. Hoc addendum eſt, non minus numerum XVI. quam X. repertu dari in quibusdam talibus nummis; ſed intra hos terminos continuiſſe ſe denarium, non dubitant Eruditi, quando nec nummus extat in contrarium, nec autoritas ſcriptoris priſci aliud ſuadet. De drachma Attica, quæ ejusdem pretii eſt cum denario, ſi Plinium *lib. 21. cap. 24.* ſequimur, argumenta petere non licet, ut XII. aſſes denarii evincas, quod ſingularis doctrinæ, maximique ingenii vir, H. Savilius ſub finem Taciti oſtendit. Primis temporibus Germanici denarii pretium ſtetiſſe ad rationem denarii Romani, cenſet V. Cl. Paulus Hachenbergius, Germ. Mediæ Diſſert. X. De Judæorum Magiſtris conſtat, eandem vocem & ipſos adhibuiſſe. Sic Moſes Gerundenſis in Exodum, Chaldæus II. Regg. V, 5. Elias Levita in Thisbite, voce דינר, Cohen de Lara in עיר דויד ſive de Convenientia Vocabb. Rabb. cum Græcis. Denarium confert cum זוז vel זוזא in Lexic, Talmud. Buxtorfius, *voc.* דנר quarta parte ſicli ſacri, quæ quidem moneta argentea eſt; nam aurea, דינר זהב, æque ac au-

reus Romanus XXV. denariûm, valet XXV. argenteos. Metzia f. 44, 2. דינר של כסף אחד מעשרי' וחמשה בדינר של זהב *denarius argenteus erat una vigesima quinta denarii aurei.* Nec aliter R. Salomon in Bava Kama, cap. IV. ab init. & glossa in Cherithuth cap. II. quam citat Lightfoot ad Matth. XX, 2. Arabes etiam argenteæ monetæ nomen *dinar* imposuerunt, Salmasio de Vsuris & Raphelengio in Lex. Arab. testibus, quæ Rabbinis דינר ערבאי vocatur, Bechor. f. 49. 2. Hanc cum laudatus Gravius definire vereatur, peritissimus talium rerum, merito silemus, & eidem accedimus, statuenti, non carere veri specie, Judæis scriptoribus Romanum denarium in animo fuisse. Tandem labantibus, aut collapsis jam Imperii rebus, denarius cum nomine corruptus est. Meursius in Glossar. Græcobarbaro: *Postea* δηνέριον *dixerunt, ævo corruptiore, & generaliter, pro quavis pecunia.* Glossæ: δηνάρια, *biniones.* δηνάριον, *sestertium.* δηνάριον λευκὸν, *asprum.* Præclare Scaliger de Re Numm. *Vltimis temporibus denarii pro exigua stipe usurpati sunt, ut hodie in Gallia. Imperator Aurelianus: Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum. Eos Vopiscus in Bonoso* sestertios æris *vocat.*

2. §. *Notior erit denarius noster, qualis sit, pluribus notatus vocabulis idem declarantibus, nominibusque illis, quibus insignem eum fecit legum Regumque autoritas.*

Sermone Anglico, vetustate antiquissimo, appellatur *Heorthpening*, lege IV. Edgari Regis, apud Gulielmum Lambardum in Archæonomia, sive de Priscis Anglorum Legibus; & cap. V. legg. Regis ejusdem, ex recensione Joh. Brom-

Bromtoni, in Chron. *Heordpeni*, quasi Germanice *Herd-Pfenning* dixeris, *denarius in domos singulas impositus.* Concilium Ænhamense Generale A. C. M. IX. can. II. Spelman. Tom. I. Concil. *Romfeoh*, id est, census Romæ debitus (commodius autem Wehlocus; nummus Romanus, quod vox *debitus* Romefeoh desit) nec non lex IX. Canuti Regis, Lambardi & Spelmanni locis citatis, nisi quod Bromtonus cap. XII. Constitutionum illarum legat, *Romfeth*, significatu eodem; & alibi, *Romescot*, tributum Romanum. S. Edwardi R. & Confessoris lex XI. inscribitur: *De Denario S. Petri, quod Anglice dicitur Romescot.* Sic priscus Spelmanni codex, (*Tom. I. Concil.*) Hovedeni consentaneus, olim aliquando exaratus, cum additiones illæ, quæ in Lambardo deprehenduntur, nondum innotuerunt. Ranulphus Cestrensis Lib. 5. cap. 25. *Denarius ex singulis domibus, diu ab Anglis* Romescot, *Latine vero* Denarius Petri *vocabatur.* Optime vocem explicat D. Joh. Cowell in Interprete suo, sive libro de Significatione verborum, quem scripsit Anglice: *Interpreter, or Booke, containing the Signification of words.* Romescot, *componitur* ex Rome *&* Scot, *quod idem est, ac tributum Romæ debitum.* Similiter: Peterpence. (*Denarius S. Petri*) *alio nomine lingua Saxonica exprimitur* per Romefeoh. Monumentum veteris linguæ Gallicæ, lex XIIX. Gulielmi, primi Regis Anglorum, de Denariis S. Petri, seu Vectigali Romano, habet, *le dener sein Pere*, denarius S. Petri. Quod præter Jo. Seldenum in Notis ad Eadmerum, servavit deditque Rogerus Twisden, altera editione Lambardi. Henr. de Knyghton, Canonicus Leycestrensis, de Eventibus Angliæ lib. 2. cap. 4. denario nomen dat *Denariati S. Petri.* Rem omnem brevi verbo complectitur Guil. Somnerus in Gloss. ad Histor. Angl. scriptor. X. verbo *Elemosina R.* Denarius S. Petri, *Romescot*, *Romepeny*, *Romefeoh*, *Hartb-*

peny. Et rursus : *Romepeny* , *Romescot* , *Rome-schoth* , *vulgo Peter-pence*. Dignum memoratu est, quod animadvertit Ant. Dadinus Alteserra , Dissert. Jur. Can. *Lib. 3. c. 12.* vectigal Romanum , sive Romscot , posteriorem ætatem denarium S. Petri vocâsse, firmatque epistola Optimatum Angliæ , ad Innocentium IV. apud Mat. Paris. An. 1245. *Esse quidem non potest immemor Mater illa illius gratitudinis , quam ei a longe retroactis temporibus Regnum Anglicanum impendit , concedendo eidem ad exaltationem & conservationem majorem , subsidium decens , & non modice fructuosum , ut per hoc inter Ecclesiam ipsam , & Regnum prædictum fœdus dilectionis firmius iniretur* , quod quidem subsidium processu temporis B. Petri Denarius extiterit nuncupatum.

3. §. *Cœpit autem Occidentalium Saxonum Rege* Ina *autore solvi pecunia hæc: quem, in regno suo pari & animo & affectu Merciorum Rex* Offa *secutus est ; tandemq; uberiorem fecit* Æthelvvolphus.

Monarchæ Saxoniæ nomen sibi vindicavit Ina, in charta illa , qua Heanio , Abbati Abbendonensi , terras suas restituit. Extant argumenta pietatis ipsius longe plurima in Monastico Angl. Tom. I. cujus autor ex præfatione operis noscitur , vir egregius , Rogerus Dodsworthius Eboracensis , qui vetustissimas pietatis memorias , in latibulis dormitantes, suscitavit. Celeberrimam etiam Inæ Regis eleemosynam ex Ranulpho Cestrensi Lib. V. cap. XXIV. refert ad A. C. DCCXXV. doctus Eques ac imprimis eruditus , Henr. Spelmannus , Tom. I. Concil. *Rex Ine* (inquit Cestrensis) *commendato regno suo West-Saxoniæ Ethelardo cognato suo* , *Romam*

Romam profectus est. Qui primus omnium Regum denarium ex singulis domibus regni sui, B. Petro fertur concessisse. Idem sentit Matthæus Westmonasteriensis, nisi, quod ei de anno vigesimo septimo illius seculi sermo sit. *Ina Rex*, ait, *felix & potens, Æthelbardo cognato suo regnum suum relinquens, Romam petiit, ut pro Regno temporali commutaret æternum. Quo cum pervenisset, fecit in civitate* domum, *consensu & voluntate Gregorii Papæ (II.), quam* Scholam *appellari fecit, ad quam Reges Angliæ, & genus Regium cum Episcopis, presbyteris & clericis, in doctrina & fide catholica erudiendi venirent, ne quid in Ecclesia Anglicana sinistrum, aut catholicæ unitati contrarium, doceretur, & sic in fide stabili roborati ad propria remearent. — Fecit propterea, juxta* domum *præfatam,* Ecclesiam, *in honorem beatæ virginis Mariæ, fabricari, in qua, Anglis Romam advenientibus, divina celebrarentur mysteria; & in qua possent, si quem ex Anglis Romæ mori contingeret, sepeliri. Et hæc omnia, ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, statutum est, generali decreto, per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut singulis familiis denarius unus, qui Anglice* Romescot *appellatur, beato Petro & Ecclesiæ Romanæ mitteretur; ut Angli ibidem commorantes vitale subsidium inde haberent.* Cum his concordant Seldenus ad Eadmerum, & autor Glossarii, sub finem Archæonomiæ Lambardi; licet hic Inæ Romanum iter in annum humanæ salutis DCCXX. collocet. Quicquid hujus sit, ferendi tandem sunt hi scriptores. Illud vero maximam admirationem movet animo, & Annalium fidem superat, quando iter cum donatione Inæ Baronius A.C. DCCXL. denarrat. Regnum suscepit Inas A. C. DCLXXXIX. functus vita est A. C. DCCXXVII. si annos spectemus, præpositos legibus ejus apud Lambardum. Imo, salva sunt omnia, humani quid passum esse Cardinalem, si qua fides adhibenda (quæ certe maxima est) pervetustæ Chro-

Chronologiæ Saxonicæ, quam Abrahamus Whelocus Historiæ Bedæ subjunxit. *Anno* DCCXXVIII. *Hic Ina Romam adiit, ibique spiritum efflavit.* In eodem errore versatur Scoglius Hist. Ecclesiæ Lib. IX. A. DCCXL. qui Baronii vestigia persequitur, & labitur, dum ipsum audit. Deinde, hoc quoque a veritate longe aversum est, vel Offam Regem A. DCCXL. liberalitatem suam erga Romanum Pontificem exercuisse, repugnante MS. Codice Cicestrensis Ecclesiæ; suscepisse enim testatur Regem hanc peregrinationem Romani itineris A. DCCXCIII. cujus rationem reddit apud Spelm. *T. I. A.* 793. Hist. Jornalensis (vel potius Jervalensis) MS. Vehementer doluit Offa, postquam nefarie sustulisset e medio Orientalium Anglorum Regem Ethelbertum A. DCCXCIII. ceu perhibent Westmonasterius & Fasti; Chronologia vero laudata A. DCCXCII. Quare Romam festinavit, enixe cupiens reconciliari Deo. Jam nullum est dubium, serius hæc evenisse, quam vulgaris fert opinio, & parum interesse, cui lubeat subscribere sententiæ, vel Spelmanni, Tom. I. Concil. quæ donationi A. DCCXCIIII. assignat, vel Codicis Cicestrensis. Titubatum etiam, quid esset in Joh. Bromtoni Chronico, si non ex aliorum potius mente, quam sua fuisset locutus. *Dicitur*, ait, *communiter*: (Offa) *illum censum, qui Romepeny, sive Peterspeny vocatur, Deo & B. Petro, & Domino Papæ, qui tunc fuerat, & successoribus suis, primo contulit pro perpetuo atque dedit.* Age, mitior adhuc superest interpretatio, quam Spelmannus loco eod. suppeditat, de primo videlicet Rege Merciorum. Rectissime autor vitæ Offæ: *Scholam Anglorum Offa, quæ tunc Romæ floruit, ingressus, dedit ibi ex regali munificentia ad sustentationem gentis regni sui illuc venientis, singulos argenteos, de familiis singulis, omnibus imposterum diebus, singulis annis.* Et brevi post: *Ipsum annuum reditum Romanæ Ecclesiæ, pro redemtione animæ suæ contulit, ad sustentationem videlicet Scholæ memoratæ,*

moratæ, propter Anglorum rudium, & illuc peregrinantium, eruditionem. Nisi heic fallit animus, aut parum prospiciunt oculi, quod Jornalensis historia enarrat de reditu, statuto Petri vicario, Romanæ urbis Pontifici, id perbene autor vitæ Offæ de Schola Anglorum exponit. Nec prætermittendum est, Matthæo Parisiensi addidisse Wilhelmum Watsium MS. laudatum non una vice Spelmanno; quantumvis in præfatione ad Lectorem profiteatur, vitas hasce inter Matthæi opera, nec a Lelando Baleo, Pitsæove numerari; eas tamen, quod arbitretur, aut a Matthæo scriptas, aut politas saltim, genium, stilum, manumque sibi persuadere. *Saltim*, ait, *si non ut suæ, tamen inter sua a semetipso Ecclesiæ Sanct-Albensi aliquando donabantur.* Memoria insuper & laude dignissimus est Rex Angliæ Æthelwolphus, qui Romam abiit, & Bromtono *in Chron.* teste, *contulit Deo & B. Petro singulis annis de qualibet domo totius Angliæ unum denarium, qui hodie Denarius S. Petri vulgariter appellatur. Et ipsemet ob devotionem, quam erga Deum gesserat, primum denarium obtulit pura mente; postea nihilominus singulis annis trecenta talenta Ecclesiæ Romanæ contulit, videlicet ad luminaria S. Pauli C. & ad usus summi Pontificis C.* Augmentum istud Asser Menevensis quoque celebrat. *Romæ omni anno magnam pro anima sua pecuniam, id est, CCC. mancussas* (Malmesburiensis *marcas*, Rogerus de Hoveden *manculas* appellat) *portare præcepit, quæ taliter dividerentur: scilicet C. mancussas in honorem S. Petri, specialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius Apostolicæ Ecclesiæ in vespera Paschæ: & æqualiter in Galli cantu; & C. mancussas in honorem S. Pauli Apostoli ad implenda luminaria in vespera Paschæ, & in Galli cantu, C. quoque mancussas universali Papæ Apostolico.* Pretium mancussæ indicat Glossarium Archæonomiæ: Mancusa, & Marca. *Saxonice* Mancus and Mearc, *nummus, argenteos triginta valens denarios.*

4. §. *Solvere denarium imperavit Inas domesticatim; Offa, de familiis singulis. Nec usque adeo verum est, quod sibi persuasit Bertoldus Constantiensis, omnem Anglorum terram vectigalem fuisse Pontifici.*

Concessisse Inam ex singulis domibus regni sui denarium S. Petro, Ranulphus Cestrensis loc. cit. autor est, quod Matthæus Westmonasteriensis de singulis familiis intelligit. Regis Offæ vita ostendit abunde, *dedisse eum singulos argenteos de familiis singulis — quibus videlicet sors tantum contulit extra domos in pascuis, ut triginta argenteorum pretium excederet.* Omnia si exactius scire velimus, jubet necessitas, ponere ante oculos amplitudinem Regni illus. *Dominabatur autem Rex Offa magnus* (verba sunt vitæ scriptoris) *in viginti tribus provinciis, quas Angli* Shiras *appellant. Hoc autem per totam suam ditionem teneri in perpetuum constituit.* Vocis originem deducit Glossator Archæon. a *Shyran*, quod *partiri* significat. Et Camdenus in Britannia convenienter admodum *Shiram* per Comitatum exponit, qui iterum in Centurias & Decimas dividebatur. Ita Alvredus Angliam in Satrapias, Centurias & Decurias, ubi cum Guntruno Daco fœdus iniit, partitus est. Sequuntur provinciæ Regis Offæ. *Dominabatur in Herefordensi, in provinciis Wigorniensi & Glovverniensi, in Warwicensi Cestrensi, Staffordensi, Scropesbiriensi, & Deberiensi. In Legrecestria. In Lincolniensi. In Northamtonensi, Oxoniensi, Buckingehamensi, Bedefordensi, Huntendonensi, Cantebrigensi, & dimidia Hertfordensi. In provinciis Essexiæ & Middlesexiæ, & dimidia Hertfordensi. In Nortfolc & Suffolc. Dominabatur etiam Snotingensi* (Notinghamen-

hamensi,) *provinciæ. — Ex his omnibus provinciis dedit Rex Offa Denarium Beati Petri. Eo tamen retento & collato post receptionem, beato Albano per totam ejusdem martyris terram.* Ea est omnis Hertfordiensis provincia, in qua sita est ecclesia dicta. Sed ab Apostolica consuetudine, & reditu, qui Romscot dicitur, neque Rex, neque Archiepiscopus, vel Episcopus, vel Prior, aut quilibet de regno, vel in regno, immunis est; omnes solvant necessum est. Quod in ipsa Offæ vita legitur, nec ab hac sententia Matth. Westmonasteriensi A. 794. dissentiente. Huc respicit Edgari lex IV. *De denario in domus singulas imposito,* & boni Regis Edovardi lex X. *Omnis, qui habuerit XXX. denariatus vivæ pecuniæ, in domo sua, de suo proprio (Anglorum lege) dabit denarium S. Petri: Et lege Danorum, dimidiam marcam.* Hanc repetiit Willielmus Conquestor, Edovardi cognatus, lege XVIII. *Liber homo, qui habuerit averia* (bona) *campestria XXX. denariis æstimanda, dabit denarium S. Petri. — Burgensis* (civis, qui habitat in oppido; nam raro *burgensis* dicitur ille, qui burgum vel castrum incolit, ut civi opponatur, ita judicante viro clarissimo G. J. Vossio de Vitiis Serm. Lat. Lib. II. cap. III. Sic Burgundiones, quos Plinius Lib. IV. cap. XIV. quinque enumerans Germaniæ populos, Vindelicorum partem facit, nomen adepti esse creduntur a burgis, locisque munitis, quæ in limitibus extruerent) *qui de propriis catallis* (bonis suis & possessionibus, Cowellio voce Catalls, Catalla, interprete) *habet id, quod dimidia marca æstimandum est, det denarium S. Petri. Qui in lege Danorum est liber homo, & habet averia campestria, quæ dimidia marca in argento æstimantur, debet dare denarium S. Petro.* Verum, rapit in admirationem, quod Bertoldus Constantiensis, temere ausus sit affirmare in Append. ad Hermannum Contractum, sub anno MLXXXIV. Guilielmum Victorem *totam terram Anglorum Romano Pontifici*

tributariam fecisse, nec aliquem in sua potestate aliquid emere aut vendere permisisse, quem Apostolicæ sedi inobedientem deprehenderet. Fallit plane & fallitur! exclamat magnus Seldenus, in Not. ad Eadmerum. Et illius ævi res apud Anglos gestæ manifestissime reluctantur.

5. §. *Solutioni etiam dies dicta est, legeque animadversum in eos, qui definito tempore nomen suum non explicarent.*

Denarius in domus singulas impositus (Edgari lex est quarta) *ante festum divi Petri redditor, qui tum non solverit, denarium illum, ac alios præterea XXX. ad Romam comportato, certaque literarum testificatione, domum rediens, se eo detulisse confirmato, ac Regi denique CXX. solidos numerato. Si quis secundo non dederit, denarium illum ac præterea ter denos Romam deferat, Regique, postquam redierit, CC. solidos dependito. Sin tertio deliquerit, rebus suis omnibus exuitor.* Ipsam legem hanc Bromtonus, in Chron. quæ ei quinta est, eodem sensu servavit integram. Petri festum Spelmannus, Tom. I. Concil. A. 794. ratione desumta ex ipsa Offæ institutione, contendit esse festum S. Petri Ad vincula, quo nummus iste fuerit persolvendus, ut memoria haberetur diei inventionis reliquiarum S. Albani, in eadem festivitate contingentis. Aliter nonnihil se habet Canuti lex IX. in Archæon. Lambardi: *Nummus Romæ debitus ad festum divi Petri redditor: qui tum non solverit, Episcopo denarium illum, aliosque præterea ter denos numerato, ac Regi eo nomine ducenos dato & viginti solidos.* Sed Bromtonus, in illarum Canuti legum recensione, triginta tantum solidos Regi numerandos esse perhibet. Edovardus Leg. 2. in Archæon. solicite magis tempus exprimit: *Iste denarius debet summoniri*

in

in solennitate Apostolorum Petri & Pauli, & colligi ad festivitatem, quæ dicitur Ad vincula, ita, ut ultra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad Justitiam Regis (id est, Justitiarium, antiqua vocis appellatione, cui a Rege data potestas sententiam ferendi) *clamor deferatur, quoniam denarius hic Regis eleemosyna est; Justitia verò faciat denarium reddere & forisfacturam* (multam delinquentium) *Episcopi & Regis.* Succcedit ultimo Guilielmus primus Rex Angliæ, sanciens lege XX. ut, *qui negaverit Denarium S. Petri, eum pendat per Justitiam S. Ecclesiæ, & XXX. denarios forisfacturæ. Et, si de ea re est implacitatus* (accusatus) *per Justitiam Regis, forisfaciat Episcopo XXX. denarios, & Regi XL. solidos.* Legum Ecclesiasticarum Edovardi Senioris & Guthurni RR. cap. VI. *Dacus, si debitum Romæ nummum retinuerit, legis violatæ pœnam subito. Anglus multa afficitor.*

6. §. *Illa cura conficiendorum denariorum Archidiaconis, cuique in sua diœcesi, fuit commissa; donec cœpit negligentior esse illorum opera, & Pontifex Quæstorem in Angliam amandavit, qui pecuniam cogeret.*

Uti nec ad Episcopos pertinet census Angliæ, ita nec agebant eum invito, vel non jubente Pontifice. In veteri jam Ecclesia, gravissimo apud Venetos quondam Theologo, Paulo Sarpio, teste, Diaconi oblationes & fructus, qui redibant ad Ecclesiam, etiam ex bonis stabilibus, curabant, juvantibus eos Subdiaconis, aliisque Oeconomis: Denarius autem Archidiaconorũ fidei committebatur. Ideo, ne occasione hujus collectæ graves essent Ecclesiis, eos monuit Ale-

xander III. cap. Ea quæ. de Censibus. *Cum autem propter B. Petri visitationem, denariorum collectam per Archidiaconatus vestros feceritis, Ecclesias vel parœcias non gravetis.* Deinde vero negligentius rem Romanam curantibus Archidiaconis, missum esse collectorē a Pontifice, certum est. Quo officio Polydorus Virgilius, postea Wellensis Archidiaconus, functus est, ipse sui testis lib. IV. Histor. Angl. *Nummos illos argenteos, vulgo Denarios Petri, Pontificius Quæstor, quem non inscienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque muneris obeundi caussa primum in Angliam venimus.*

7. §. *Dicendum, quod res est. Differt S. Petri Denarius a denario Ecclesiæ. Et liquet, aliud quoddam argenti genus fuisse Romam missum, pro juvandis, & Romæ, & Hierosolymis, pauperibus.*

Legum Ethelredi apud Bromton. in Chron. singularis est ea, quæ inscribitur de Denario S. Ecclesiæ dando & Decimatione thaynorum. *Constituerunt* (Rex & Sapientes ejus apud *Habam*) *ut detur de omni caruca denarius vel denarium valens, & omnis, qui familiam habet, efficiat, ut omnis Hirmannus suus det unum denarium. Quodsi non habeat, det dominus ejus pro eo; & omnis thaynus decimet totum, quicquid habet.* Multum huc facit can. X. Concilii Ænhamensis Generalis, (Spelm. Tom. I. A. 1009.) qui temporis expresse meminit, diversi penitus ab illo, quod definitum est solutioni Denarii Petri. *Jura Deo debita, unusquisque annuatim recte pendito: aratri scil. eleemosynam XV. nocte a Paschate.* Veterum ritu Germanorum, Sueo-Gothorum, aliorumque, non dierum numerum, sed noctium computantium. No-
ctem

ctem XV. Lambardus leg. IIX. Canuti, vertit diem decimum quintum, quo eleemosynæ pro aratris, DEO pro aratione & semente solvendæ. Restant determinandi Hirmannus & thaynus, præeunte Somnero in Glossario ad X. Script. Hist. Angl. *Hirmannus vel Hiremannus, idem est, quod vasallus, cliens, fidelis, subditus.* Thaynorum autem, si licet eundem sequi, duo olim fuerunt genera, quorum aliqui ecclesiastici, aliqui seculares; & hi etiam duplicis ordinis: majores, qui Comitibus gradu proximi, quos Thainos Regis appellant, nos hodie Barones Regis; & minores, scilicet Barones & Nobiles, nonnunquam Liberi Tenentes & Thaini simpliciter. Proinde in lege Ethelredi non sine caussa additur, *omnis thaynus.* Erudite autor Glossarii Archæonomiæ: *Thani appellatione* viri *interdum* nobiles, *interdum* liberæ conditionis homines, *interdum* magistratus, *atque sæpenumero* ministri *notantur. Atque hinc est, quod coronatæ plumæ insignia principis, Saxonicis vocibus titulum præferant*, Ic dien, *sed corrupte (pace fetialium dixerim) pro* Ic then, *quod idem sonat atque* Ic thegn, *i. e. ego famulus & minister sum*: Heres *namque (ut inquit Apostolus Gal. IV, 1.)* dum puer est, nihil differt a servo. Denique tanta est inter Denarium Petri, & Eleemosynam Alvredi distantia, quanta potest esse maxima. Regis hujus aliquando studiorum dux & moderator, inde Archiepiscopus Cantuariensis, Plegmundus, stipem emendicavit ab hominibus piis. Ea re vero factum est, ut pecuniam satis grandem cogeret, quam Rex cum magna thesauri sui parte Romam misit per Athelmum, Wintoniensem Episcopum, ut pro arbitrio Papæ, partim Hierosolymis, partim Romæ in egenorum inopia sublevanda impenderetur, pro testimonio dicente Landauensi Episcopo, Fr. Godwino Comment. de Præsul. Angliæ, & longe ante eum Matth. Westmonasteriensi, A. DCCCLXXXIX. Non aliter, egregio pietatis exemplo, præcessit Alvredum Carolus M. de quo Egi-

Eginartus in ejus vita. *Circa pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci* eleemosynam *vocant, devotissimus, quam non in patria sua solum, & in suo regno facere curavit, verum trans maria, in Syriam & Ægyptum, atque Africam, Hierosolymas, Alexandriam atque Carthaginem, ubi Christianos in paupertate vivere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat.* Ita omnino se res habet, & hodienum in tota Italia, tempore Quadrag. per ecclesias colligitur eleemosyna pro pauperibus christianis in Turcia, Concionatoris accedente cohortatione.

8. §. *Ipse S. Petri Denarius, nummus est argenteus, datus a Britanniæ, sive Angliæ Regibus, eorumque successoribus, B. Petro, & Scholæ Anglorum Romæ, solo pietatis, non alio respectu.*

Duo hîc maxime agenda sunt. Alterum est, exponere, quanti denarius fuerit antiquis illis temporibus; alterum, in stipem Anglos eum erogasse, nec tributi nomine pependisse Pontifici. Ethelredo superstite, seculo nimirum XI. valebat denarius vigesimam unciæ argenti partem, quod Gravius in libro, quem scripsit de Denario, demonstrat, veteres Ethelredi denarios ad bilancem exigens. Autor Glossarii ad Archæonomiam Lambardi: *Libra bis primis temporibus, XLIIX. solidos valebat argenteos: solidus vero, qui est apud nos pars liberæ vigesima, denarios per id temporis continebat quinq; nunc duodecim. Atq; ita fit, ut libra ex CCXL. denariis constaret: quemadmodum etiam nunc constat. At tum quidem CCXL. denarii pondo unum gravitate exæquabant, id quod nunc DCCXX. denarii, vix, aut omnino non assequuntur. Hujus autem rei monimenta* certa

certa extant in denariis argenteis, tempestate Ethelredi *Regis excusis.* Sic est profecto, & prisci magis vix repertu dantur. Isthæc nummi ratio perduravit ad Eduardum, cujus statutum XXXI. hoc loco maximi est ponderis. *Per ordinationes totius regni Angliæ, denarius Angliæ, qui vocatur Sterlingus, rotundus, sine tonsura, ponderabit XXXII. grana frumenti in medio spicæ, & XX. denarii faciunt unciam, & XII. unciæ faciunt libram.* Sic igitur, imposito calculo, *denarius unius libræ argenti pars est quadragesima & ducentesima.* Romano denario quantum decesserit, ante commonstravimus. Idem etiam fatum mansit, temporum injuria, Britanniæ nummum. Quam rem accuratissima Gravii diligentia annotavit. Regni habenas moderante Eduardo III. uncia argenti XXVI. præbuit denarios; Henrico autem VI. jam XXXII. Postea, Rege Eduardo IV. denarius unciæ pars XL. extitit; Rege Henrico IIX. pars XLV. Tandem Elisabethæ anno secundo, LX. tales nummi unius erant unciæ: quibus duo adhuc, eadem regnante, paulo post accesserunt. Ita factum est, ut Ethelredi denarius posteriores istos pondere suo ter superaret. Pergamus, atque insequamur longius inceptum hoc, quandoquidem explicatam exploratamque habemus rationem donationis Inæ, Offæque Regum; &, ne quid porro desit, autorem Vitæ Regis Offæ denuo loquentem introducere constituimus. *Idcirco beati Petri Denarius appellatur* (ille argenteus) *quia sæpe dictus Rex Offa die S. Petri, qui dicitur Ad vincula, ipsum martyrem* (S. Albanum) *ipso die meruit celitus invenire, & ipsum annuum reditum ipso die Romanæ ecclesiæ pro redemtione animæ suæ contulit ad sustentationem, videlicet Scholæ memoratæ, propter Anglorum rudium, & illuc peregrinantium eruditionem.* Hinc præclare dixit Whelocus in præfat. ad Archæon. Lamb. *Inas & Offa Reges Sax. in fidem Petri, hoc est, cultum Christi θεανθρώπου Romæ alendam, eleemosy-*

nam suam impendebant. Non mora, reddendum est veritati nomen suum, & ex chronologiæ Saxonicæ vetustate eruenda eleemosynæ appellatio, qua Denarius Petri venit. A. DCCCLXXXVII. *Ethelhelmus Comes, Occidentalium Saxonum & Alfredi Regis* Eleemosynam *Romam adduxit.* Eodem plane modo singula enumerat Asser Menevensis, qui hoc tempore floruit, Aluredo intimus & a consiliis. Dignissima vero sunt laudis adnotamentis, quæ ad hunc locum Spelmannus Tom. I. Concil. A. 887. observavit, Menevensem locutum esse de Denario S. Petri. *Nota*, ait, *eum nummum hunc non tributum appellare, (ut Polydorus & Romani alii)* sed eleemosynam; *beatum Apostolum secutus, qui Corinthiorum similem*, λογίαν *vocat, &* τὴν χάριν, collectam *scilicet atque* gratiam *sive* liberalitatem. Rursus Chronologia Saxonica (solent quippe meliora copia sua placere) A. DCCCLXXXIIX. *Hoc anno Becca Comes, Occidentalium Saxonum & Alfredi Regis* Eleemosynas *Romam adduxit.* Et A. DCCCXC. *Hoc anno Beornhelmus Abbas, Occidentalium Saxonum & Regis Alfredi* Eleemosynas *Romam adduxit.* In lege II. Regis Edmundi nummus eleemosynarum audit denarius. Hæc lex est: *Christianus quisque — nummum eleemosynarum illum,* (ælmesfeoh) *religiose pendito. qui non solverit, anathema esto.* Canutus Rex, referente Bromtono in Chron., *anno regni sui ultimo Romam adivit, & larga dona B. Petro dedit, & elemosynam, quæ vocatur Romescot. quam antecessores sui ecclesiæ Romanæ dederant, perhenniter assignavit.* Edovardus Confessor, lege X. de Romscot: *Denarius hic Regis eleemosyna est.* Ipsam legem pene ad verbum etiam recitat Henr. de Knyghton Lib. 2. de Event. Angl., eleemosynam diserte vocans. Maxima veritatis vis est; expressit aliqua Alexandro Papæ II. quæ usquequaque aliena a nostris non sunt, quamvis parvam lucem atra nox sequatur. Fragmentum dedit Cardinalis Baronius An. Chr. 1068. num. 1.

litera-

literarum Pontif. ad Gvillelmum Angliæ Regem, ex libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, quem extare perhibet in Bibliotheca Vaticana. *Alexander Gvillelmo Regi Anglorum. — Nam, ut bene nosti, donec Angli fideles erant,* piæ devotionis respectu *ad cognitionem religionis annuam pensionem Apostolicæ sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ S. Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur.* Ipsi Pontifices operam dabant, ut denarius bona Principis gratia colligeretur. Ideo Gregorius VII. Lib. I. ep. 70. eidem Guillelmo Regi commendavit res D. Petri: *Rebus vero S. Petri, quæ in Anglia colliguntur, sic te, ut tuis, invigilare admonemus; sic liberalitati tuæ, ut tua committimus, ut pium & propitium debitorem Petrum reperias.* In nostram sententiam discessionem faciunt etiam Franc. Florens Diss. Select. Jur. Can. lib. I. cap. 4. *pertinere denarios S. Petri ad summum Pontificem* (fortassis inde aliquid in eum redundavit) *ex concessione & liberalitate Regum Angliæ.* Et Cl. Alteserra Differt. Jur. Can. Lib. 3. c. 12. quem audire juvat: *Alios census Ecclesia Romana recipit in signum devotionis, alios in signum subjectionis. Non alio, quam pietatis obsequio, Angli per multa sæcula annuatim in singula capita Romanæ sedi censum exsolverunt. — Vectigalis nomine venit pensitatio ista, etsi inspecta origine, nuda & simplex fuit eleemosyna, seu oblatio.* Factum bene. Paschalis. II. Pontifex omni teste major est: *Eleemosyna B. Petri (prout audivimus) ita perperam doloseq; collecta est, ut neque mediam ejus partem hactenus Ecclesia Romana susceperit.* Sic queritur in literis ad Henricum I. *datis Lateranis III. Cal. April.* quas Eadmerus Hist. Nov. Lib. 5. servavit.

9. §. *In stipem dedit Anglia Denarium ad Henricum usq; IIX. nec propterea tributum*

pependit, utut Johannes Rex stipendiarium fecerit regnum suum.

Caussæ nihil dicimus, quin olim reditus Angliæ cesserint Pseudopontifici Benedicto, Tusculani Comitis filio. Otho Frisingensis Lib. 6. c.32. ordine omne, uti quidquid actum est, edisserit. Invasisse simul tres sedem Romanam, divisisse reditus, uno ad S. Petrum, altero ad S. Mariam, tertio in palatio Lateranensi sedente. Mox pergit: *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ religiosus quidam presbyter, Gratianus nomine, videns, zeloq; pietatis, matri suæ compatiendo, animadvertens, præfatos viros adiit, eisq; a Sede sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto reditibus Angliæ, quia majoris videbatur autoritatis esse, relictis.* Huc accedit, multa gravia Henricum II. Angliæ R. passum esse ab Alexandro III. quod autor crederetur necis Thomæ Becketi, Archiepiscopi Cantuariensis. Eum deinde indignis modis exagitavit filius Henricus junior, ut auxilium Pontificis imploraret (si Petro Blesensi Ep. 136. credimus) persuadere conatus, quod Angliæ Rex sit feudatarius Ecclesiæ Romanæ. Sed non male Baronius subnectit: *Ita plane cogit necessitas profiteri, quod aliter haud sponte fecisset.* Sic gratiam habemus Cardinali, quod lubens largitus sit, malo suo atque ingratiis, Henricum Ecclesiæ feudatarium factum esse. Non ferenda tulit Johannes Rex, qui gladium papalem, tanquam hebetem, & ad nocendum parum validum, aliquandiu contemsit; donec vetus fabula rursum agi cœpta est, quæ Regi regnoque severas tragœdias excitavit. Matthæus Parisiensis A. MCCXIII. *Johannes Rex — resignavit coronam Angliæ Innocentio Papæ, & ei fecit homagium, & fecit de liberrima regione ancillam, ut Princeps provinciarum fieret sub tributo, chartam inde conficiens, omnibus eam*

audien-

audientibus lugubrem & detestabilem. Clausula fuit, Johannem Regem transegisse cum Papa, *sponte & proprio motu, & inspiratione Spiritus sancti* Fidem insuper fecit Rex Pandulpho, Domini Papæ Subdiacono, his verbis: *Ad indicium hujus nostræ perpetuæ oblationis & concessionis, volumus & stabilimus, ut de propriis & specialibus reditibus prædictorum Regnorum* (Angliæ & Hiberniæ) *pro omni consuetudine, quam pro ipsis facere debemus, salvo per omnia Denario Petri; scilicet mille marcas sterlingorum Ecclesia Romana percipiat annuatim, scilicet in festo S. Michaëlis quingentas marcas, & in Pascha quingentas marcas, septingentas marcas pro regno Angliæ, & CCC. pro regno Hiberniæ, salvis nobis & heredibus nostris, justitiis, & libertatibus, & regalibus nostris.* Turpiter se dedit Johannes, & Philippus Galliæ Rex, ludibrio habitus a Papa. Nam Ludovicum, primogenitum Philippi, Barones Angliæ Regem sibi poscebant: quod Gvalo, Pontificis Legatus, impedire quovis modo conatus est, *ne Ecclesia Romana suo patrimonio privaretur.* Hoc *cum intellexisset Rex Philippus* (sunt verba Westmonasteriensis, A. MCCXVI.) *ita mox respondet: Regnum Angliæ Patrimonium Petri vel Ecclesiæ Romanæ nunquam fuit, nec est, nec erit.* Hinc graves turbæ, quas Innocentius iste III. sedare studuit, Johannis caussam agens, usurpans illud: *Dic Ecclesiæ*, cap. Novit. de Judiciis, quæ Petri Molinæi Hyperasp. l.1. c.27. observatio est. Succedente autem Henrico III. Johannis F. in immensum Pontificis crevit potestas. Querebantur Angli, excanduit Papa, & dixisse fertur: *Expedit, ut componamus cum Principe* (Friderico II. Imperatore) *ut conteramus illum Regulum Angliæ, vasallum nostrum jam recalcitrantem.* Matth. Paris A. MCCXLVI. Res nova, & ante hunc diem inaudita. Tantum ex Anglia hausit Pontifex, quantum Rex ipse. Testem excitamus lauda-

laudatissimum Sarpium Trattato delle Materie beneficiarie, in Tractatu de Materia Beneficia concernente ecclesiastica: *Il Rè facendo far conto di quanto il Papa cauaua d' Inghilterra, trouò, che era uguale all' entrata del Rè, cioè 60000. marche; propose il Rè di questo querele nel Concilio di Lione, lamentandosi delli grauami sudetti, à che rispose il Papa, che il Concilio non era congregato per ciò, e non era tempo d' attenderui.* i. e. Ad computationem revocare Rex jussit, quantum ex Anglia rediret ad Pontificem; compertum est, Papæ fructus adæquare illos Regis 60000. marcarum: Quapropter ad publicam querimoniam res excessit in Concilio Lugdunensi, Rege graviter ferente ante dicta onera. Respondit Pontifex, Concilium ea de caussa coactum non esse, neque nunc tempus suppetere, quo invigilare istis rebus posset. Durissima hæc fuerunt Angliæ fata; verum, nemo certe dixerit, denarium eam fecisse tributariam; imo, nec opinari licet, subesse fortassis servitutem aliquam spiritualem, ut opus sit restitutione in libertatem, æque ac servi per denarium manumissi sunt. Si formulæ solennes LXII, CII. *Denario jactante* (pro jactato, ut sæpe, nuncupante pro nuncupato) *ante Domnum Regem secundum legem Salicam ingenuum dimittere.* Frid. Lindenbrogius in Glossar. Legg. antiq. ex veteri charta Ecclesiæ Lugdunensis: *Servum juris vestri manu propria & manu illius excutientes denarium, secundum legem Salicam liberum, cum omnibus, quæ habet, vel acquisierit, fecimus.* Notavit Hieron. Bignonius Not. ad Marculf. Formul. lib. 1. cap. 22. caput hoc legis Salicæ non extare, & manumissionem contigisse, excusso nummo de manu ipsius servi, qui manumittebatur. Is nummus vel argenteus vel aureus erat, nullo prorsus discrimine. Vetus formul. apud Fr. Pithœum ad Tit. 28. Leg. Sal. *Inde quendam servum N. ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus, rogarunt. Nos vero manu propria nostra ex-*

cutientes de manu supradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel minam, secundum legem Salicam, eum liberum dimisimus, & ab omni jugo servitutis absolvimus. Tales, dicebantur *homines denariales*, exponente Lydio in Gloss. Latino-barb. de manumissis jactato denario coram Rege, qui Regem patronum & defensorem habebant. Brevi verbo, lis subest in vocabulo *vectigalis*, si Denarium S. Petri spectes. Quod præter Spelmannum Tom. I. Concil. A. 794. solide magis nemo ostendit, cujus verba adhibere fas esse credimus. *Sunt, qui ex regia ista munificentia, & piissimo eleemosynæ genere, sat ingrate (ne insulse dicam) prædicarunt, regnum Angliæ duriore sono vectigale fieri, & tributarium Romano Pontifici, vocibus certe subjectionem, servitium & clientelam vulgariter innuentibus, juxta id Apostoli ad Romanos* Cap. 13, 6. Ideo enim & tributum præstatis. *Cum e contra in Feudali locutione, atq; ipsa Canonica, qui beneficium accipit,* beneficiarius, *qui eleemosynam,* eleemosynarius *sit dicendus. Hinc in jure nostro municipali, Episcopi nostri, suis e Regum munificentia prædiis gaudentes & alimoniis,* Barones Regis eleemosynarii *nuncupati sunt, non Rex eorum* tributarius *aut* vectigalis, *licet & annuos quibusdam reditus & pensiones impendat.* Notandum tamen (inquit Glanvillus de Legg. Angl. Lib. 7. cap. 1) quod nec Episcopus, nec Abbas, quia eorum Baroniæ sunt de eleemosyna Domini Regis & Antecessorum ejus, non possunt de Dominicis suis aliquam partem dare ad remanentiam, sine assensu & confirmatione Domini Regis. *Sic & Pontifex ipse Romanus* (pergit Spelmannus) *legaliter non potuit alio modo disponere de hoc suo vectigali seu tributo, quam a Regibus Angliæ datum fuit primitus & destinatum; nam voluntas donatoris observanda est.* Mire placet Gvilielmi I. Regis epistola ad Gregorium VII. quam magnus

Sel-

Seldenus in Notis ad Eadmerum ex MS. codice Epistolarum Lanfranci, Archiepiscopi Cantuariensis, dedit. *Hubertus Legatus tuus, Religiose Pater, ad me veniens, ex tua parte me admonuit, quatenus tibi & Successoribus tuis fidelitatem facerem, & de pecunia, quam Antessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, Fidelitatem facere nolui, nec volo; quia nec ego promisi, nec Antecessores meos Antecessoribus tuis id fecisse, comperio.* Ingens animus optimi Regis, qui pietate Majoribus suis non fuit inferior. Pecunia, quam memorat, ille Petri Denarius est, quem Ina indulsit, & posteriores Angliæ Reges dependerunt, donec Henricus IIX. primus inhibuit eum amplius solvi, Seldeno Analect. Anglo-Brit. Lib. 2. cap. 4. Joh. Sleidanum Lib. IX. Comment. testem citante. Ipso autore Reformatio Legum Ecclesiasticarum primum inchoata, deinde per Regem Eduardum VI. provecta adauctaque est, cui præmittitur Henrici IIX. epistola, ex qua velut ex ungue leonem æstimare licet. *Pontificis potestatem huic cum divino munere sublatam esse, manifestum est, ne quid superesset. quo non plane fractam illius vim esse constaret, leges omnes, decreta atq; instituta, quæ ab autore Episcopo Romano profecta sunt, prorsus abroganda censuimus.* Hac via, Pontificibus formidabile nomen Henricorum, litem diremit, & Denarius S. Petri, qui tributum nunquam fuit, Angliæ maximum factus est vectigal.

CAP.

CAP. II.

Diversa Regna & Principatus Denarium Petri, vel censum aliquem Ecclesiæ Rom. pendebant.

1. §. *AVTORE Henrico II. Denarium Petri Hibernia contulit. Rex ideo tamen Pontificis collectorem non egit, ut potius Summi Hiberniæ Capitis titulum jure usurparet.*

PRomisit sane ex Hibernia denarium Henricus. Dubium vero est, an idem plane fuerit cum Angliæ denario, quod Papæ commodis magis videatur inservire. Baronius A. C. 1159. num. 21. 23. & Usserius in Veterum epistolarum Hibernicarum Sylloge, Hadriani IV. diploma exhibuerunt, concernens Henrici II. Hiberniæ ingressum, quamvis annus pontificatus desit. *Significasti nobis, fili in Christo charissime, te Hiberniæ Insulam, ad subdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde extirpanda, velle intrare & de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem, & jura ecclesiarum illius terræ illibata & integra conservare.* Non displicuit desiderium hoc Pontifici, sed consensit: *Pro dilatandis ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus, & virtutibus inserendis, pro christianæ religionis augmento, Insulam illam ingrediaris, & quod ad honorem DEI, & salutem illius terræ spectaverit, exequaris: & illius terræ populus* bono-

honorifice te recipiat, & sicut Dominum veneretur : jure nimirum ecclesiastico illibato & integro permanente, & salva B. Petro & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ de singulis domibus annua unius denarii pensione. Perspectum est crebra animadversione Jacobo Usserio, Archiepiscopo Armachano, viro miræ in his rebus perspicaciæ fideique, in libello Anglico Of the Religion anciently professed by the Irish and Brittish, de Religione veterum Hibernorum & Britannorum, nihil quicquam Pontifici juris esse in Hiberniam insulam. Abhorret enim a vero, Hiberniæ confessores veritatis christianæ primos speciale pactum cum Pontifice iniisse. Nec vel per somnium cuiquam ita visum, præterquam Polydoro, Henrici IIX. ævo. Quare ridet hominem vir doctissimus, aitque, conscripsisse eum de Rerum Inventoribus librum, cui omnino nomen suum inseruisse debebat, si quidem mendaciorum inventorem tulisset gravissimorum virorum societas. De ipsa Polydori historia sic judicat: Missus a Pontifice, ut Denarium Petri colligeret, munus scribendæ historiæ in se suscepit, ubi animo nunquam elabi suo passus est, Pontificis commodis servire, ut quam maxime. Silent libri memoriales Romani, quos summa cura summaque industria pervolutavit Nicolaus Arragonius, cui studium fuit, omnibus vestigiis indagare, lucique tandem exponere, quæ pro Pontificis potestate faciunt. Res certa est, & videtur quasi ea, quæ oculis cernuntur, hoc argumento ne Pontificem quidem uti voluisse, si parum lubeat animum advertere ad illa, quæ in ipso diplomate dicuntur, quando provocat tantum ad jus, quod sibi sit proprium in omnes Insulas. *Sane omnes Insulas, quibus Sol justitiæ Christus illuxit, & quæ documenta fidei christianæ susceperunt, ad jus S. Petri & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere.* Jo. Sarisberiensis Metal. lib. 4. cap. 42.

cap. 42. (quem Hadrianus iste præ omnibus mortalibus diligebat, ut, quoties opportunitas aderat, conscientiam suam in conspectu ejus effundere lætaretur, de quo ipse gloriatur mireque se effert) ne nihil dicere videatur, argumento utitur, *quod omnes Insulæ, de jure antiquo, ex donatione Constantini, qui eam fundavit & dotavit, dicantur ad Romanam Ecclesiam pertinere.* Verum ne dicamus, donationem Constantini futilem esse, commentitiamque, quam acri intentione dijudicârunt cordatiores plurimi, solum unica fit mentio Insularum per omne donationis instrumentum: *Rebus diversis* (ecclesias D. Petri & Pauli) *ditavimus, & per nostram Imperialem jussionem sacram, tam in oriente, quam in occidente, vel etiam septentrionali & meridiana plaga, videlicet in Judæa, Græcia, Thracia, Africa & Italia, vel diversis Insulis, nostra largitate ei concessimus,* (*eis libertatem concessimus*) *ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi Patris nostri Sylvestri, summi Pontificis, successorumq; ejus omnia disponantur.* Largiamur, Papæ arbitrio permissas fuisse Judæam, Græciam, Thraciam &c. num Hiberniam dedit Imperator? Immo, non est probabilitati contrarium, ne Constantino quidē Hiberniam paruisse; quantumvis Eumenius Panegyr. ad Constant. c. 20. Constantio, Constantini Patri, *nationes, terminis Britanniæ cohærentes*, obsequi, Rhetorum more exclamet. Obtinuisse Romanos Hiberniam, vel numeratam fuisse inter partes Imperii Romani, firmis genuinæ antiquitatis testimoniis ostensu haud facile est. Qui vero aliter sentiunt autores, ut Pompon. Lætus, & Cuspinianus, subjacuisse Romanis Hiberniam, uno ore assignant illam Constantio, Constantini F. natu maximo. Quæ res non parum impugnat donationem. Unum atque idem sentit Seldenus, de Titulis Honorum Part. I. cap. 4. Non posse Papam argumentis firmare, quod statuit, omnes Insulas ad jus S. Petri pertinere, neque omnino huc qua-

drare, quæ Sarisberiensis (qui communiter Johannes, Episcopus de Chartres citatur) in medium proferat. Jus Pontificis, ex Seldeni mente, restringendum est ad occidentales tantum Insulas. Sic enim habent donationis istius verba apud Gratianum dist. XCVI. cap. XIV. & Ivonem Decret. part. V. cap. XLIX. *Omnis* (Omnes) *Italiæ, sive occidentalium regionum provincias, loca, & civitates.* Græca translatio (quæ procul dubio ex Latino figmento nata est) plane convenit apud Theod. Balsamonem in Photii Nomocanone Tit. 8. c. 1. πάσης τῆς Ἰταλίας ἢ δυσμῶν χωρῶν ἐπαρχίας, τόπους καὶ κάστρα. Hæc verba, inquit ille, nihil aliud denotant, nisi Insulas Italiæ, quæ per particulam disjunctivam in textu ipsum Occidentem significant. Verum enim vero fides donationis tam exigua est, ut nihil intersit, quo modo isthæc cupias accipere. Monstri aliquid alit, quod Philippus Osullevan Hist. Cathol. Hiber. Tom. 2. lib. 1. cap. 7. narrat, Papæ ne animum quidem fuisse unquam conferendi Hiberniæ regnum Henrico; nam verba bullæ Hadriani IV. *illius terræ populus te recipiat, & sicut dominum veneretur*, hoc pacto intelligenda venire, sicut Principem, dignum magno honore, non Dominum Hiberniæ, sed Præfectum caussa colligendi tributi ecclesiastici. Age, effabimur, quæ vera sunt, quando iste abstinet nimium. Libere obtulit Henricus de quavis domo denarium Pontifici, sola hac de caussa, ut illius favorem sibi conciliaret, ingressurus Hiberniam, quæ nunc primum Papæ census auxit. Quis credat, cui vel parum sanæ mentis æquus indulsit Jupiter, voluisse Henricum ministerio fungi collectoris fumidi istius Papæ argenti, quod, Usserio loc. cit. teste, *Smoke-silver* dixerunt Hiberni, cum solverent? Viam hanc elegit Henricus, ut ope Pontificis, a Clero admissus, reciperetur a secularibus, & sic gauderet regno firmo stabili-

ue:

que. Eventus plane respondit, & testimonia sunt in promtu. Jo. Brampton in Hist. Jorolanensi: *Recepit ab unoquoq; Archiepiscopo & Episcopo literas, cum sigillis suis, in modum chartæ pendentibus, regnum Hiberniæ sibi & heredibus suis confirmantes, & testimonium perhibentes, ipsos in Hibernia eum & heredes suos sibi in Reges & Dominos in perpetuum constituisse.* Rog. Hovedenus A. 1171: *Venerunt ibidem ad Regem Angliæ omnes Archiepiscopi, Episcopi, Abbates totius Hiberniæ, & receperunt eum in Regem & Dominum Hiberniæ. — Exemplo autem Clericorum, Reges & Principes Hiberniæ receperunt simili modo Henricum, Regem Angliæ, in Dominum & Regem Hibernorum, & homines* (vasalli) *sui devenerunt, & ei, & heredibus suis fidelitatem juraverunt contra omnes homines.* Doctissimo Seldeno loc. cit. videtur, ista omnia non statim a data Pontificis bulla evenisse, sed XVII. annis post. Esto sane. Nos sic animum inducimus, facilius multo & proclivius pervenisse ad regni gubernacula Henricum, quod firmissima benevolentia Pontificis munitus esset. Denique in Annalibus Hiberniæ legitur, quod *Johannes, filius Regis, Dominus Hiberniæ, de dono Patris venerit in Hiberniam anno ætatis suæ duodecimo* (qui erat annus XIII. a prima invasione Henrici II. juxta Seldenum.) In confirmationem tituli, Papa Urbanus III. misit ipsi coronam de pavonum pennis, velut Hadrianus IV. Henrico II. annulum transmisit aureum per Sarisberiensem, smaragdo optimo decoratum; quo fieret investitura juris, in gerenda Hibernia. Superest, ut breviter Hiberniæ Denarium exponamus. Jac. Waræus, Eques Auratus, Disquis. de Hibernia & Antiqq. ejus, cap. 25. nummos quosdam delineavit Hibernicos veteres, & ante Anglorum ingressum procusos, quos opinatur similes minoribus denariis (quasi obolis) cujusdam veteris monetæ & incognitæ, repertis in quodam campo juxta Kilcolyn, de quibus fit mentio in

Archivo fiscali anno XXXIII. Eduardi I. In tanta ignorantia rerum Hibernicarum ante Henrici II. tempora, affirmare tamen oppido licet, ejusdem pretii denarium Angliæ & Hiberniæ non fuisse, rei indicium faciente Rogero de Wendover, & ex eo Matthæo Parisio A. D. 1210. *Præfecerat* (Johannes Rex) *ibidem Johannem de Grey Episcopum Norwicensem Justitiarium, qui denarium terræ illius, ad pondus numismatis Angliæ fecerat fabricari, & tam obolum quam quadrantem, rotundum fieri præcepit. Jussit quoque Rex, ut illius monetæ usus, tam in Anglia, quam in Hibernia, communis ab omnibus haberetur, & utriusq; regni denarius in thesauris suis indifferenter poneretur.*

2.| §. *In Gallia Gregorius VII. Denarium S. Petri exegit, quem Carolus M. dedisse fertur.*

Per Legatos Gregorius in Gallias missos exigendam curavit pecuniam, quam S. Petri Denarium nominabant, a Carolo M. primitus in tribus Galliarum locis indictam, ut Baronio A. C. 1081. n. 27. placet. Summam totius exactionis, mille & ducentas libras, ipse Gregorius exprimit in epistola ad eos scripta lib. 8. ep. 25. non addita quantitate argenti, quam unusquisque amore S. Petri lubens obtulit. Ita profecto comparatum est. *Tentavit Gregorius VII.* (ut gravissimus vir & Antecessor Tolosanus, Alteserra, Dissert. Jur. Can. lib. 3. cap. 12. loquitur) *idem census genus stabilire in Gallia* (quod in Anglia S. Petri Denarius appellatur) *&, ne novum videretur, id repetiit a Carolo M. Qua de re extat ejus epistola ad Legatos missos in Gallias, quæ est XXIII. lib. VIII.* Dicendum autem est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque

quæque domus ſaltem unum denarium annuatim ſolvat B. Petro, & eum recognoſcant Patrem & Paſtorem ſuum, more antiquo : nam Carolus Imperator, ſicut legitur in tomo ejus, qui in Archivio eccleſiæ B. Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad ſervitium Apoſtolicæ ſedis, id eſt, Aquisgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium, excepto hoc, quod unusquisque propria devotione offerebat. *Sed res effectu caruit*, iuquit vir clariſſimis, *& Gallia, Eccleſiæ Romanæ alumna devotisſima, ejusdem cenſualem ſe videri, non tulit.*

3. §. *Idem Gregorius ſuſtinuit Hiſpaniam facere cenſualem. Vectigale conſtituit regnum Arragoniæ Petrus Rex. Nec immunis Portugalliæ Dux fuiſſe videtur.*

Oranda cauſſa Hiſpanica inſignis eſt Laur. Banckius in Tyrann. Papæ, cap. 15. licet ſolita loquentem audiamus Gregorium VII. lib. 1. ep. 7. *Non latere vos credimus, Regnum Hiſpaniæ ab antiquo juris S. Petri fuiſſe, & adhuc (licet diu a paganis ſit occupatum) lege tamen juſtitiæ non evacuata, nulli mortalium, ſed ſoli Apoſtolicæ ſedi ex æquo pertinere.* Mox prohibet eos, qui ſuis armis paganos ejicere conantur, *ſine æqua pactione perſolvendi juris S. Petri.* Eleganter de Gregorii hiſce auſibus Mariana Hiſtor. Hiſpan. lib. 3. c. 5. *Romani Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem reddere cogitârunt: uti argumento ſunt literæ Gregorii VII. ad Reges, Comites, cæterosque Principes Hiſpaniæ, id confirmantes, antiquis temporibus obſervatum, priusquam a Mauris Hiſpania eſſet everſa. Verum iis conatibus nihil eſſe profectum, ſed pari animorum conſtantia itum obviam, rerum eventus declarat, retenta ſemper a noſtris immunitate.* Succedit Arrago-

niæ

niæ Rex, qui A. D. MCCIV. *Romanæ sedi obtulit regnum suum, illudque Pontifici & Successoribus ejus constituit censuale, ut annuatim de Camera Regis CCLV. massemutinæ Apostolicæ Sedi reddantur*, fidem facientibus literis publicis. Summam census polliciti Bernhardus in Chronico, apud Baronium An. Chr. 1097. n. 106. ostendit fuisse ducentarum quinquaginta unciarum auri. Prolixe rem narrat Mariana Histor. Hisp. lib. 11. cap. 2. Pontificem Innocentium III. manu sua coronam capiti ipsius imposuisse, potestatemque dedisse, ut in provincia Reges Arragonii coronarentur, Tarraconensi Metropolitano totius cæremoniæ antistite. Rex, eo beneficio affectus, certum auri pondus Pontifici pendere constituit quot annis, *haud obscure dolentibus* (ait Mariana) *vulgo provincialibus, ab eo initio immunitatis jus iminui, datamq; Pontificibus potestatem occasionemq; Rempublicam in Arragonia turbandi.* Portugalliæ Dux Alphonsus, Lucio II. Pontifice, beneficiarium Ecclesiæ Romanæ se constituit, pacto censu annuo, unciarium auri quatuor; adeptus postea Regis titulum ab Alexandro III. novum censum sibi & posteris imposuit, centum Byzantinorum, si fides adhibenda Innocentio III. lib. 1. ep. 99. Nam refertur apud Marianam lib. 10. cap. 17. A. C. MCXXXVII. altero ante pugnam die (qua quinque Regulorum Maritaniæ signa capta sunt, ex eo tempore Regum Lusitaniæ insignia, quinque minoribus scutis, in clypeo cæruleo, ornantia) Alphonso Regis nomen a militibus acclamatum fuisse, Alexandro III. pontificiam dignitatem A. MCLX. demum assequente. Quales vero Byzantini fuerint, pereru-dite tradit Marq. Freherus de Re Monet. lib. 2. cap. 1. Diviso jam imperio, orientalium Impp. majestas in occidente comiter observabatur. Frequens etiam usurpata est moneta eorum, apud Byzantium cusa, aurea præsertim, per Italiam, Galliam, & Germaniam, quam Byzantios & Byzantinos

dixerunt,

dixerunt, impressa Christi Servatoris imagine, aliquando etiam Virginis θεοτόκου. Horum in Annalibus eorum temporum, bullis, fundationibus, & varii generis instrumentis mentio fit quam frequentissima.

4. §. *Apuliæ & Calabriæ Duci censum numeranti, Reges Siciliæ & Neapolis jungere nunc est animus.*

Apuliam & Calabriam pertinuisse olim ad Byzantinos Imperatores, hac vice non indagabimus, quantumvis Pontificio juri nonnihil obsit ea res. Baronius A. 1059. n. 69. ex Libro censuum, tanquam armario suo sacro, Ducis Roberti Gviscardi juramentum depromit, quo & fidem, & annuam pensionem, Papæ Nicolao II. pollicetur. Audite, in hæc verba adjurat: *Ego Robertus, Dei gratia & S. Petri, Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroq; subveniente, futurus Siciliæ, ad confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terra, quam ego proprie sub dominio meo teneo — promitto, me annualiter pro unoquoq; jugo boum pensionem, scilicet duodecim denarios Papiensis monetæ, persoluturum B. Petro, & tibi, Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus Successoribus tuis, aut tuis, aut tuorum Successorum nuntiis.* Alteserræ Dissert. Jur. Can. lib. 3. c. 13. alio jure, Siciliæ & Neapolis regnum censum præstat Ecclesiæ Romanæ, nempe clientelæ & obsequii feudalis nomine. Quam equidem litem nostram non facimus, referentes saltem ex illo, Constantiæ & Friderico, ejus filio, Siciliæ & Neapolis regna dedisse Innocentium III. sub annuo censu mille Squisfatorum, Ecclesiæ Romanæ pensitando. Jo. Sarisberiensis ep. 159. *Obiit quoque Willelmus, Rex Siculus, cui successerunt filii sui, alter in Regnum, alter in Ducatum Apuliæ,*

& in extremis agens LX. millia florinorum Johanni Neapolitano tradi fecit ad usum Domini Papæ. Filius quoq;, qui ei successit in Regnum, totidem misit. Hinc factum est, ut Innocentius IV. in cap. ad Apostolicæ, de sentent. & re judic. in VI. diceret, Siciliæ Regnum esse speciale patrimonium B. Petri. Ordine rem omnem refert Fr. Guicciardinus lib. 4. licet is locus in plerisque exemplaribus desideretur: *Cum Normanni, quorum primus Guilielmus Ferabrachius est appellatus, ab Imperio Constantinopolitano Apuliam & Calabriam subtraxissent, Robertus Guicciardus* (al. Guiscardus) *ex illa gente unus, sive, ut colore juris aliquo sese muniret, sive, quo adversus eos Imperatores potentia se armaret, sive alia de caussa, Benevento Pontifici, quasi Pontificii juris esset, restituto, Apuliæ Calabriæq; principatum, quasi Ecclesiæ Romanæ fundum, recognovit: cujus exemplum Rogerius, ejus successorum unus, secutus, inde pulso Gvilielmo eadem familia orto, post etiam Sicilia occupata, fere anno salutis MCXXX. barum provinciarum jus a Pontifice accepit, estq; Rex utriusq; Siciliæ, quarum una ultra, altera cis fretum sita est, appellatus.* Originem caussæ, & quam indigne Pontifex Normannorum opera abusus sit, præsertim contra Henricum IV. adhuc juvenem, candidus impertit, quod solet, Sarpius loc. cit. *Il Pontefice* (Gregorio VII.) *che già haueua scommunicato li Normanni, come usurpatori delli Regni di Sicilia e Puglia, si voltò all' ajuto loro, gli consentì tutto quello, perche li perseguitaua, & gli assolse dalla scommunica, e se per questa causa Roberto Rè di Napoli, e di Sicilia, che per innanzi era persecutore del Papa, non si fosse voltato à sua difesa, per far contrapeso all' Imperatore, egli sostentava la sua causa con intiera vittoria, mà per gli ajuti di Roberto, il Pontefice, se ben esule, si sostentò. Et morto quello, per gli ajuti stessi, e di trè Ruggieri dell' istessa famiglia, continuò l'istessa contentione anco con due Successori di Gregorio, — l'ultimo*

timo de' quali, che fù Urbano II. in prèmio delli servitii, prestati dalli Normanni, diede ad un di loro la Bolla della Monarchia di Sicilia. id est: Pontifex (Gregorius VII.) qui jamjam execratione devinxerat Normannos, ipsorum opem imploravit, concessit eis omnia & singula, quorum caussa persequebatur eos, vinculoque anathematis liberavit; si Robertus, Rex Neapolis & Siciliæ, non ita pridem Pontificis persecutor, defensionem ejus in se non suscepisset, ut ad æquilibrium res Imperatoris reduceret, caussam obtinuisset Imperator, evicissetque. Verum, auxilio Roberti, Pontifex, exul quidem, dignitatem suam tutatus est, eoque mortuo, quod superesset illud præsidium, triumque ejusdem familiæ Rogeriorum, lis perduravit inter Imperatorem & duos Gregorii successores, quorum posterior, in præmium a Normannis præstiti servitii, uni illorum Monarchiam Siculam bulla præbita concessit. Acerrime in hanc Siciliæ Monarchiam Cæsar Cardinalis Baronius invectus est, nec rei historiam scribendam suscepit, ita sentiente Ascanio Cardinale Columna Jud. de Monarch. Sicil. Baronii, qui ait, *non minora posse aut pauciora, pari stilo atque orationis libertate* contra Baronium *referri.*

5. §. *Remota petimus. Polonia quoque sedi Romanæ tributum solvit, quod Casimirus, votis monasticis solutus, ad regnum fuerit admissus.*

Prolixior est in enarranda historia hac Baronius A.C. 1041. num.11. utiturque Longini testimonio, quem sincerissimum arbitratur Rerum Polonicarum scriptorem. Casimirus, Cluniaci professus Monachus (in compendio dicendum est) expetebatur a populo Polono in Regem, quem

si nactus fuisset, tranquillarum omnia crediderat. Res ardua difficilisque, nec nisi summi Pontificis gratiosa indulgentia conficienda. Mittuntur Legati ad Benedictum IX. qui eorum gentisque miseriis ac precibus victus, exemit voto Casimirum, ea lege, *ut Polonorum regiones ac Regnum, in signum præstiti beneficii, B. Petro, & successoribus Romanis Pontificibus de quolibet capite Nobilium (capitibus circumscriptis) usualem nummum annis singulis solvere, cæsariem capitis & comam, barbarorum more, non nutrire, sed auribus patentibus, instar Religiosorum Latinarum nationum, tonsuratum caput gestare, & in præcipuis Christi & Virginis matris ejus festivitatibus, panno linteo albo, in stolæ modum dependente, cervicem exornare, perpetuo sit adstrictum.* Congruit Severinus Binius Tom. VII. Concil. Part. pr. in vita Benedicti IX. Et Martinus Cromerus Rerum Polon. lib. 4. non indigna narrat: *In memoriam beneficii, injunctum, ut de singulis capitibus, exceptis Nobilibus, sive Equitibus,* (quod maximopere admiratur Baronius) *& qui sacris addicti sunt, quotannis obolus unus in lucernam, perpetuo in æde D. Petri Romæ arsuram, pendatur, qui etiamnum* S. Petri Nummus *dicitur: tametsi Dlugossus, regnante apud Polonos Vuladislao Loctico, ad hanc rationem vult redactam esse pensionem illam, cum prius tres oboli & cribrum avenæ de unaquaque familia pensitatum esset.* Fas esto, ejusdem testimonium lib. 11. unica adhuc vice adhibere, postquam de defectione Silesiorum paulo ante sermonem fecit. *Retinet etiamnum pleraq; omnis Silesia vestigium vetustæ originis suæ a Polonis deductæ, pensionem, quam S. Petri Nummum vocant — Quæ quidem per illa ipsa Silesicæ defectionis tempora eo redacta est, ut nummus tantum æreus, quem obolum vocamus, in capita quotannis penderetur, cum antea tres oboli, & cribrum avenæ in singulas familias pendi soleret.*

6. §. Sve-

6. §. *Sveciæ & Daniæ regna memorant aliqui censualia. Quorum vero fides leviter fundata est.*

Steuchus lib. 2. c. 120. de Donat. Constant. *Omnes domus Sveciæ solvunt censum Apostolicæ Sedi, singulos denarios.* Mira dictu; sed credenda tamen, si quidem in Annalibus Sveciæ extarent. *At volvantur & revolvantur*, inquit Laur. Banckius, Norcopensis Gothus, de Tyrann. Pap. cap. 16. *historiæ Svecorum; nunquam in iisdem vel apicem, qui huic rei fidem faciet, invenire licet.* Daniæ censum exegit Alexander Papa II. si fides Libro censuum habenda apud Baronium An. Chr. 1062. num. 109. ex quo idem fragmentum petiit Binius Tom. 7. part. pr. ut epistolam III. Alexandri II. conficeret. *Alexander — Suenoni, Regi Danorum. — Quapropter prudentiam tuam admonemus, ut censum regni tui, quem Prædecessores tui sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis & Successoribus nostris transmittere studeat: Ita tamen, ut non sicut oblatio, in altari ponatur, sed, ut supra diximus, tam nobis, quam Successoribus nostris, ut certius approbetur, præsentialiter offeratur.* Res consequentes & circumstantes deficiunt. Nil verbis opus est. Cencius Camerarius fertur esse codex Bibliothecæ Vat. quo superbit Baronius An. Chr. 1076. num. 65. quando conatur lectori persuadere, Croatiæ Dalmatiæque Ducem censum CC. Byzantinorum permisisse Ecclesiæ Romanæ, præsertim cum Gregorii VII. ope, Regis & titulo & honore mactatus sit. Verum, incerta isthæc non cupimus certa facere. Et Bohemia censualis ex eo non apparet, cum Steuchus Eugubinus lib. 2. c. 103. nugetur, Spiciomenum, (rectius Spitihnæum) Bohemiæ Ducem, diade-

diadematis uſum a Nicolao Pontifice impetrâſſe, pro centum librarum annua penſione.

7. §. *Accedit ex abundanti, illuſtres cœnobiorum fundatores cenſum B. Petro conſtituiſſe.*

Geraldus, Comes Aureliacenſis, cœnobium B. Petro poſuit, in proprio fundo, cenſumque dixit. Odo Cluniacenſis, lib. II. vit. ejusdem Geraldi, cap. IV. citante Alteſerra Diſſert. Jur. Can. lib. 3. c. 11. *Romam profectus eſt, & Aureliacum, inſigne prædium, B. Petro, Apoſtolorum principi, facto ſolenniter teſtamento, delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ Monachis, quos ibidem congregare diſpoſuerat, ad omne ſtipendium ſufficere poſſent: cenſum quoq; delegavit, qui ad urnam B. Petri annuatim redderetur.* Fundator monaſterii Vindocinenſis, cenſum B. Petro XII. ſolidorum ſingulis annis pendere promiſit. Vindocinenſis Abbas Goffridus lib. 1. epiſt. 9. gratulatur ſibi, incrementum cepiſſe monaſterii res, cum *tempore Prædeceſſorum, Romana Eccleſia vel debitum cenſum, duodecim ſcilicet ſolidos, per annum vix inde habere potuerit.* Idem repetit epiſtola XIII. ad Calliſtum. Tabulas fundationis affert Jac. Sirmondus in Notis: *Abbas vero, qui alodiarius B. Petri eſſe dinoſcitur, matrem ſuam Romanam Eccleſiam per ſingulos annos, aut per ſe, aut per Legatum ſuum viſitare ſtudeat, &, ſi majorem caritatem non fecerit, cenſum ſaltem XII. ſolidorum, ad concinnanda luminaria, ante venerabile corpus beatiſſimi Petri, ibi perſolvere non negligat.* Poſſidemus exemplar harum epiſtolarum eruditiſſimi viri, Johannis de Laët, quibus manu ſua adſcripſit judicium cenſuramque: *In omnibus his epiſtolis, paucis exceptis, videre eſt, quæ contentiones*

nes propter res temporales, inter Clericos & Seculares; item Monachos & Episcopos viguerint: & quomodo excommunicationibus & interdictis, tanquam gladiis, inter se conflixerint; ita, ut vix operæ pretium fuerit has legisse. Hirsaugiense monasterium in Germania nostra extruxit Adelbertus Comes, & Apostolicum privilegium acquisivit, *& constituit, ut unus aureus, quem Bysantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab Abbate prædicti monasterii in Pascha persolvatur,* referente Trithemio in Chron. Hirsaugiensi ex tabb. Henrici IV. A. MLXXI. Ex quo liquere, concludimus cum doctissimo Hachenbergio Germ. Med. Dissert. X. tenacissimum nummi Byzantini fuisse usum apud Germanos, cum propria pecunia jam usi fuerint, & Cæsarum CPtanorum autoritas per Italiam concidisset. S. Michaëli Comites de Hurmingen monasterium Ordinis S. Benedicti, in valle Albertina, nomine *Hugonis Curiæ*, Germanice *Hugeshofen*, fecerunt in Alsatia, & a Sixto Papa libertate donari curaverunt, excepto Cameræ Apostolicæ annuo Marmotino, hoc est, denario aureo, ut narrat Albertus Argentinensis in Chronico, *qui noscitur bene a Curia, & est minoris, quam parvulus florenus de Florentia.*

8. §. *Alia religione Daci colunt S. Petrum, qui intra defunctorum suorum dentes nummum deponunt, ei persolvendum. Russi literas addunt, ocyus exhibendas.*

Russis & Moscovitis Daci, si cultum divinum spectes, per omnia accedunt, & præterea (quod Moscovitæ non solent) intra mortui dentes nummum collocant, quem dependat is S. Petro, Tröstero in Dacia sua autore lib. 4. c. 6.

Post-

Postquam e vivis excesserunt Russi, ab Archiepiscopo ornantur literis, quas S. Petro præmonstrent, quo, nulla mora intercedente, cœli palatia subintrare valeant. Exemplar literarum deridicularum Macariæ, Archiepiscopi Kiofensis in Rutenia, exhibet Christ. Matthias in Syst. Politico lib.3. exerc. 4. sect. 4. Haud absimilem Dacorum nummum existimaverit quis illi, de quo Casaubonus ad Strabonem, lib. VIII. quem Aristophanes δανάκην vocat, (ut habet auctor Etymologici, quod daretur τοῖς δανοῖς, hoc est, mortuis; sed improbat hanc vocis originem Salmas. de Usuris, cap. XV. & Pollux aperte tradit, nummum esse Persicum) cranii rictui dentibusque inditum, ut Lazio lib. 3. Comment. de Reg. Rom. c. 18. videtur, quo expedite magis animæ a Charonte transveherentur, tantillo pretio soluto. Apposite Henricus Spondanus, de Cœmit. sacr. lib. 1. part. c. 1. 11. n. 2. de more Græcorum, *quo solebant defunctorum ori nummum quendam inserere, quem Charonti portitori pro naulo solverent, & qui eum non ferrent, errare cum insepultis credebantur.* Lucianus eum plerumque *obolum* vocat, sicut Diodorus Siculus, Aristophanes, alii. Apulejo *stips* dicitur, Propertio *æs*, Juvenali *triens*. Virgilius *inopem turbam* nominat *inhumatam*, quod non daretur inopibus Stygiam paludem transire, præterquam, qui ea loca incolebant, unde brevis ac pronus ad inferos descensus esse putabatur. Svetonius in Aug. c. 57. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis, ex voto, pro salute ejus stipem jaciebant.* Lacus, puteos, loca hominum opinione sacra, coluisse Romanos, ob inanem Deorum timorem, censet If. Casaubonus in h. l. Torrentius arbitratur, eos credidisse, patere isthic hiatum ad inferos; redderent igitur propitios Deos Manes, darentque stipem pro salute etiam viventis.

CAP.

CAP. III.

Caussæ, propter quas sua obtulerunt Principes, Patrimonia Apostolorum, & denique Petri Britannicum Romanumque iter examinantur.

1. S. *AD pietatem declarandam B. Petro, aliisq; Sanctis, Principes obtulerunt terras suas; arbitrati, firmiter stabilita & perennia fore omnia, quorum S. Petrus custos esset protectorq;.*

DE pietate Principum, vel potius opinione, quæ modus quidam religionis est, dicetur amplius. Gregorii VII. epistolam ad Demetrium, Russorum Regem, in medium profert Baronius An. Chr. 1075. n. 27. 28. qua perhibet, filium Regis *regnum dono S. Petri, per manus Pontificis, velle obtinere, eidem B. Petro, Apostolorum principi, debita fidelitate exhibita.* His adjicit Cardinalis, exemplo isto intelligere nos debere, quo pacto contigerit plura regna oblata reperiri Apostolicæ Sedi. *Christiana Regum pietas efficiebat, ut persuaderent sibi illi, magis protectione S. Petri, principis Apostolorum, quam armis Regna defendi; offerrent illa eidem S. Petro, a quo, & per successorem ipsius, Romanum Pontificem, acciperent illa in feudum, præstito juramento fidelitatis eidem.* Duo sunt, quæ heic cognoscere & animadvertere oportet: A primo Russiæ domino usque ad A. MDXIV. neminem illorum Principum alium,

quam

quam Ducis, vel Magni Ducis titulum ſibi adſcripſiſſe, Banckio de Tyrann. Pap. cap. 16. in eam rem citante Sigismundum in Hiſt. Ruſſorum. Deinde, nullum Moſcoviæ ſeu Ruſſiæ Ducem, Demetrii nomine, illo tempore appellatum fuiſſe. Cl. Alteſerræ Diſſert. Jur. Can. lib. 3. c. 13. ad diſpiciendam veritatem non videtur offuſa caligo, affirmanti, *in ſignum devotionis quamplures chriſtiani orbis Principes ſe & ſua commendaſſe Eccleſiæ Romanæ.* Immo, inficias ire non poſſumus, priſcis temporibus eveniſſe ſane aliqua, quæ non eveniſſe ſatius fuiſſet. Multum mortalia pectora cœcæ noctis habebant; unde tot Protectores & Patroni regionum & urbium, quos nunc recenſere animus non eſt, tempusque deficit. Alio reſpectu quidam dono dederunt bona ſua Eccleſiæ. Sic memoratus ſæpe Sarpius: *Molti di poco potere, deſideroſi aßicurare il ſuo dalle violenze, ne faceuano donatione alla Chieſa, con conditione, che ella glielo deſſe in feudo con una leggiera ricognitione.* i. e. Multi propter ſuam impotentiam, deſiderantes ſua a vi liberare, donârunt ea Eccleſiæ, addita conditone, ut ab ipſa in feudum tenerent, cum modica compenſatione.

2. § *De Patrimoniis Apoſtolorum hac occaſione dicere nihil prohibet, quæ non ſoli Petro, ſed & Paulo attribuuntur.*

Olim a Byzantinis Imperatoribus templo Petri & Pauli Romæ, talenta tria cum dimidio numerabantur, quæ Patrimonii Apoſtolorum nomen ſubierunt, tandemque Leo Iconomachus prohibuit, ne amplius redderentur. Cedrenus in ejus Geſtis: τὰ δὲ λεγόμενα πατριμώνια τῶν ἐν Ῥώμῃ ναῶν, τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων Ἀποςόλων ἔκπαλαι τελούμενα, τάλαντα τρία ἥμισυ, τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. *Patri-*

monia

monia vero templorum Romæ principibus Apostolis consecratorum, quæ olim pendebantur, talentorum trium & semis, in publicum redigi præcepit. Salmasius in Apparat. ad libb. de Primat. evincit, Patrimonia illa Calabriæ & Siciliæ Leonem in fiscum intulisse iratum, quod Gregorius II. Papa totam cum Roma Italiam fecisset deficere, ac liberâsset sacramento Senatum Romanum, omnesque Italiæ populos. Theophanes in Chronico meminit τῶν ταλάντων χρυσίου, *talentorum auri*, utrique Apostolorum principi solutorum. Sarpius in libro, quem scripsit de Beneficiis, subducit summam, cui responderint tria & semis talenta, contenditque, adeo amplam non fuisse. *Non riceveua la Chiesa Romana tanto grandi entrate dalli Patrimonii suoi, quanto alcuno crede; imperoche narrando le Historie, che Leone Isauro confiscò li Patrimonii di Calabria & Sicilia, fanno mentione, che rendevano d' entrata trà tutti, trè talenti d' argento e mezzo d' oro, che fanno in nostra moneta, per non far minuto conto sopra la varietà delle opinioni, quanto precisamente risponda ad un talento, somma non maggiore di 2500. scudi: & il Patrimonio di Sicilia molto ampio non pagaua più di 2100. scudi.* Tantos reditus ecclesia Romana non percipiebat e Patrimoniis suis, quantos quis crederet. Dum enim Historiæ narrant, quod Leo Isaurus confiscaverit Patrimonia Calabriæ & Siciliæ, ostendunt, in universum argenti talenta tria & auri dimidium præbuisse; quæ, si monetam nostram conferas (ne, ob sententiarum diversitatem, subducamus ad nummum, quanta pecuniæ vis exacte unum talentum adæquet) summam efficiunt utique non majorem, quam 2500. coronatorum: Et amplissimum Siciliæ Patrimonium, ultra 2100. coronatos neutiquam persolvit.

3. §. *Sub hac tempora bona Ecclesiæ in Italia vocabantur Patrimonia; verum sine ulla potestate juris, quod esset vel Pontifici, vel Ecclesiæ Romanæ.*

Operæ pretium fuerit hoc notâsse, ne quis in animum inducat, Patrimonii vocem supremum aliquod dominium significare. Possessiones cujusque familiæ, posteris relictæ, tunc dicebantur Patrimonium: postea Patrimonia dici cœpta sunt, quæ liberalitate Principum fideliumque aliorum, Ecclesia sibi acquisivit, præsertim, cum Papæ, ut Salmasius loc. cit. censet, Imperium occidentis affectarent; quoniam & Imperatores Romani sua patrimonia habuerunt, ad differentiam aliorum, *Sacra* dicta *Patrimonia*. Non negat Sarpius, eadem de caussa bona Ecclesiæ Patrimonia fuisse appellata, quod essent ei propria, non secus ac illa, quæ posteris a majoribus obtingerent; hinc, ait, in epistolis S. Gregorii, non tantum Patrimonii Ecclesiæ Romanæ fit mentio, sed etiam Patrimonii Ecclesiæ Ariminensis, Patrimonii Ecclesiæ Mediolanensis, & denique Ravennatensis. Veniam petimus, verbisque ejus denuo utimur: *Alle Chiese poste in città di habitatori di fortune mediocri, non erano lasciate possessioni fuori del suo distretto, mà à quelle delle città Imperali, come Roma, Rauenna, Milano, doue habitauano Senatori & altre persone illustri, erano lasciate in diverse parti del mondo. Fà mentione S. Gregorio del Patrimonio della Chiesa di Rauenna in Sicilia, e d' un' altro patrimonio in Sicilia della Chiesa di Milano; la Chiesa Romana haueua patrimonii in più parti del mondo. Si fà mentione del patrimonio di Francia, di Africa, di Sicilia, delle Alpi Cottie, e di molti altri — Per far anco rispettare le possessioni della Chiesa maggiormente, soleuano darli il*

nome

nome del Santo, che quella Chiesa haueua in speciale veneratione. Così la Chiesa di Rauenna nominaua le possessioni sue di S. Apollinare, e quella di Milano di S. Ambrosio, e la Romana diceua il Patrimonio di S. Pietro in Abbruzzo, il Patrimonio di S. Pietro di Sicilia &c. al modo, che à Venetia le publiche entrate si chiamano di S. Marco. i.e. Ecclesiis, quæ sitæ sunt in civitatibus, quarum incolæ sortis tenuioris, extra illarum ambitum bona concessa non fuerunt; Ecclesiis vero civitatum Imperialium, Romæ, Ravennæ, Mediolani, ubi degebant Senatores & Illustres Viri alii, in diversis mundi partibus indulgebantur. Meminit S. Gregorius Patrimonii Ravennatensis Ecclesiæ in Sicilia, alteriusque Patrimonii, in Sicilia, Ecclesiæ Mediolanensis. Romana Ecclesia possidebat Patrimonia in compluribus orbis terrarum plagis, velut in Gallia, Africa, Sicilia, Alpibus Cottiis, multisque locis aliis. — Et, quo majorem dignitatem possessionibus ecclesiasticis conciliarent, imponebant iis nomen Sancti, quem Ecclesia illa præcipua veneratione colebat. Sic Ravennatensis Ecclesia bona sua S. Apollinaris appellavit, Mediolanensis S. Ambrosii, & Romana esse dixit Patrimonium S. Petri in Samnio, Patrimonium S. Petri in Sicilia &c. ea plane ratione, qua reditus publici Venetiis, S. Marci vocantur. Non est sane incredibile, viris in Republica claris gravissimum & sanctissimum pietatis nomen semper fuisse, ut ubique gentium matris Ecclesiæ commodis prospicerent.

4. §. *Superest, ut perscrutemur, an Petrus in Britannia docuerit, quandoquidem aliqui testes reperiuntur illius rei; sed non admodum probi. Dehinc existima-*

mus, Lucium Regem, sola fidei fama motum, Christo dedisse nomen.

Olim proderit huic negotio aliquid impendisse operæ, quando non desistunt fautores, hinc quoque Petro adstruere, quod nulli possunt; ut laborent incassum. Sermonem plane doctum Franciscus Godwinus commentario de Præsulibus Angliæ præmisit, inquirens in conversionem Britanniæ ad christianam religionem. Et, ne diffiteamur, unde profecerimus, capite I. examinat opinionem quorundam, omnibus ingenii nervis contendentium, Petrum, ut ecclesiæ Romanæ primum Pontificem, sic Britannicæ primum fundatorem extitisse. Arbitramur itaque, non præter rem fore, si monstraverimus, infirma esse testimonia, queis in probanda assertione utuntur. Primum est Simeonis Metaphrastæ, quod non vereatur quis conferre cum Baronii, A.C. 44. de hoc scriptore, judicio: *Sicut in aliis multis ibi a se positis errare Metaphrasten certum est, ita & in his hallucinatum esse constat.* Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. fatetur, *a Metaphraste, scriptas fuisse historias de Vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed, ut geri potuerunt.* Ne quid porro dicamus, quare fidem ejus vocet in dubium. Innocentii canone (Epist. ad Decent. dist. 11. c. Quis nesciat) si quis niti velit, ferre possumus, dummodo sibi ipse videatur feliciter illo uti. Instant: Maxima rei documenta habemus. Gildas Britannus in opusculo, cui titulus, In ecclesiasticum ordinem Acris Correptio: *Multos habere suam Britanniam, præcepta Christi spernentes & suas libidines votis omnibus explere amantes, Sedem Petri Apostoli immundis pedibus usurpantes, sed merito cupiditatis in Judæ traditoris pestilentem cathedram desidentes.* Nescimus, quid sibi animadvertisse credant; cum nihil aliud

aliud ſibi velit Gildas, *quam tales hypocritas, qui cupiditatibus ſuis ædificationem regni Chriſti poſtponunt, Judæ potius proditoris, ſive (ut poſtea dicit) Nicolai, immundi hæretici, ſucceſſores videri, quam Petri, vel alterius Apoſtoli.* Amplius, quam abhorret a ratione, itineris Petri ad toto diviſos orbe Britannos mentionem intermitti, cum reliquorum Apoſtolorum labores diligenter literis conſignati fuerint, ſolumque fluxæ fidei hominem, Metaphraſten, hoc agere, qui demum ſeculo IX. vixit, ex Baronii, Bellarmini & Poſſevini mente; Philippus Labbé, Tom. 2. Diſſ. Hiſt. de Script. eccleſ. ſeculo X. alligandum putat. De cætero conſtitutus fuit in loco remotiore Conſtatinopoli, officio Logothetæ functus, nec ſolerter res Britannicas indagare potuit. Sed, fingamus ita eſſe, Petrum luſtraſſe Britanniam; nova difficultas oritur, cum conſentiant inter ſe Baronius, & qui cum ipſo faciunt, ea tempeſtate Claudium Judæos urbe pepuliſſe. Unde, ſi Metaphraſtæ credimus, recta perrexit in Africam; ſi autem Onuphrio Panvinio, in Annot. ad Platinam, vit. S. Petri, *Petrus Roma exire coactus, Hieroſolymam reverſus eſt.* In Godwini ſententiam diſceſſionem fecit immortalis gloriæ Eques, H. Spelmannus Tom. 1. Concil. in Apparatu de Exordio chriſtianæ religionis in Britanniis, cum glorioſum imprimis duceret, a tam inclyto nobilique Parente, ſpiritualis cognationis originem trahere; niſi & ratio, & fide dignorum teſtium inopia obſtaret, ita, ut incredibili ſententiæ ratiunculas ſuggererent ii, quibus adverſa mens eſt. Lucii Regis converſioni præmittimus, quod aliqui opinentur, ultra vallum Britannicum (nam murum non fuiſſe, docet Beda lib. I. Hiſt. Eccleſ. cap. V.) in ea parte, quæ Albania appellatur, Lucium imperâſſe, quamque Britanni libere poſſederint, ut Britanniæ totius, vel majoris ejus partis Rex nunquam fuerit. An vero monente Eleutherio Pontifice Luciu fidei chriſtianæ ſacris ſit imbutus, ei ſtamus ſenten-

ſententiæ, fabulam & fictam rem eſſe, quæcunque afferunt ex Ninio: *Poſt centum & ſexaginta ſeptem annos* (juxta antiquiſſimum exemplar Cottonianum, nam communiter Anno Dominicæ Incarnationis CLXIV. legitur) *Lucius Britannicus Rex, cum omnibus Regulis totius Britannicæ gentis, baptismum ſuſcepit; miſſa legatione ab Imperatoribus Romanorum, & Papa Romano Evariſto.* Perturbata & confuſa cernimus. Nec magis certa ſunt, quæ ea de re ſcribit Fabius Quæſtor Ethelwerdus lib. 1. Annal. Eleutherium per nuntium & literas, Lucium, Inſulæ Regem, adiiſſe, quo admoneret eum de fide & baptiſmo catholico. Diſcedimus igitur in viri ſummi, Vſſerii, de Britann. eccleſ. Primord. c. 4. ſententiam, antiquiores autores, quod a legatis Regis Anglorum in Concilio Baſileenſi propoſitum eſt, potius confirmare, Lucium, *audita ſola fidei fama, non evocatum, non alicujus prædicatione inductum, miſiſſe ſuas epiſtolas ad Papam.* Congrue autor libri Pontificialis (quem Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Anaſtaſio Bibliothecario tribuit, ſed perperam; Labbeo Tom. 1. Diſſert. Hiſt. de Script. eccleſ. viſus MS. codex melioris notæ, Caroli M. tempore exaratus) in vita Eleutherii: *Hic accepit epiſtolam a Lucio Britannico Rege, ut chriſtianus efficeretur per ejus mandatum.* Rem totidem pene verbis repetierunt Luitprandus Ticinenſis, Abbo Floriacenſis, in Vitis Pontificum, nec non Beda & Adoviennenſis in Martyrologiis, ad IIX. Calendas Junii. Similiter Beda in Hiſt. eccleſ. gentis Angl. lib. 1. cap. 4. *Britannorum Rex Lucius epiſtolam miſit ad Eleutherium, obſecrans, ut per ejus mandatum chriſtianus efficeretur.* Commonſtrare denique certum eſt, cum ipſe Rex literas ad Papam dederit, ſola fidei fama permotum fuiſſe. Thomas Rudburnus ſenior in Chron. minor. & Hiſtoriolæ Wintonienſis collector hanc tantummodo occaſionem commemorant, quod *famam chriſtianitatis*

tatis audisset Lucius. Autor Historiæ Archiepiscoporum Eboracensium, circa A. C. M.CCCC.LX. scriptæ: *Audivit cæteras nationes fidem Christi suscepisse.* Liceat Usserii labore loc. cit. adhuc frui, postquam negotio huic mire satisfecit. Chronicon Giseburnense habet: Applicuisse animum ad fidem christianam, quod *audisset de miraculis Domini nostri Jesu Christi, & de prædicatione Apostolorum.* Radulphus Niger in Chron. *Vates quidam paganus in Britannia Dominicam nativitatem prædixerat: unde Rex Lucius Romam pro orthodoxæ fidei doctoribus misit.* Luculenter admodum in libro Abingdoniensi dicitur: *Lucium audita fama & sanctitate prædicatorum in urbe Romana tunc temporis degentium, nuncios suos cum literis suis patentibus ad venerabilem Papam Eleutherium destinavisse quantocyus, rogantem devotissime & supplicantem attentius, quatenus per mandatum & voluntatem ejus christianus efficeretur.* Sane, non possumus non cum Fr. Godwino de Convers. Brit. cap. 3. concludere, Lucium a suis Britannis ad fidem christianam prius perductum, quam ad Eleutherium quenquam mitteret, sibique fortassis gloriæ etiam duxisse, ab urbe, gentium domina, mutationis instrumenta petere.

5. §. *Satis certo constat, neque in Anglia fuisse Petrum, neq; ex illa petiisse Romam. Relinquitur saltim quæstio, an Romæ fuerit. Chemnitius concedit, Petrum fuisse Romæ. Dubitat Gerhardus.*

In Apparatu ad libb. de Primatu Cl. Salmasius pro viribus hoc agit, ut ostendat pedem urbi Petrum non intulisse;

tulisse; ratus, invictissimo se uti argumento, cum instet atque urgeat, Petro Gal. 2, 7. τὴν ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς commissam, adeo, ut operæ pretium nequaquam fecisset, si petiisset Romam, ubi aut nulli, aut pauci admodum Judæi, a Claudio urbe pulsi. Cardo rei in eo versatur, ante annum Claudii quartum, Palæstina Petrum non excessisse. Quod probatur utique. Nam annum Agrippæ ultimum, quo Petrus in carcerem conjectus est, Eusebius in Chronico, Scaliger, & Chronologi omnes, combinant cum quarto Claudii; nec doctissimus Valesius Not. ad Euseb. lib. 2. cap. 16. diffitetur, convenire inter omnes. Igitur, cum indubium sit ex Actis Apostolorum, egisse tunc Petrum adhuc in Palæstina, Romam proficisci nondum potuit. Illi graviter impingunt, qui existimant, verba Act. XII, 17. ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον, de Roma esse accipienda; ratione enim destituuntur omni. Fingamus, Romam eo tempore delatum esse, trahit tamen ista opinio secum sua incommoda, si Petrus Romanam cathedram per annos XXV. exornavit, & martyrium, Neronis decimo tertio passus est; ut silentio involvamus, septem annis Ecclesiæ Antiochenæ præfuisse. In Synodo Hierosolymitana Act. 15. Petrum adfuisse præsentem, plane constat, accedimusque literarum & antiquitatis peritissimo viro, Friderico Spanheimio F. in Dissertationum historici argumenti Quaternione, Diss. 1. §. 20. referenti Concilium ad annum Claudii XIII. Christi circiter LIII. Verum, isthoc modo, si tum quidem Romam venerit Petrus, minime respondet numerus XXV. annorum Pontificatus summi, quem ipse gessit; nisi sub Vespasiano vel Tito mortuum putent Catholici, & proprio molimine fundamenta evertant. Certamen Petri cum Simone mago ad veritatem breviter revocabimus. Illis non assentimur, qui Simonem sub Tiberio Romam venisse sentiunt; placet vero Joh. Henr. Otto Quæst. Theologico-

hist.

hiſt. An, & quando B. Petrus fuerit Romæ? ſub Caligula cœpiſſe ejus hæreſin, circa annum a Christo paſſo VI. a nativitate XXXIX. Vana quoque videtur eorum narratio, qui ſibi perſuadent, Petrum Simonem ubiq; ſecutum, venena ſua ſpargentem latius, & tandem Romæ cum eo publice conflictatum, pro veritate religionis chriſtianæ dimicâſſe; nam in Samaria Petrus devovit Simonem, quod ex Act. VIII, 20. liquet. Attamen plerique veterum Patrum tradiderunt, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Cyrillus, Euſebius, aliique, ſtatua & ara a Romanis Simonem magum fuiſſe honoratum, quæ poſita ei fuerit in Inſula Tiberina, inter duos pontes. *Hunc errorem omnino hauſerunt*, inquit Salmaſius Appar. ad libb. de Primatu, *ex ſimilitudine nominis* Semonis & Simonis. *Nam in illo ipſo loco, avorum ætate, reperta eſt ara, dedicata* SEMONI SANCO, *quem illi pro Simone mago acceperunt.* Ita laudatus Spanhemius loc. cit. Diſſert. 1. § 10. docet, non *Simonem Sanctum* Romæ cultum, ſed *Semonem Sancum*, & ſtatuam inſcriptam fuiſſe *Semoni Sanco, Deo Fidio*, non *Simoni Sancto*. Semo Sancus Sabinorum erat Numen, feriendorum præſes fœderum, *in quo Juſtinum cum populares Samaritani, tum ignorantia Romani uſus deceperunt.* Franciſcus Maria Florentinus, qui *Marcelli*, Simonis primum, deinde Petri diſcipuli, Hiſtoriam, ex Paſſionali vetere, ante quingentos annos deſcripto, integram exhibuit, continentem ſcilicet plura veritati conſona, ac non prorſus rejiciendam, faſſus tamen eſt, *non aſſerere ſe hanc hiſtoriam certisſimæ fidei.* Nec volumus, nec poſſumus etiam præterire ſenſum verborum ſub finem prioris epiſtolæ Petri, ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου. Legitur apud Salmaſium Appar. ad libb. de Prim. hanc Babylonem de Roma pleroſque omnes Patres interpretatos eſſe; quo argumento invaluerit opinio veterum, Petrum fuiſſe Romæ. Hinc in quibuſdam ve-

tuſtis exemplaribus additum eſt illi epiſtolæ, miſſam eſſe ἀπὸ Ῥώμης. *Quod vero falſiſſimum eſſe nemo non videt, cum de vera Babylone intelligendum ſit hoc nomen, & nulla ratio ſuadeat, allegorice Romam ſic placuiſſe Petro vocare.* Conſtat, nomina locorum in Epiſtolarum inſcriptionibus, ſalutationibus, & clauſulis adhiberi proprie I. Cor. I, 2. I. Cor. XVI, 19. Coloſſ. IV, 16. Dubium autem controverſumque eſt, ſitne illa urbs Babylon Chaldæorum, an Ægypti, ſive Arabiæ. Prius non pauci affirmant: poſterius arridet doctiſſimo Ottoni loc. cit. Nec pauca videntur ſuadere, Babylonem Ægypti potius innui a Petro, quam Chaldaicam vel Aſſyriacam. Rationes colligit vir omni laude noſtra major Spanhemius: Claudii tempore, quo Petrus ſcripſit, obſervârunt viri docti ex Curtio, Plinio, Pauſania, Chaldaicæ Babylonis præter nomen, & humiles quasdam caſas, aut parum, aut nihil ſuperfuiſſe; cum ex adverſo Ægypti Babylon eniteſceret. Quin immo Annalium ſcriptor melius ſentire potuiſſet de eadem, quam vix oppidi nomine dignam judicat. Teſtimonium perhibere volumus Ptolemæum lib. 4. cap 5. an usque adeo incognita fuerit Babylon. Sic ille: καὶ ἐν μεθορίῳ Ἀραβίας καὶ Ἀφροδιτοπόλεως, Βαβυλών, *& in finibus Arabiæ & Aphroditi, Babylon.* Joſephus, viam Iſraëlitarum, Ægypto exeuntium, deſcripturus: Βαβυλὼν δὲ ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον *Babylon poſt eo loco condita eſt, Cambyſe Ægyptum devaſtante*, unde & a Perſis nomen illi inditum. Strabo Geogr. lib. 17. Babylonem prope Memphim, vocat φρούριον ἐρυμνὸν *caſtrum munitiſſimum*, quod etiam in Babylone eſſet Romanarum legionum una τῶν φρουρούντων τὴν Αἴγυπτον. In Antonini Itinerario, aliis Æthici Coſmographia, ubi fit mentio itineris a Peluſio Memphim, per partem Arabicam, Babylonia collocatur inter *Aphroditem, Scenas Meandras*, & *Helin* ſeu Heliopolim. Notitia Imperii, inter Memphim & Peluſium

sium mediam ponit; Geographorum tabulæ Babylonem ad Nilum collocant, in angulo Delta, e regione Memphis veteris. Breviter strictimque multa dicit diligentissimus locorum explorator, Petrus a Valle, Itin. part. 1. cap. 22. *Ut, quod verum est, fatear, existimo, Cairum a principio semper extitisse eo loci, ubi nunc est Novum; & Vetus Cairum esse antiquam Babylonem Ægypti, olim Coloniam Chaldæorum, post occupatum hunc ab Ægyptiis tractum, ut Strabo & Diodorus referunt.* De cætero Ægypti Babylon, Palæstinæ, præ illa Chaldaica, multo est propior, ut Petrus commode magis literas ad Judæos Asianæ vel Græcanicæ dispersionis exarare potuerit: & ingens multitudo Judæorum in Ægypto vixit, quorum Petro cura. Si Marcus, quem memorat Petrus ad calcem epistolæ, fuerit Marcus Evangelista, veteres uno ore testantur, constanter egisse in Ægypto, jam inde a II. Claudii ad Neronis IIX. vel, secundum Eutychium, Patriarcham Alexandrinum in Origg. eccl. suæ, usque ad I. Neronis. Sic se res habet. Nos cuique liberum relinquimus, quas velit sequi rationes, dummodo Babylonis vocem non transferat, & quasi alieno in loco collocet. Ad postremum toti narrationi de Romano Petri itinere, assensum vel negârunt, vel certe rem omnem suspenderunt J. Baptista Mantuanus, Michaël Cæsenas, Marsilius Patavinus, Joh. Aventinus, Joh. Lelandus, Carolus Molinæus, teste Spanhemio loc. cit. §. 2. Fatemur tamen, atque etiam profitemur, non absolute, Petrum Romæ fuisse, nos negare; sed argumenta partis adversæ, fidem caussæ suæ & autoritatem non adjungere, persuasos esse. Firmamentum in duobus insignibus Ecclesiæ nostræ viris ponimus. Chemnitius enim in Harm. Evang. cap. 50. donat ita esse, Petrum urbem victricem fuisse ingressum. Hæret adhuc Gerhardus Confess. Cathol. lib. 2. p. 1. artic. 3. cap. 3. relinquens rem in medio, quando non conficitur ex necessaria

consequentia hæc conclusio: Sedem primariam constituit, Urbis Episcopus factus est, cum ipse Romæ fuerit. Satis indultum est historiis, & rerum gestarum vel expositioni, vel demonstrationi. Nunc, ut posteriorem ordiri possimus, huic sectioni finem facimus.

SECTIO POSTERIOR.

DEnarium S. Petri eleemosynam tantum esse, vetustas monumentorum evicit. Nunc vehementer omni studio atque opera elaborandum est, ut planum faciamus, Romanenses Petri autoritate frustra sese munire, quasi eidem concessum foret Imperium totius Christiani orbis, cui tanquam supremo domino vectigalia & tributa, tutelæ & obsequii gratia, essent pendenda. Quapropter hæc sectio tractabit sacra, & Petri prærogativas exponet, cum æquatione dignitatis Pauli. Deinde S. Codicis loca, Monarchiæ ecclesiasticæ speciem præ se ferentia, intentis oculis contemplabimur: tandemque finem opellæ huic imponent denarii, quorum mentionem infert Novum Testamentum. Præiverunt viri summi, quorum vestigia legere, & jucundum est, & utile. Sic verum sine ulla contentione inveniemus, vel perscrutabimur inventum.

CAP: I.

De Petri prærogativis, cui Paulus æquatur.

1. §. *Petrum primæ sedis Apostolum vocare,*

nihil

nihil prohibet; immo κεφαλὴν τῶν Ἀποστόλων.

LOquimur autem cum Barlaamo Monacho de Papæ Principatu cap. 2. Λέγομεν, ὅτι τὰ μὲν πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἰσότιμοι πάντες ἐτύγχανον· τῆς δὲ ἱερᾶς αὐτῶν δωδεκάδος ὁ μακάριος Πέτρος ἐξῆρχετο, τοῦτο πλέον τῶν ἄλλων ἔχων, τῶν ἄλλων παρόντων, αὐτὸς τῆς διδασκαλίας ἡγεῖσθαι, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἴσως ἀξιοῦσθαι. *Omnes quidem Apostolos*, (Joh. Luydo interprete) *quod ad Ecclesiam attinet, pari eodem plane fuisse honore; sacri autem illorum duodenarii numeri Principem B. Petrum fuisse, asseveramus. Hac scilicet in re cæteris superior, quod aliis præsentibus, primas ipse docendi partes obierit, ac fortasse etiam primo loco sederit.* Vocatur Petrus a veteribus κεφαλὴ τῶν Ἀποστόλων *caput Apostolorum*, illo tamen sensu, quo egregiis muneribus ornati *capita* dicuntur. Matthæus cap. X, 2. per πρῶτος effert. Paulus ab ipso Gregorio Romano honoratur nomine *Capitis nationum, obtinentis totius Ecclesiæ principatum*; parique ratione Antiochia Chrysostomo Hom. V. ad pop. Antioch. est *caput orientis* τῶν ὑπὸ τὴν ἕω κειμένων κεφαλὴ, urbs prima & præcipua, non domina. Photius in Nomocanone Tit. I. c. 5. ὅτι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν κεφαλή ἐστιν ἡ Κωνσταντινούπολις, *quod omnium ecclesiarum caput* (primaria) *sit Constantinopolis.*

2. §. *Petrus Christi vicarius est: & reliqui Apostoli fuerunt. Tulit in quibusdam partes præcipuas, verum proprias suæ personæ.*

Non negamus, Christi vicarium Petrum fuisse, secuti celebrem inter Regiomontanos Theologum, Dreierum in

Contro-

Controverſ. cum Pontif. præcip. Diſp. 9. cum munus Apoſtoli ſubierit. Apoſtolus autem neminem refert alium, niſi legatum Chriſti, qui vices illius in docenda & regenda Eccleſia ſuſtinet. Hoc pernegatur, quod vicarium caput Eccleſiæ, ſive vicarius Monarcha Eccleſiæ a Chriſto ſit conſtitutus, ipſe ſolus Chriſti vicarius; cum æque cæteri Apoſtoli pro Chriſto legatione functi fuerint. II. Cor. V, 20. Ita dicitur eſſe Cephas Eccleſiæ, ut Eccleſia eſt Chriſti, I. Cor, III, 12. hæc vero Chriſti eſt, ut miniſtra, & Cephas poſtponitur reliquis, ut inter ipſius & Apoſtolorum cæterorum miniſterium, diſcriminis nihil interſit. *Sive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti.* SS. Patres, nec re, nec verbis diſcrepant. Origenes Hom. 12. in Num. *Apoſtoli erant Reges, & Chriſtus Rex Regum.* Quod ſi Reges ſinguli fuerunt, uni profecto Regi non ſubjacebant. Apertè Cyprianus de Unitate eccleſiæ: *Hoc erant utiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris & poteſtatis.* Pamelius, in Annotationibus, cupit nobis locum hunc extorquere, ſed nihil agit. Neque ſufficit vel Manutinus, vel Cambronenſis codex. Satis eſt, cæteros fuiſſe, quod fuit Petrus. Judicavit judicium inclytum M. Ant. de Dominis lib. 1. Reip. Eccleſ. c. 7. n. 18. *Hæc eſt pura & defæcata Cypriani lectio, prout omnes antiqui codices habent. Pamelius enim Aldo Grammatico nixus, inepte intruſit illa verba*, Primatus Petro datur : *quæ ex aliquo marginali, ſi dolus malus abfuit, in textum aliquem impurum irrepſerint.* Libellum Cypriani de Unitate Eccleſiæ diligenter cum veteribus MSS. Oxonienſes Theologi contulerunt. Quæ conſentanea ſunt omnia cum his noſtris. Accuratiſſime monet Jeremias Stephanus in Annot. ad h. l. ſolere Criticorum peritiſſimos præferre plures codd. paucioribus, niſi ratio aut neceſſitas aliud

aliud ſuadeat: At Pamelium *voluiſſe pauciores pluribus opponi, nulla ſignificata ratione; ſed duntaxat ex mero cauſſæ præjudicio.* De cætero animadvertendam cenſet diligentem Cypriani curioſitatem: Cum multum dixiſſet, cæteros idem fuiſſe, quod Petrus, non contentum tamen addidiſſe, *par conſortium*, ne reliqui conſortes viderentur inferiores vel honore, vel poteſtate. De abſoluta Petri & reliquorum Apoſtolorum æqualitate non quæritur. Largimur ei aliqua, quæ præ cæteris ſolus obtinuit, ut, ratione ætatis fuiſſe ſeniorem, vel, ſi quis ita velit, evocatum fuiſſe primo, &, quaſi lumen aliquod, non extinctis cæteris virtutibus, eluxiſſe in eo charitatem, qua alii vix æque pollebant. Contendunt aliqui, Andream ante Petrum vocatum eſſe, & Heſychius, Presbyter Hieroſolymitanus, in Encomio in B. Thomam, Andream vocat πρὸ Πέτρου Πέτρον, τοῦ θεμελίου θεμέλιον, τῆς ἀρχῆς ἀπαρχὴν, *Petrum ante Petrum, fundamenti fundamentum, initii primitias.* Utut ſe res habeat, credimus eos πρωτοκλήτους, & ſimul vocatos, de reliquo parum ſoliciti. Sed ſunt prærogativæ iſtæ perſonales, quæ ad ſucceſſorem nequaquam pertinent; feratque aliquis, Petrum vocari primum, præcipuum ac principem Apoſtolorum, ratione perſonalis cujusdam eminentiæ, quia primus ordine & tempore fuit Apoſtolus. Huc non facit, quod Hilarius ait in Pſal. 131. *Petrus fuit primus filii Dei confeſſor.* Vel Athanaſius Sermon. 4. contra Arian. *Petrus omnium primus cognovit Chriſti divinitatem.* Nam Johannes Baptiſta præferendus eſſet omnibus, qui Chriſtum agnovit, & DEI filium eſſe ab ipſo Patre didicit, aliisque manifeſtavit, antequam Petro aliquid eade re conſtaret. Quin immo ante Baptiſtam Simeon non videtur horum myſteriorum ignarus fuiſſe.

3. §. *Sequitur, quid de Primatu sentiamus; quandoquidem Jacobus, Cephas & Johannes columnæ Ecclesiæ appellantur.*

Omnibus & singulis Apostolis commissum fuit pari autoritate munus prædicandi Evangelii, Matth. XXIIX, 19. 20. potestas solvendi & ligandi peccata, Matth. XIIX, 18. Petrus igitur Princeps Ecclesiæ proprie dictus non fuit, ut idem foret in Ecclesia, quod in Republica Monarcha. Rei caput est, Petrum jure divino non gaudere aliquo primatu, quantumvis neutiquam monarchiam omnem ex Ecclesia tollamus, quando Petri monarchiam universalem inficiamur: Christus enim in cœlos receptus, Ecclesiæ tamen suæ in his terris, ut Caput, Princeps & Monarcha, præest, potuitque Ecclesia particularis ad modum regiminis monarchici gubernari, quemadmodum Petrus Antiochenæ Ecclesiæ per tempus præfuit, Johannes Ephesinæ, & Jacobus Hierosolymitanæ. At universalis Ecclesiæ omnes ex æquo curam gesserunt, ut ejus regimen Aristocraticum recte diceretur. Amplus & præclarus locus est Gal. II, 9. Non solus Petrus dicitur *Ecclesiæ columna*, sed & Jacobus & Johannes, *nec Petro* (quod Joh. Gerhardus Conf. Cathol. lib. 2. part. 1. art. 3. c. 2. observat) *tanquam Monarchæ, sese Paulus & reliqui Apostoli subjiciunt, sed* dextram societatis *ipsi dant, quod manifestum æqualitatis indicium; quin & pactum Paulus ac Petrus invicem ineunt — Mutuas igitur operas ad ecclesiæ ædificationem conferunt, nequaqnam vero universalem pasturam & dominatum Petrus sibi arrogat.* Jacobus, Petrus, & Johannes columnæ non sunt dicti, quasi hæc prærogativa ipsis a DEO fuerit concessa; οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, inquit Paulus, & ℣. 6. *qui existimantur aliquid esse*, id est, præcipui doctores habentur, hominum opinione,

non

non DEI juſſu. Latet etiam ratio ſecreta ſub ordine, quo Jacobus Petro, a Paulo antefertur. Tres illæ columnæ II. Cor. XI, 5. XII, 11. ὑπὲρ λίαν Ἀπόστολοι vocantur, ſummi ſcilicet Apoſtoli, quibus ſe Paulus minime inferiorem putat. Chryſoſtomus ait Homil. 23. in II. Cor. II. πρὸς αὐτοὺς ποιεῖται τὴν σύγκρισιν μετὰ τοῦ προσήκοντος αὐτῷ σχήματος, *ſeſe illis cum autoritate ſibi conveniente comparat.* Unus igitur non conſtituitur ſummus, ſed plures æquales ſunt & pares, iisdemque ſe confert Paulus.

4. §. *Nacti occaſionem hanc, Paulum æquabimus Petro, cum is Apoſtolorum minimus audiat.*

Concreditum Paulo Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, Gal. II, 7. ſive, ita Apoſtolus a Deo conſtitutus eſt, ut Petro apoſtolatus Judæorum fuerat commiſſus, & verſ. 8. *qui operatus eſt Petro in apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes*, inquit Paulus. Pondus argumenti ſenſit autor tractatus, qui inſcribitur *La Grandeur de l' Egliſe Romaine*, ac ex Patribus, Conciliis, ſcriptis Pontificum, juxta ſeriem ſeculorum, miro cum labore ac artificio, copioſiſſimis collectis teſtimoniis, probavit, paris honoris & meriti cum Petro eſſe Paulum: opera ſane non inani, ſi quidem abſtinuiſſet a viſibili Eccleſiæ capite. Andreas Pinto Ramirez, Soc. Jeſu, in Selectis S. Scriptur. tract. 2. c. 1. §. 25. nutare videtur in primatu Petri, cum Petrus Pauli teſtimonio uti voluit, illo, *tanquam ſacro diplomate*, ſua confirmaturus, II. Petr. III, 15. *Sicut & charisſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis.* Paulo poſt in hæc erumpit verba: *Non contendo, an doctior Paulus cæteris Apoſtolis: certe doctrina ejus*

uberior, & clarior ad nos manavit: ut, quantum potestate sibi tradita revera condiscipulis Petrus præstat, tantum sapientia excellere Paulus videatur: unde ob istam, jam cum Petri sacerdotio summo conferri, jam cæteris præferri intelligitur. Satis quidē ad rem & ingenue; nam de potestate illa in sacris altum est silentium, & valde delectamur dicto sive Ambrosii, Serm. LXVI. sive S. Maximi, inter cujus sermones ad verbum reperitur, certe antiqui & sancti autoris, quod Pinto suppeditavit: *Ergo Beatus Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter illos, quis cui præponatur, incertum est: puto enim, illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione.* Testimonium accuratissimus perhibet Spanhemius, Paulum frequenter, æque ac Petrum, sine exceptione laudari a veteribus. Apostolorum ὁ κορυφαῖος, ὁ ἀρχηγὸς, ὁ πρῶτος, ὁ μέγιστος, ὁ ἡγεμὼν, ἡ κεφαλὴ, ὁ προεστώτης, *coryphæus, princeps, primus, maximus, dux, caput, præses*, etiam *nulli secundus*, ac ne Petro quidem, si non major, vocatur Clementi, Ignatio, Irenæo, Tertulliano, Origeni, Eusebio, Cyrillo Hierosolymitano, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Leoni; pigetque reliquos transscribere. Allusione facta ad τοὺς νυμφαγωγοὺς, qui Græcis erant apostoli sponsi, Chrysostomus Homil. 33. in Matth. XX, 20. T. V. Paulum nuncupat τὸν νυμφαγωγὸν τοῦ χριστοῦ, *adductorem sponsæ ad Christum.* Leo I. Serm. de Petro & Paulo, non est ausus caput subjicere capiti, sed capiti oculos aptavit: *Quos* (Petrum & Paulum) *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore quasi geminum constituerit lumen oculorum.* Hæret in mente, apud Facundum Hermionensem lib. 10. Petrum Apostolorum primum dici, Paulum vero minimum. *Nam sic aliquando Petrus Apostolorum primus, sicut jam diximus, cum non recte ambularet ad veritatem Evangelii, reprehensus a Paulo, minimo*

Apostolo-

Apostolorum, non indigne tulit, nec, pro sui primatus gloria, resistentem sibi despexit. Responsum Salmasius de Primat. Papæ, cap. 2. redd t, minimum vocari Paulum, *non merito, sed ordine temporis & vocationis; quia postremus, ut postremo loco vocatus.* Petrum Euthymius *totius orbis magistrum,* Chrysostomus alicubi *totius Ecclesiæ pastorem* nominant; sed animadvertit Nic. Vedelius lib. 2. Epist. Ignat. cap. 5. Exercit. epist. ad Mariam, idem de Paulo dicere Chrysostomum Hom. XVIII. in Rom. cap. XI, 1. ᾧ τὸ κήρυγμα πᾶν καὶ τὰ πράγματα τῆς οἰκουμένης ἐνεπίστευσε, καὶ τὰ μυστήρια πάντα, καὶ τὴν οἰκονομίαν ὅλην, *cui Deus omnem prædicationem, res totius orbis, mysteria cuncta, universamque dispensationem commisit.* Sic Paulus Pastor œcumenicus cum Petro fuit.

5. §. *Fundamenta Ecclesiæ Romanæ cum Petro Paulus iecit, & in Pontificum bullis Paulus dextram Petri occupat.*

Solum Paulum ducem & autorem extitisse condendæ Romæ Ecclesiæ, Salmasius in Appar. ad Libb. de Primat. sibi persuasit, nihil quicquam a veritate deflectens, cum minus Romanum Petri iter explicari possit. Sed fuerit Romæ; obtinemus tamen, quod cupimus, eandem operam Romæ præstitisse Paulum, quam præstiterit Petrus: Abutuntur enim Irenæo, quicunque existimant, ab ipso solum Petrum Ecclesiæ Romanæ fundatorem constitui. Græca Irenæi sic expressit Eusebius lib. 5. c. 6. θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν, *fundantes igitur ædificantesque Ecclesiam beati Apostoli, Lino inspectionis munus per manus tradiderunt.* Jungit Irenæus utrumque Apostolum: uterque Lino Ecclesiæ curam commisit. Veterum profecto

 plurimi

plurmi, in fundatione Ecclesiæ Romanæ, Paulum Petro vel æqualem faciunt, vel certe majorem. Loca congessit Leo Allatius de Perp. Consens. lib. 1. cap. 3. 4. ib. c. 5. num. 21. & postquam attulisset ea, in medium ambiguumque sermonem erumpit: *Quas res planas, apertas, minimeque dubias ex una parte si videam, ex altera Ecclesiæ majestatem monarchicam considerem, Petro soli debitam, a Christo Petro soli exhibitam, incertum mihi est, quid pronunciem.* Ne nihil dicere videamur, Eusebius in hæres. Carpocr. poterit sufficere: Ἐν Ῥώμῃ Πέτρος καὶ Παῦλος πρῶτοι γεγόνασιν Ἀπόστολοι, αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος, *Romæ fuerunt primi Petrus & Paulus Apostoli, qui & Episcopi, deinde Linus, postea Cletus.* Obversantur etiam animo bullæ Pontificum, in quibus a dextris Paulus collocatur Petri. Miros aliqui faciunt ludos, quando in rei caussam inquirunt: Ajunt quippe, (recensente ista Leone Allatio, de Perp. Consens. lib. 1. c. 6. qui postea sententiam affert suam) errore sculptorum ista accidisse; vel, propensiores fuisse Græcorum pictores in Paulum, quam in Petrum: in conventibus Ecclesiasticis sinistram esse honoratiorem dextra. Quorundam fert opinio, quod Paulus Petri latus tegat, quemadmodum ii, quos *laterones* vocant; alii censent, singularem hanc esse Petri modestiam, indulgentis Paulo honoratiorem locum in sua Ecclesia, quod Magnates assolent. Leo Allatius affirmat, *id ex eothbolarum basilicarum dispositione ortum, a Græcis Romam illata, quibus quod dextrum est, fit Latinis sinistrum.* Verum sinistro pede procedit, quando in hanc abit sententiam. Dixit, si quisquam alius, quod res est, Cl. Salmasius Apparat. ad Libb. de Primatu, ita obtinuisse ab ultima antiquitate, & ab eo tempore, quo minime dubitabatur, quin primas partes in fundanda ea Ecclesia tulisset Paulus. Leviter attingamus, Clementem V. A. MCCCVI. sanxisse, imposterum

rum ne quis temere affirmaret, Papam ante confirmationem bullis minime uti debere. Hæc vero ante solennia coronationis *simplex est*, seu talis, *quæ habet tantum ab una parte DD. Petri & Pauli imagines in plumbo, ex altera vero plana*; postmodo *duplex*, cum imaginibus S.S. Apostolorum, & ab altera parte nomine Pontificis, teste Gregorio Tholosano, in Gerh. von Mastricht Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii Num. 402.

CAP. II.

De Fundamento Scripturæ, quo nititur Petri monarchia, & Pontificis successio.

1. §. *Primas facile tenere, ajunt, locum Matth. XVI, 18.* Ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam. *Quem animo & mente circumspiciemus.*

Duo hinc exsculpunt Catholici, quod Gerhardus Conf. Cathol. lib. 2. part. 1. art. 3. c. 2. tradit. Primum est, *quod Petrus sit ista petra, super quam fundata est Ecclesia; non tamen, ut erat persona particularis, sed, ut Pastor & caput totius Ecclesiæ.* Secundum, *quod* esse fundamentum, *fit, esse gubernatorem totius Ecclesiæ.* Sed, ne quid nimis; ista enim grandia sunt. Utinam omnes pari animo detestarentur lites

lites istas cum Joh. Fero Comment. in h. l. querente : *Circa hunc locum nihil aliud agimus, quam, quod de potestate disceptamus, quis major sit, non attendentes, quod Christus dixit: Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Accingimur ad rem ipsam, exploratam habentes rationem textus sacri, qui inter πέτρον & πέτραν accurate distinguit. Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Sensus est : *A me petra vocaris Petrus, super quam ædificabo Ecclesiam meam.* Non dicit Christus, tu es petra, & super te petram ; vel tu es Petrus, & super te Petrum ædificabo. Hinc mala fides est autoris Historiæ Petri, Persice scriptæ, qui Ludovico de Dieu creditur esse Hier. Xavier, torquentis hunc in modum Spiritus S. verba : *Tu es Petrus, id est lapis, super quem structura Ecclesiæ meæ firma erit.* Quin & Syriacum ܟܐܦܐ nihil moramur, cum genus prænominis sit mutatum ; *utq; veterum librorum fides* (Dist. 9. Ut veterum) *de Hebræis voluminibus examinanda est : ita novorum veritas, Græci sermonis normam desiderat.* Nonnulli huic observationi operam dant, Christum gestu juvasse vocem, & semetipsum monstrasse digito, quod solitus sit Joh. II, 19. λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *destruite templum hoc.* Notatu dignum censet Gvilielmus Rivetus Defens. Libert. Eccles. part. 1. cap. 7. *nunquam in Scripturis purum hominem* petram *dici, sed DEUM duntaxat, vel Christum, filium DEI vivi ; ut clarum sit, quæ de petra dicuntur, de Christo filio DEI, quem confessus est homo, non de homine Petro, qui confessus est, intelligenda esse.* Sic maximi nominis vir, ICasaubonus Exerc. 15. ad Baron. n. 13. ait, sacrorum librorum Interpretes, persæpe vocem צור, non vertere *petram*, aut *rupem*, sed *DEUM*. Deut. XXXII, 31. II. Sam. XXII, 32. Psalm. XXXI, 3. & LXXIII, 26. petram ad Christum referunt Ecclesiæ Doctorum non pauci. Hilarius Pictaviensis

lib. 2.

lib 2. de Trinit. *Unum hoc est immobile fundamentum: una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es Christus filius DEI vivi.* Gregorius Nyssenus lib. contra Judæos, cap. ult. *Dominus est petra fidei, tanquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Disputator acutissimus & catholicæ veritatis prædicator fidelissimus, Augustinus (quo nomine laudatur Nicolao de Clemangis Epist. 5.) Tract. CXXIV. sive ult. in Evang. Johannis: *Ecclesia—fundata est super petram, unde & Petrus nomen accepit: non enim a Petro petra, sed Petrus a petra; sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; quia dixerat Petrus: Tu es Christus, Filius DEI vivi. Super hanc ergo petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, Christus Jesus.* I. Cor. III, 11. Non aliter Beda homil. in vigil. S. Andr. *Super hanc petram, a qua nomen accepisti, id est, super me.* Idem arguit Sermo catholicus de S. Petro, veteri lingua Britannica scriptus, apud Whelocum in notis ad Bedæ Hist. Ecclesiasticam lib. 3. c. 25. Petro hunc honorem Servator inhabuit, ut eum faceret cognominem petræ, cui inædificare voluit Ecclesiam suam, hoc est, sui. Et frustra docti disceptant, ita sentiente Salmasio Appar. ad libb. de Prim. quæ sit differentia significationis vocum Græcarum πέτρος & πέτρα, quando in hoc Petri cognomine πέτρος Græce idem non significat, quod πέτρα, vel saxum, vel lapis, sed cognomen est Græce factum, ex nomine πέτρα. Latine Petrus recte petra dicitur, ut Syriace Cepha. Ita *Asina, Musca, Dolabella, Caudex, Mus*, cognomina sunt Romanorum. Idem defendit, sentitque idem Joh. Mich.

Dilherrus Eclog. ſacr. dict. 3. qui de hoc loco enucleate dixit. Aliter fit in Græcia, ubi cognomen ex nomine appellativo flectitur, mutatis genere & flexione, ut a πέτρα cognomen πέτρος, ſive nomen proprium. Similiter atque uno modo Catholicus Sermo loc. cit. de S. Petro: *Ante hoc tempus nomen illi Simon fuit: Sed Dominus hoc nomen* Petrus *illi impoſuit, ideſt,* petræus. Cum nomen ipſum Syriacum Petri uſurpant Græci, non κήφα dicunt, ſed κήφας, ut Αἰνέας, aut Κηφᾶς, ut Μητρᾶς. Urgent adverſarii, nihil cupientes remittere, poni nimirum demonſtrativum pronomen, loco relativi. Eſto ſane: ſed quomodo relativum fœminini generis, refertur ad antecedens generis diverſi? Veteres, ut refertur apud Caſaubonum Exercit. 15. n. 12. *pronomen* hanc *non ad nomen* Petrus, *ſed ad præcedentem verſum retulerunt.* Si pro relativo vocem ταύτῃ accipias, aut ad præcedentem confeſſionem pertinet, aut ad vocem *petram* in præcedente dictione *Petrus* incluſam. Poſthæc *novum non eſt, ut relatio fiat ad vocem in præcedente aliqua dictione latentem.* Joh. IIX, 44. dicitur : ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, *quia mendax eſt, & pater ejus*, nempe τοῦ ψεύδους *mendacii.* Et Gerhardo autore, Confeſſ. Cathol. l. 2. part. 2. art. 3. c. 2. pronomen relativum ſæpius reſpicit ad remotum, non ad proximum. Rom. V, 12. illud ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, *in quo omnes peccarunt*, convenit cum ἑνὶ ἀνθρώπῳ, *uno homine*, aliquanto remotiore. Petram quoque confeſſionem Petri reddere ſcriptores priſcos, demonſtrârunt viri doctiſſimi, Whitakerus, Caſaubonus, M. Anton. de Dominis, Forbeſius, & paullo ante citatus Gerhardus, pluresque alii, quos breviter ſequemur. Hilarius lib. 2. de Trinit. inquit: *Unum hoc eſt immobile fundamentum : una hæc eſt felix fidei petra, Petri ore confeſſa*, Tu es Chriſtus, filius DEI vivi. Et lib. VI. de Trin. *Super hanc confeſſionis petram, Eccleſiæ ædificatio eſt.* Gregorius Nyſſe-

nus

nus loc. cit. *Dominus eſt petra fidei, tanquam fundamentum, ut ipſe Dominus ait ad principem Apoſtolorum, Tu es Petrus &c. Super hanc confeſſionem ſcilicet, quia dixerat* : Tu es Chriſtus &c. Chryſoſtomus Hom. 55. in Matth. ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· τουτέστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, fidem & confeſſionem.* Hincmarus, Epiſcopus Rhemenſis, in epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem : *Super hanc petram, hoc eſt, firmam & ſolidam fidei confeſſionem, ædificabo Eccleſiam meam.* Haymo, Epiſcopus Halberſtadienſis Hom. de Temp. *Petra autem erat Chriſtus. Tale eſt igitur, ac ſi diceret Chriſtus, ſuper hanc fidem, id eſt, ſuper me, quem tu confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam.* Longius evagari non licet; videbimus ſaltem, quare, interrogatis omnibus, ſolus reſponderit Simon Petrus. Judice ingenioſo Montacutio Origg. Eccleſ. T. 1. part. poſt. A. C. 33. n. 5. Apoſtoli ore Petri loquebantur, quod eſſent σύμψηφοι. Ad confuſionem tollendam, unus loquebatur & profitebatur, quod animitus cæteri ſentiebant. *Ille autem unus erat Petrus, partim naturali diſpoſitione ſemper* προπετὴς, *in Chriſtum magiſtrum zelotes, & princeps confeſſus apoſtolici.* Hæc fere eodem modo complectitur Chryſoſtomus in Matth. XVI, 15. Τὸ στόμα τῶν Ἀποστόλων ὁ Πέτρος, ὁ πανταχοῦ θερμὸς, ὁ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖος, πάντων ἐρωτηθέντων, αὐτὸς ἀποκρίνεται, *Os Apoſtolorum Petrus, ſemper fervidus, chori Apoſtolorum coryphæus, cunctis interrogatis, ipſe reſpondet.* Præterea non contenti ſunt, qui ſecus ſentiunt, Petrum vocare petram, niſi & illud addant, eſſe fundamentum ædificandæ Eccleſiæ. Verum, ut leges in Republica, & quidquid Rempublicam ſuffulcit & ſuſtentat, fundamentum dicitur; ſic Apoſtolorum doctrina, ab omni errore libera, fundamentum Eccleſiæ vocatur. Concinne doctiſſimus vir, Lud. de Dieu, Animadv. in Hiſt. Petri. *Fac ſenſum Chriſti eſſe, ipſum Petrum eſſe petram — fatebitur mihi*

mihi, credo, omnis Christianus, Petrum non qua hominem, sed qua Apostolum & præconem doctrinæ Christi esse fundamentalem Ecclesiæ petram. Quid vero hic habet, quod non cum cæteris Coapostolis commune sit? Nam *superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Jesu Christo*, Ephes. II, 20. Jacobus Heerbrandus Compend. Theol. L. de Eccles. *Apostoli non sunt fundamentum Ecclesiæ: sed sua doctrina de Christo fundamentum jecerunt, & hoc est, quod Paulus inquit* Ephes. II. *Ædificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, id est, super doctrinam eorum, qua fundamentum posuerunt JEsum Christum.* Mens Apostoli non est, Ecclesiæ fundamentum esse Prophetas, pridem defunctos, sed doctrinam eorum, scriptis contentam, sicut Luc. XVI, 29. *Habent Mosen & Prophetas*, id est, doctrinam Mosis & Prophetarum. Ut taceamus, fundamentum secundarium ἄγραφον esse, minimeque constare. Eleganter Nic. Vedelius Exercit. 3. in ep. Ignat. cap. 7. ad Philad. ostendit, quomodo Apostoli dicantur fundamentum Ecclesiæ, *non quod ipsi fundamenta essent ipsissima, sed quia fundarunt Ecclesiam super fundamentum, quod est Christus, sive fides in Christum.* Hinc firmum & stabile fundamentum Ignatio in epist. ad Philadelph. est τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, *sanguis Christi.* Quamvis Usserius hæc minio signet, tanquam diversa a vetere Latino interprete. Judicium Jo. Pearsonii de Vedelio in Vindic. Epistol. S. Ignat. cap. 4. impertiamur: *Industria Vedelii, quam ad loca in Epistolis Eusebio memoratis corrupta & interpolata judicanda, & a genuinis secernenda adhibuit, si conatum spectemus, laudanda; si eventum sive successum, parvi quidem æstimanda videntur.* Pluchre & oratorie dixit Whelocus ad Hist. Bedæ l. 5. cap. 7. *Verum, quid ad hæc Petrus? fingite. Egone solus* Cephas? *hoc est*, lapis. *Christus est*, I. Pet. II, 4. *ille vivus lapis. Vel, Egone solus* lapis *pro-*

pter fidem? Vos quoq; credentes estis vivi lapides. V. 5. ibid. Gildas Britannus in Epist. *Vero sacerdoti dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Erudite, si quæ unquam alia, hæc omnia contulit magnus Casaubonus Exercit. cit. neque in diversa itum esse commonstrat: *Sic prorsus Patres, quando dixerunt ædificatam esse Ecclesiam super Christo, item super Petro, vel unoquoq; fidelium, nec non super fide, aut confessione fidei, in re optime consentiebant, &, ut Augustinus dicere solet, locutionum hæc fuit diversitas, non sententiarum.* Eadem bona fide complexus est Ferus Comment. in h. l. *Cum Christus dixit*: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *nihil aliud vult, quam se Ecclesiam ædificaturum super firmum immobileq; fundamentum, contra quod nihil possint omnes adversariorum insultus. Ex hoc claret, quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum aut quemcunq; alium hominem ædificavit: nullus enim homo tam firmus & constans, qui non possit moveri. Id quod etiam in Petro manifeste videmus. Alia igitur petra inquirenda est. Et quidem in Scriptura sacra ipse Christus frequenter* lapis *vel* petra *dicitur.* Brevi post: *Petram, cui Ecclesia innititur, supra diximus esse Christum, vel potius fidem veram. Id quod ex verbis Christi manifeste colligitur. Statim enim, cum Petrus dixisset*: Tu es Christus, *respondit Christus*: Tu es Petrus, *quasi diceret*: *Jam petræ nomine dignus es. Et subdit*: Et super hanc petram, *super hanc scilicet fidei confessionem.* Ultimo Augustinus, etsi semel scripserit, *in Petro, tanquam in petra fundatam esse Ecclesiam*, expositionem tamen istam non videtur velle ratam lib. I. Retract. c. XXI. quamvis eam non damnet, sed in lectoris arbitrio relinquat. Et certe, posteriorem priori haud obscure anteponit. Admiratione afficimur, quoties redit in memoriam observatio illustri laude conspicui Wagenseilii, Exercit. de Elect. Rom. Pontif. Petri nomen non tantum Pontificum neminem unquam

quam adhibuisse, sed mutâsse etiam illud, si quidem fuerit ante electionem. Jure illo Petri & primatu frui discupiunt, nomen relinquunt.

2. §. *Hunc excipit vers. XIX. cap. ejusd.* Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis, *quo plenam potestatem, eamq; summam, soli Petro datam fuisse credunt.*

Quid sibi velit potestas clavium, recenset Barlaamus Monachus de Princip. Papæ cap. 2. Τὰς κλεῖς βασιλείας τῶν οὐρανῶν δώσειν τῷ Πέτρῳ ὑπέσχετο, καὶ ταύτας εἶναι τὴν τοῦ δεσμεῖν τε καὶ λύειν ἐξουσίαν, δι᾽ ὧν ἐπήγαγεν ἐδήλωσεν, ἀλλά. μὴν ταύτην γε καὶ τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις δεδωκὼς φαίνεται. *Petro claves regni cœlorum Christus se daturum pollicitus est, quas nihil plane aliud esse, quam ligandi ac solvendi potestatem, verbis sequentibus aperte declaravit. Verum, istam utique potestatem a Domino reliquis quoq; Apostolis datam, constat.* De veritate illius propositionis, *claves regni cœlorum denotant summas potestates*, perparum constat. Quin non dixit Christus, quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata in terra, sed in cœlis. Si clavis usum Princeps ministro indulgeat, non largitur ei jus omne. Sic Christus Princeps claves concessit servo suo Petro, sive facultatem remittendi retinendive peccata. Quæsiverunt postea ex Magistro discipuli, quis maximus esset in regno cœlorum Matth. XIIX, 1. Unde colligitur, Petri primatum & potestatis plenitudinem illos haudquaquam agnovisse.

visse. Afferto clavis metaphora non obstat, nec tanta vis illius verbi est, ut habeat significationem integri juris. Apocalypſ. III, 7. Christus vocatur *sanctus & verax ille, qui habet clavem Davidis, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Sumta hæc est phrasis ex Jeſ. XXII, 22. ubi DEUS promittit Eljakimo, se impositurum ejus humero clavem domus Davidis, id est, eum futurum Prætorio Præfectum. Fatemur, Christum habere clavem Davidis, sive summam autoritatem in ecclesia, qui secundum deitatem Patri æqualis est, & independens ab alio. Qua ratione Petrus claves non possedit; nec Esaiæ locus hoc evincit, nisi cum Ribera in cap. III. Apoc. quis de Christo interpretetur, cujus figura Eljakim fuerit. Porro, eandem potestatem acceperunt omnes Apostoli Matth. XIIX, 18. & Joh. XX, 23. Petrus omnium loco respondit, eaque de caussa, quod dicitur Petro, singulis dicitur. Ambroſ. in Pſ. XXXIIX. *Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur.* Simoni & Andreæ fratribus tantum in Evangelio Matth. IV, 19. & Marc. I, 17. legimus Dominum promisisse, fore ipsos *hominum piscatores.* Quis credat, ab isto munere Johannem & Jacobum fuisse exclusos? Theophylactus in Matth. XVI putat, Apostolis simul & promissas & datas esse claves: *Quamvis Petro soli dictum sit, dabo tibi, omnibus tamen Apostolis concessæ sunt. Quando? cum dixit, Quæcunq; remiseritis peccata, remittuntur. Etenim, cum dixit, dabo, futurum tempus signat, hoc est, post resurrectionem.* Idem videtur perspexisse Ferus, scriptor Pontificius, in Matth. cap. XVI. Mira memoramus. Johannes est Chrysostomo ὁ στύλος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν, ὁ τὰς κλεῖς ἔχων τῶν οὐρανῶν, *columna ecclesiarum per terrarum orbem, claves gestans regni cœlorum*, ita legentibus optimis codicibus, Montacutio Origg. Eccleſ. T. pr. part. post. A. C. 33. teste. Origenes & Augustinus prorsus consentiunt, Christi discipulos omnes, claves accepisse. *An vero,* ait Ori-

ait Origenes Tract.1.in Matth. *Soli Petro dantur a Christo claves regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas acceptutus est? Quod si dictum hoc*: tibi dabo claves regni cœlorum, *cæteris quoq; commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia?* Augustinus Serm. 30. de Divers. *Petrus multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiæ, maxime illo in loco, ubi dictum est*: Tibi dabo claves regni cœlorum. *Numquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Johannes & Jacobus accepit, & cæteri Apostoli.* Jus esto, Bedam in Epist. his annumerare: *Itemq;*, ait, *omni sancto sacerdoti promittitur: Et quæcunq; solveris super terram, soluta & in cœlis, & quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo.* Denique loca Matth. XVIII, 18. & Joh. XX, 23. negant aliqui, per omnia esse similia & parallela; sed fidem verbis non faciunt, in alia omnia discedentibus Ambrosio, lib. I. de Pœnit. cap. VI. & Augustino tract. CXXIV. in Johan. Certum est, idem esse objectum ligationis, quod est clavium. Harum sola sunt peccata, ita, ut his non condonatis cœlum claudatur, vel obliteratis, aperiatur. Verbo: Quod Johannis XX. additur, id Matth. XVIII. intelligitur. Dictum Joh. XXI, 15, 16, 17. sæpius usurpant, quod soli Petro dictum sit, *Pasce oves meas.* Sed cumulate responderunt idque explicare sategerunt Joh. Gerhardus Harm. Evangel. cap. CCXV. Confess. Cathol. Lib. I. Part. II. cap. II. & Christian. Dreierus, Controvers. cum Pontif. Disp. X.

3. §. *Non sine ratione Synodi Nicænæ I. Can. VI. cognoscemus, qui æque ac CPtanus III. & Chalcedonensis XXVIII. visus est Græcis decidere controversiam de*

prima-

primatu Romani Pontificis. Hac occasione de regionibus suburbicariis habebimus sermonem.

Tempore Nicæni Concilii trium Patriarcharum dignitatem, Romani, Alexandrini, Antiocheni, notam fuisse, res probatu admodum difficilis est. Sed fingamus, ea, quorum veritatem nemo adhuc patefecit, Salmasio de Primatu cap. 20. multum inquirente, *de metropolitana provincia Episcopi Romani, non de patriarchali diœcesi canon intelligendus foret.* Joh. Launoius libro de Recta interpretatione hujus canonis, fatetur, hic nihil esse, *quod Patriarchis* κυρίως *& proprie convenit, sed de jure metropolitico agi.* Canon sic se habet: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ (male τούτῳ) τοῦτο συνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Versionem petimus a Dionysio Exiguo, qua Baronio A. C. 325. n. 123. non reperitur exactior atq; fidelior. *Antiqua consuetudo servetur* quæ est *per Ægyptum, Lybiam. & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasq; provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Sanciendi canonis caussa fuit Meletius, qui ordinandorum Episcoporum jus usurpavit, quod pertinuit ad Alexandrinum. Quare canon jus suum Alexandrino restituit. Diœceseos Ægypti provincias tres recenset canon, quarum numerus ad decem tandem excrevit; tot enim Metropolitanos ex hac diœcesi jubent convocari Theodosius & Valentinianus epist. ad Dioscorum, quæ act. I. Concil. Chalcedonensis recitatur, teste viro magno Phil. Berterio

Pithanon Diatr. 1. cap. 4. Integrum canonem acri magnoque judicio non ita pridem expendit Fr. Spanhemius Differt. Hist. arg. quaternione, cujus itineribus ivimus aliquando. Queruntur, ex parte adversa, truncatum esse canonem suo capite, in eoque illa desiderari; *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*: Ita enim efferri a Legatis Pontificiis in Synodo Chalcedonensi act. XVI. Reponimus vero, hoc augmentum ignorare statorem & restauratorem antiqui & purioris Juris Canonici, Christoph. Justellum & nuper Gvil. Voëllum, Theologum Sorbonicum, Bibl. Jur. Can. vet. Tom. 1. Ne dicamus de corpore Isidori Hispani, vulgo Mercatoris, alias Peccatoris, Epitome Rufini, Crescomii, Episcopi Africani, Collectione canonum Latina, & ipso Gratiano in Decreto Dist. 65. c. Mos antiq. Imposuit, si non omnibus, certe plurimis, *Alanus Copus*, alias *Nicolaus Harpsfeld*, in Dialogis contra oppugnatores Papatus Dial. 1. Binius Tom. 1. Concil. fuse disputat, quid sit *antiqui juris*, sed parum in ea re situm est. Antiquissima versio, quam mire effert Sirmondus, Rufino lucem præbet: *Antiqui moris, ut urbis Romæ Episcopus* suburbicaria loca, & omnem provinciam, *sua solicitudine gubernet*; *quæ vero apud Ægyptum sunt, Alexandriæ Episcopus omnium habeat solicitudinem.* Regiones suburbicarias Jo. Seldenus Comment. in Eutych. Origg. n. 8. statuit, *rem cumprimis perpendendam, quoties quis de arrogata Pontifici Romano potestate disquisitionem init.* Enititur quidem Berterius Pithan. Diatr. 2. cap. 3. ut Pontifici suus constet honor, nec intra brevem ambitum suburbicariarum regionum claudatur: *Observandum*, ait, *Romam & suburbicarias regiones a Præfecto Urbis, & Vicario, ut reliquas Italiæ provincias a Præfecto Prætorio Italiæ, & ejus vicario regi atq; gubernari consuevisse. — Sed effecit urbis dignitas, ut in Præfecto & vicario constituendo sola tantæ civitatis ratio habita videatur:*

hinc

hinc Diœceſeos Italicæ nomen retinuit ea tantum Italiæ pars, quam Præfectus Prætorio adminiſtrabat. Quo fit, ut frequenter in Imperatorum conſtitutionibus ſuburbicariæ provinciæ, quæ omnes in Italia ſunt, ab Italia tamen ſeparentur. Hoc contente dicit, illuſtrem fuiſſe eam partem Italiæ, in qua Roma imperium terris æquavit, & quam in diœceſeos formam redactam Urbi dicarunt orbis moderatores, comparandam utique ad diœceſin Ægypti; exinde urbicariam ſuffeciſſe (cum eſſent in Patriarchatu Romano plures Diœceſes) quæ cum Ægyptiaca conferretur. Largimur, æternæ urbis gloriam fuiſſe ſummam, cujus vero Epiſcopum ideo ſupremum appellare valde dubitamus; & factum bene, quod ſuburbicariæ provinciæ, Italiæ terminos non exceſſerint. De Patriarchatu Romano ſententiam ferre cupimus Illuſtriſſimum Petrum de Marca, Archiepiſcopum Pariſienſem, lib. 1. de Concord. cap. 3. n. 5. *Sane diſſimulandum non eſt, eo canone* (ſexto) *tres illos Antiſtites Epiſcoporum tantum, vel* ad ſummum Metropolitanorum *nomine cenſeri: Qui ſæculo ſequenti in Concilio Ephesino* Archiepiſcoporum *titulo aucti, in Concilio CPtano* Exarchorum diœceſeos *dignitate decorati, tandem in Concilio Chalcedonenſi promiſcue* Archiepiſcopi, Exarchi, & novitia dictione Patriarchæ *ſunt appellati.* Suburbicariis locis maxime geminus eſt τόπος χωρίȣ Ῥωμαίων, *locus regionis Romanorum* apud Ignatium, qui inſcripſit epiſtolam τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίȣ Ῥωμαίων, *Eccleſiæ, quæ præſidet in loco regionis Romanorum.* Vedelius in hunc locum: *Proprie loquendo Romanæ regionis nomine venit, quidquid in Italia terrarum Præfecti Urbis adminiſtrationi ſuberat, quæ ſuburbicariæ regiones appellantur: nimirum Tuſcia, Picenum, Latium vetus, Latium novum.* Ad ſummam, tunc intra Italiæ limites Romani Epiſcopi cura eccleſiaſtica ſe continuit, & operæ pretium eſt huc transſcripſiſſe inſignia Gerhardi Confeſſ.

Cathol. lib. 2. part. 1. art. 3. c. 5. verba : *In hoc canone sexto Concilii Nicæni Oecumenici omnes Metropolitani Romano Episcopo exæquantur, nec ei quicquam amplius, quam Alexandrino, Antiocheno, & cæteris aliarum provinciarum Metropolitanis, tributur.*

4. §. *Summa illuc pertinet, ut sciamus, Christum esse caput Ecclesiæ, & aliud non dari in his terris; tametsi possimus dare Pontifici primatum ordinis.*

Luce omni clarior est Paulus, Ephes. I, 22. *Omnia subjecit ejus pedibus, eumq; constituit caput super omnia Ecclesiæ.* Et cap. V, 23. *Christus est caput Ecclesiæ.* Unum caput Ecclesiæ, Christum, Scriptura memorat, & Christi post ascensionem vicarios, Ephes. IV, 11. *Dedit alios autem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Nulla vero fit mentio Patriarchæ oecumenici. Omnes Apostolos rationem habere Ecclesiæ Christus jussit, Matth. XXVIII, 20. Joh. XX, 21. 23. Summus sacerdos N. T. distinguitur a summo sacerdote V. T. quod nemo ipsi succedat, Heb. VII, 23. 24. *Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere : At iste, propterea, quod in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium.* Et hoc quidem rei caput est. Tamen nihilominus uteretur Ecclesia Romana jurisdictione, ex antiquo more, juxta Nicænos Patres, non exclusis limitibus Nicænorum. Acutus & multum providens Philippus, non modo adstipulatore, sed etiam autore Luthero (testis est Joachimus Camerarius in Vita Philippi) sub finem Articulorum Smalcaldicorum Libb. Normal. p. 536. & Form. Concord. 338. diserte scripsit, *posse concedi Pontifici supe-*

superioritatem in cæteros Episcopos, quam jure humano *habeat, si permitteret libertatem usumque puræ doctrinæ cœlestis.* Ipse Lutherus in epistola ad Georg. Spalatinum: *De primatu Romanæ ecclesiæ acrius certatum est. Ego primatum honoris non negavi, nec potestatis dedi, saltem jure divino, nihil repugnaturus, imo constanter confessurus ac defensurus, si facto, vel jure humano eum habeat.* Satis est, & affatim prorsus.

CAP. ULT.

Denarios quosdam Novi Testamenti explicat.

1. §. *Ut finis respondeat principio, Angliæ Denario S. Petri, adjiciemus duplicem denarium, quem solvit Petrus, sive staterem, Matth. XVII, 27. ante oculos positum, considerabimus.*

EAdem opera vers. 24. in τὰ δίδραχμα inquirendum est, quorum pretium rectissime exponit Scholiastes Nicandri: Δίδραχμον τὸ τέταρτον τῆς οὐγγίας, *didrachmum quarta pars est unciæ* (Atticæ.) Veluti apud Hesychium, Voce δραχμή. Δραχμὴ τὸ ὄγδοον τῆς οὐγγίας, *Drachma, octava pars unciæ.* Pari ratione Julius Pollux Lib. 9. cap. 6. narrat τρίδραχμον, tres valentem drachmas nummum, τετράδραχμον, sive, literis interlisis, τέτραχμον, quatuor drachmas continentem. Ammonius vero Περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, nonnihil ponit discriminis inter τέτραχμον & τετράδραχμον. τέτραχμον μὲν γάρ ἐστιν τὸ νόμισμα, τετράδραχμον δὲ τῶν τεσσάρων δραχμῶν (ἄξιον) *Tetrachmum etenim numisma est; tetradrachmum autem, quod va-*

let quatuor drachmas. Jam in confeſſo eſt, drachmæ Atticæ & denarii idem eſſe pretium, ut δίδραχμον binos conficiat denarios. Sublimis ingenii vir, Joh. Gravius loc. ſup. tetradrachmum æquiparat ſtateri, ad teſtimonium citans Cleopatrã in Fragmentis, & Epiphanium περὶ σταθμῶν, de Ponderibus. ὁ στατὴρ, in Fragmentis, ἄγει ὀγγίας δ', καλοῦσι δὲ αὐτὸν τετράδραχμον, *ſtater valet quatuor drachmas. Eundem vero tetradrachmum appellent.* Hæc ſane mire conveniunt cum Matthæi loco, dicente in ſententiam iſtam Wilebrodo Snellio de Re nummaria, & pergravi teſte, Joſepho, lib. 7. Bell. Jud. cap. 27. In ſingula capita olim ſolutum fuit δίδραχμον. Hinc Chriſtus pro ſe & Petro ſtaterem expendit, ſive quatuor drachmas, quas ſingulatim Evangelia Perſica MSS. eruditiſſimi viri D. Pocockii exprimunt. Richardus Montacutius, Norwicenſis Epiſcopus, Origg. Eccleſ. Tom. pr. part. poſt. A. C. 33. aliter ſentit, atque Caſaubonus, Baronius, Bulengerus. Nec ſine ratione credit politicum hoc fuiſſe tributum, ad exemplum illius, in Sacra Politia à Deo inſtituti, &, vel Herodi, vel quod potius arbitratur, Romanis ſolutum, ab Auguſto Cæſare, vel Pompejo, gentis triumphatore, impoſitum; quam rem quæſtio de Regibus gentium extra dubitationis aleam ſtatuat. Pergit, didrachma & ſtateris vocem ab exteris in re nummaria, non in ſacris ſcripturis uſurpari pro templi rebus. *Sed nec illis contenti divini Hiſtorici, ſtatim τέλη & κῆνσον etiam adbibent, quaſi digitum intenderent ad tributum civile domino ſolvendum ſæculari, per cenſitores.* Negat Grotius, quod ait Montacutius. Nos amplectimur Lightfooti judicium: Verba tributum exigentium hoc fere ſonare, num Magiſter veſter eſt de ſecta Judæ Galilæi, qui tributum Romanis non penſet? Iſti etenim addicti, quos Zelotas Joſephus nominat, tributum Principi Romano ſtrenue denegarunt. Deinde, Regis filius non erat Chriſtus, qui provinciis aliquot imperaret, ſed Regis

Regum,

Regum, non ignorante Petro, quem affabatur. Scandalum tamen fuiſſent paſſi cenſitores, ſi Chriſtus exemptum ſe prædicaſſet, ipſe Regis filius. Sic Montacutii Scholiaſtes: Ἀπόδειξις πρῶτον, ὅτι οὐ δεῖ τελεῖν, διὰ τὴν θεότητα· κελεύει δοῦναι, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα, *præcedit argumentum, quod propter deitatem ſolvere non teneatur; jubet dare, propter humanitatem.* Una mente conſentit Iſidorus Peluſiota lib. I. epiſt. CCVI. Quidam colligunt ex Matthæi VIII, 14. Petro fuiſſe domum in Capernaumo propriam; quare Chriſtum juſſiſſe ſtaterem pendere. Quod non dijudicamus.

2. §. *Examinandus quoque eſt, momentoque ſuo ponderandus nummus cenſualis Matth. XXII, 19.* Oſtendite mihi numisma cenſus. Ipſi vero obtulerunt ei denarium.

Non confundenda ſunt νόμισμα τοῦ κήνσου, & κῆνσος Marc. XII, 14. Is enim Luc. XX, 22. φόρος, *tributum*, vocatur. Κῆνσος vox Romana eſt, quam a Romanis acceperunt poſteriores Græci. Unde Heſychius: Κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπὶ κεφαλαίου, *cenſus ſpecies nummi in capita impoſiti.* Quæ quidem lectio male ſe habet. Recte Meurſius in Gloſſar. GB. κίνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον. Cl. Salmaſius ad Æl. Lampridium in Alex. Sev. c. 39. monet, Heſychium non appellaſſe aliquod genus nummi cenſus nomine, quale nunquam fuerit, & δίδραχμα ſolventes cenſum duplicem pependiſſent; ſed quamvis monetam cenſus appellatione poſſe venire. Denarii Evangeliſtæ tres meminerunt, illius Romani, qui inde a devicto populo Judaico in uſu eſſe cœpit, per Palæſtinam. Gerh. Joh. Voſſius Harm. Evan-

Evangel. lib. I. c. 8. *Obtulere Christo denarium; nempe, quia tributi nomine in specie, ut loquimur, duos persolverent denarios. Unde Christum ac Petrum, didrachma legimus prosolvisse.* Exhibebat tunc imaginem Cæsaris plerumque denarius, ut olim Jani bicipitis, virginis Vestalis, quandoque Triumviri, Prætoris, Consulis; ideoque numisma census Christus exigebat, ut sic eos convinceret erroris de non dando Cæsaris tributo; quamvis graviter ferre poterant legere, DIVI AUG. F. vel, DIVO AUGUSTO. Seldenus denarium existimat Tiberii imaginem præ se tulisse. Nummus, cui Cæsaris edictum posuit pretium, Cæsarisque nomen cum vultu præferens, testabatur, Cæsarem summo in Judæa uti imperio, idque a Judæis agnosci, qui nummum talem usurparent. Aberrant a vero, quicunque existimant, quæri de dimidio siclo, qui templo dependebatur, an ille sit Cæsari dandus. Diversa omnia. Non de legitimo, sed de extraordinario, & vi Romanorum extorto agi tributo, eruditissimus Camerarius apud Abrah. Scultetum Observ. cap. 60. in Matth. docuit. Tribus verbis: Cæsari reddenda sunt, quæ sunt Cæsaris, non Petro; quemadmodum non ad Petrum, sed ad Imperatorem Paulus appellavit. Ex verbis, *Reddite, quæ Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ Dei, Deo,* Justinus, teste Joh. Forbesio Instit. hist. Theol. lib. 7. c. 4. infert, *ut Principibus in aliis quidem læti ministremus, Deum autem solum adoremus*, ὅθεν Θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες. Intelligit cultum, qui civili major sit; nam sine peccati crimine Bath-scheba & Nathan Davidme adorârunt, I. Reg. I.

3. §. *Succedit denarius, omnibus ex æquo præbitus*, Matth. cap. XX.

Observat Lightfootus, in Matth. 20, 2. 13. in hac parabola

bola (quæ Cappello convenire videtur cum illa, quam R Jona desumsit ex Tanchuma) operarios mane conduci in totum diem, ac postea in horas. Perinde, ac distinguunt canones Hebræorum inter שכרים יום *conductos in diem*, & שכרים שעות *conductos in horas quasdam*. Qui operam suam addixerunt certo pretio, contenti illo debent vivere, secundum canonem Maimon. in שכירות cap. 9. *Dicit paterfamilias servo: Ito, conduc mihi operarios quatuor denariis, atque abit ille, & conducit eos tribus; quamvis labor eorum mereatur quatuor denarios, non reddentur tamen iis, nisi tres,* שקיבלו על עצמן ויש להם תרעומה על שליח *eo, quod ex compacto hoc in se susceperunt, & querela iis est adversus servum.* Immodice loco hoc abutuntur, qui per mercedem intelligunt vitam æternam. Rectius exponunt nonnulli operarios primo conductos de Judæis; per conductos posterius, intelliguntur gentes serius vocatæ. Denarius utrisque datus significat admissionem utriusque populi in fœdus. Quod quam ægerrime ferebant Judæi, & gentes in consortium gratiæ admitti indignabantur. Minus firmum est argumentum de denario omnibus ex æquo soluto, ut per eum æternam vitam liceat intelligere; quando quidem denarius murmurantibus quoque datur & malevolis, illisque, qui recedere jubentur a Domino, v. 14. Si cui aliter visum fuerit, acquiescimus pulchra Paulini sententia in Nat. Felicis. *Beatos fore omnes dissimili fulgore pares.* Pares, quia omnes clara Dei visione ex æquo erimus beati; impares, accidentali gaudio & externa claritate.

4. §. *Clausulam disputationi imponat ultimus quadrans*, Matth. V, 25. 26. *Cui respondet* Luc. XII, 58. 59.

Quadrantem æquant duo λεπτὰ, Marc. XII, 42. λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης perinde ut duæ prutæ valent unum quadrantem, quod est in Hierosol. Kidduschin fol. 58. 4. Lightfootus,

ſootus, quo nemo accuratius hæc ſcrutatus eſt, quadrantem ſic dictum exiſtimat, *non quod quarta pars eſſet denarii, ſed quarta pars aſſarii, qui quam minima pars fuerit denarii.* Meretur referri ſententia doctiſſimi Wilebr. Snellii, de Re numm. λεπτὸν chalci fuiſſe partem ſeptimam apud Atticos; ſed λεπτὰ, quorum meminerit Marcus, λεπτοῦ Ἀθηναίων pretium ter ſuperaſſe. Hilarius λεπτὰ δύο vertit duos denarios; ex vetuſto denarii uſu, pro ſtipe. Plutarch. in vita Cic. teſtatur, τὸ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κοδράντην καλοῦσι, *minimum æris nummulum quadrantem vocari.* Rem ipſam aggredimur. Chryſoſtomi mentem explicat vir egregius, Fr. Spanhemius, Dubb. Evang. part. 3. dub. 144. nullam hic eſſe parobolam, ut *judex* intelligatur homo, *tortor* homo, *carcer* vera vincula &c. Solide eundem locum pertractavit Spanhemius F. Vindic. Bibl. lib. 1. loc. 20. non ſine plurium acceſſione. Donabimus, locum eſſe veluti parabolam quandam, ut ſenſus hic exiſtat, ſuadente Vincentio Regio, *fac in rebus animæ, quod ſolet fieri in lite de re temporali; ut enim præſtat reconciliari adverſario, id eſt, ei, qui habet aliquid adverſum te; quam ab eo judici tradi & condemnari: ita proximo læſo præſtat reconciliari, quam a Deo puniri.* Πρότασις a Chriſto expreſſa, non ἀνταπόδοσις. Quare totius orationis ſcopus videndus eſt, nec convenit, partes ſingulas vexare. Alia occaſione repetita apparent, quæ Matth. V. dicta ſunt; nihilominus idem ſenſus manet integer, litigioſos homines ſeverum aliquando experturos judicium. Et perpetuus Chriſti mos eſt, perſuadere hominibus concordiam moderationemque. Quod vel ex parallelo loco Luc. XII, 58. patet. Inquiunt: Noviſſimus quadrans minuta indicat peccata, quando etiam quadrans eſt minima moneta. Verbo: Satisfactio pœnæ & purgatorium latent hic. Bona verba! Vir magna gloria, J. F. Gronovius lib. 4. de Pecun. vet. c. 12. negat, per quadrantem proprium genus minuti æris intelligi debere; & carcerem, unde non exitur, ante ſolutionem

ultimi quadrantis, exponunt gehennam cum Ambrosio & Hieronymo, Augustinus lib. ad Dulcitium, quæst. I. & lib. I. de Serm. Dom. in Monte, ac Fulgentius lib. II. de Remiss. peccat. cap. IV. *Donec reddas*, non signficat certum tempus; sed æternitatem; ut Matth. I, 25. Psal. CX, 1. I. Cor. XV, 25. Et in sensu literali certum, vel minima debita cum rigore esse solvenda. Matth. XVIII, 34. πᾶν τὸ ὀφειλόμενον, figurate, significat, omnes pœnas sustinendas, nulla condonata. Instant: κοδράντης & λεπτὸν designant peccata per se venialia. Verum sunt ista ἄγραφα, imo ἀντίγραφα. Et ostensum magnis viris, non peccatum innui; sed extremam pœnæ partem, nec reddi peccata, sed pro peccatis pœnas. Si dentur minima peccata (nam ἔσχατον & ἐλάχιστον, satis a se invicem distant) quis credat, dari peccata venialia natura sua? Imo, si ita esse fingamus, luenda certe; æque ac debitori ne teruncii quidem fit remissio. Hæc tradidisse abunde sit. Dixi enim prope plura, quam potui; sed pauciora, quam debui. Ut justissima mihi caussa sit, propitio Divino Numine, nunc desinendi. Cui gratias perpetuas solvam & immortales.

AUCTARIUM, DE NUMMO CONCORDIÆ EUGENII IV. PONTIFICIS.



Aureus hic nummus est, Eugenium summi Pontificis habitu rite ornatum referens, clavem utramque gerentem, & dextra sacrum imperantem silentium, similem bene-

 dicturo:

dicturo: altera facie ipse rursus ostenditur, stans erectus, binique sacri ordinis viri, *Græcus* alter, alter *Armenius*, tecti capita, prostrati ad pedes ejus jacent, tendentes manus, orantesque quasi fracto & humili animo concordiam. Inscriptio hæc legitur: GRECI ARMENIQUE IN SINODO FLORENTINA CUM SEDE (ante pectus Pontificis) APLICA (id est, Apostolica) SUB EUGENIO PAPA IV. ANNO CHRISTI MCCCCXIL. (MCCCCXXXIX. ex usu illius ævi scripto numero) UNITI SUNT. Jam olim Gregorius X. in concilio Lugdunensi enixe studuit, ut Græci cum Latinis in unum corpus coalescerent. Itaque, si vestigiis F. Henr. Sedulii comment. ad Vit. S. Francisci insistimus, opera F. Hieron. ab Asculo usus est, natione Picentis, qui Pontifex ex ordine Minorum primus factus, & Nicolai IV. nomen assumsit, eumque cum tribus aliis ejusdem instituti Patribus ad Michaëlem Palæologum, Græcorum Imperatorem, legatum excurrere voluit, *quem*, ait Sedulius, vel potius fingit, *ad obedientiam reduxit Romanæ Ecclesiæ. Quadraginta Græcorum Primates subscripsisse dicuntur Romano Pontifici.* Johannes XXII. A. MCCCXXXIII. cum Armeniis per fratres Minoritas cœpit agere, inter quos eminuit, dicente Hier. Plato lib. 2. de Bon. stat. relig. c. 30. Gonzalus Sauratus. Quin Thomas a Jesu de Convers. ,citante Ephraimo Pagitt. in lib. de Christianis universi orbis, Pontifici non subjectis, in the Christianography, cap. 2. inter Gregorium Armeniorum Episcopum, & Sylvestrum Romæ pactum intercessisse pronunciat, quod pro more Constantino ferunt acceptum. Deinde alacriter institit, & cœpta antecessorum strenue ursit Eugenius IV. quem Basileenses loco movere maximopere cupiverunt. Neque tamen in cogendo concilio minus solicitus is fuit, ad se evocato in Italiam Johanne Palæologo, Imperatore. Tunc, ajunt, pacem inter se conciliârunt, & confecerunt concordiam occidentis orientisque Ecclesiæ. Verbo: Reconciliatio concordiæ facta est. Leo Al-

latius de Perp. Conf. conjunctionem Græcorum cum Latinis tuetur atque defendit ; & , Petro Radulphio lib. I. Hist. Seraph. relig. autore, vir utriusque linguæ peritissimus, Albertus a Sartiano, Mediolanensis, *deduxit Armenios ad obedientiam Ecclesiæ, tempore Eugenii IV. in concilio Florentino.* Veram historiam concilii illius Græce scripsit Silvester Sguropulus, magnus Ecclesiarcha, qui concilio interfuit, unus e quinque Crucigeris & intimis Consiliariis Patriarchæ, quam in sermonem Latinum transtulit, doctissimasque notas adjecit Caroli II. Britanniæ Regis Sacellanus domesticus, Rob. Creyghton. Multum narratio hæc distat a Binii ista, aliorumque. Recensebimus aliqua ex sect. X. cap. XVIII. Legati Angliæ, Bononiæ offendunt quosdam a concilio reduces. Quærunt, quo modo successerint res concilii: Isti respondent, convenisse inter utramq; Ecclesiam, quarum quælibet dogmata sua retineret: Additamentum in Symbolo servarent sibi Latini, Græci omitterent: Panis fermentatus esset penes Græcas Ecclesias; non fermentatus, penes Latinas: Crederent Græci Spiritus S processionem, quam vellent. Hinc Sguropulus : οὐδὲ ἡ ἕνωσις, ἣν ὑμεῖς λέγετε, ἐστὶν ἕνωσις , *neque, quam perhibetis unionē, unio est.* Palæologus reversus domum, invidiam & odium suorum tulit, & Ephesinus concilio subscribere recusavit. Etiam Clerici, Hieromonachi CPtani, ab istis, qui cum Imperatore erant, secessionem fecerunt. Quod spectat ad Armenios, suberant aliquando CPtano Patriarchæ; postea, Armeniæ majoris & minoris Patriarchis catholicis paruerunt, prolapsi in pessimum errorem, unius naturæ in Christo. Si fides Edoardo Brerewood, in Scrut. Relig. c. XV. vel XXIV. apparet ex Confessione Armeniorum, quæ jussu Catholici, sive Patriarchæ Armenii, ad Patriarcham CPtanum, de Trinitate, ante annos centum circiter scripta est, errorem hunc apud ipsos evanuisse. Concilio sane Chalcedonensi, quo Eutyches damnatus est, subscribere noluerunt ; verum utramque Christi naturam , divi-

nam humanamque professi sunt, sine mixtione; quamvis labem dogmati asperserint, post unionem naturam videri unicam; quod perspexit erudita industria Ephr. Pagitt. De convenientia Armeniorum cum Latinis statuit Brianus Walton Dissert. de Lingu. Or. n.84. *ipsos in liturgiis & cæremoniis, præ omnibus orientis sectis, Ecclesiæ Latinæ propius accedere.* Petrus Bellonius, referente Cassandro de Liturg. c. 13. *Presbyteri Armeniorum — in celebranda Missa calice utuntur, Latinorum more, eisdemque ornamentis vestiuntur, neque vero magno pane consecrant, Græcorum more, sed, ut Latini minutis, oblatis seu hostiis.* Admodum prolixa forent ista omnia. Nunc putamus esse necessitudinem, ut finem controversiæ constituat Metrophanes Critopulus Confess. cap. ult. qui sub initium sæculi demum nostri mentemque & sensus præsens in Germania exposuit: πολλή ἐστιν ἀμάθεια καὶ βαρβαρότης παρὰ τοῖς νῦν Ἀρμενίοις καὶ Νεστοριανοῖς, ἀλλ' οὐ δὲ μίαν συμφωνίαν οὐχ ὅπως πρὸς ἑκατέρους, ἔστι γὰρ ἀδύνατον, ἀλλ' οὐδὲ πρὸς ἀλλήλους ἔνεστιν ἰδεῖν· *Magna est ignorantia & barbaries hodiernorum Armeniorum & Nestorianorum; sed tantum abest, ut ullam cum alterutris concordiam (hoc enim impossibile) ut ne quidem inter ipsos invicem (illam) videre liceat.* Brevissime:

Discordia concors est, & perpetua.

DISSER-



DISSERTATIO II.
DE ERRORIBUS PICTORUM CONTRA HISTORIAM SACRAM.

* * *

EPISTOLA
AD GODOFREDUM SCHORERUM.

Molt' Ill.re Sig.re
Mio Sig.re ed Amico singolar.mo

Uanta stima io habbia sempre mai fatta e delle pitture, e de i Sig.ri Pittori, i quali con le delicatezze del penello ò s'acquistarono, ò si vanno acquistando l'immortalità di nome, nissuno saprà meglio di V. S. Molt'

S. Molt' Ill.re purche voglia ricordarſi di quei diſcorſi, ch'io feci più d'una volta, quando hebbi l'honore di goder' à tauola la ſua ſoauiſſima compagnia nella più nobile città d'Italia. Mà ella ſteſſa, forzata dall'inſuperabile virtù della verità, m'acconſentì anche, che ſpeſſe volte ſi truovano errori contro la ſagra hiſtoria eziandio in quei quadri, doue per altro ſignoreggia e quaſi pompoſamente trionfa la divina arte della pittura. Adunque non le parerà ſtrano il veder dà me paleſata una piccola man di tali errori, e dedicata à lei queſta mia operetta, poiche quello ſerue per mantenere la mia parola, e queſto deue eſſer certo e ſicuro pegno di quel grandisſimo affetto, ch'io le ſempre hò portato, e porto ancora, per amor delle ſue virtù ſingolari, per mezzo delle quali ella ſi và meritando il titolo non meno d'huomo garbatisſimo, che di pittor' eccellente. E le bacio caramente le mani, augurandole dal Cielo ogni maggior contentezza. D'Altorfo li 25. d'Agoſto, l'anno 1684.

Di V. S. Molt' Ill.re

Partial.mo e ſuiſcerat.mo ſerv.re

GIO: FABRICIO.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM.

Non mirum est, nobilissima ingenia, quin Principes etiam viros, ac Monarchas potentissimos picturis delectari, easque in deliciis habere: Est enim ars pictoria omnium ingeniosissima, & prope (si ita loqui fas est) ad divinas operationes accedens. Nam sicut Deus, pro infinita sua & scientia & potentia, ex nihilo elegantissima maximeque mirabilia produxit opera, ita pictura, nuda in tabella, quicquid lubet, efficit, repræsentans modo purissimas astrorum luces, modo varias lunæ facies, heic aureum solis jubar, illic miros meteororum lusus, & stupendos cometarũ habitus. Eadem & fulminibus armat cœlum, & grandinem præcipitat, & nivem spargit, & pluviam effundit, & aëris serenitate spectantes oblectat. En porro, quam limpidas formet aquas, quam stridulos fontes, quam leniter fluentia flumina, quam multa animantium, quæ in aquis vivunt, genera. Ecquid in terra est, quod ipsa non pariter effingat? Jam floribus tellurem spargit, jam fructibus ditat, jam glacie constringit atque involvit. Modo colles elevat, modo juga montium erigit, modo ambulacra ponit. Heic millenas animalium varietates promit, illic homines sistit, creaturas ad unam omnium nobilissimas, adeo scite & affabre, ut iis præter vitam deesse nihil videatur. Ita omnia, quæ vel sunt, vel fuerunt, quid? etiam quæ futura sunt, tenui penicillo & pauxillo coloris, pro lubitu efformat, oculisque nostris, ad stuporem usque, subjicit, ut Creatoris imitatricem *haud fortassis immerito dixeris. Immo etiam spirituales illas substantias, quas angelos appellamus, Deumque ipsum opt. max. qua se manifestavit in verbo suo, & artificialia quoque, quorum itidem infinitus est numerus, absque temeritatis nota delineare audet. Sed, ut nihil est ab omni parte*

beatum, ita divina hæc ars suos quoque habet nævos, dum sæpius contra historiam non tantum profanam, sed etiam sacram delinquit. Quanquam id potius artificibus, veritati rerum gestarum non satis semper intentis, quam arti ipsi tribuendum est. Nos & hanc & illos veneramur, quantum par est, & æstimamus, sed magis tamen veritatem. Cujus gratia dum aliquot circa historiam sacram errores, in excellentissimorum pictorum operibus a nobis observatos indicamus, tantum abest, ut cordatiores nobis id vitio versuri, ut potius, plures ab aliis (sicut & ante nos factum est a viris doctissimis, ut Erasmo apud Molan. p. 112. & Dilherro in Dispp. Phil.) *quo notentur atque manifestentur, desideraturi sint; modo id fiat absque sugillandi & cavillandi studio. Quod a nobis sane procul abesse jubemus.*

Neque est, quod quis statim heic in limine objiciat, nos hac ratione, ut proverbio dicitur, aërem verberare, & cum larvis pugnare, eo quod pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper æqua fuerit potestas; adeoque, ut Thomasius in disp. de Fab. Poët. §. 7. infert, patiendum esse, ut pictores veris imaginibus vestes fictas, aut alia abs se excogitata ornamenta, quæ nihil tamen occulti significent, appingant; *sive, ut Molanus sentit lib. 2. de Hist. SS. Imag. c. 20. & 30.* in picturis multa rectissime apponi, non significandi quidem causa, sed ad complementum & debitum ornamentum ipsius imaginis. *Nam, ut hæc libenter concedimus, ita exinde nondum probatum est, ferenda esse omnia pictorum* ἁμαρτήματα, *contra ipsius etiam historiæ S. veritatem commissa; quibus ita stantibus picturæ profecto non amplius* Laicorum Biblia *fuerint, sed deceptio, atque seductio. Et quamvis plerique, aut saltem aliquot pictores adeo duræ sint cervicis, ut meliorem in hisce informationem admittere recusent, de quibus ita Dilherrus T. 1. Dispp. p. 723.* Quisquis pictorum nostrorum ruditatem voluerit corrigere, is profecto otium despera-

desperaverit omnino. Adeo ineruditi sunt plerique, adeo cognitionem omnem antiquitatis turpiter abjecerunt; *alii tamen etiam, iique haud pauci, reperiuntur, quos æquus amavit Jupiter, quique meliora moniti, haud gravatim auscultant. Esto etiam, nos surdis narrare fabulam, omnesque illos esse incorrigibiles, propterea tamen historiæ sacræ veritas non erit nobis deserenda, sed potius eo acrius defendenda, quo turpius ab illis negligitur atque contemnitur; ad eum modum, quo verbi divini præcones tanto magis instant pariter dehortationibus atque adhortationibus suis, quanto duriores ac pervicaciores sese exhibere solent auditores. Ne dicam, nos non tam pictoribus scribere, ut corrigantur, quam studiosæ juventuti, ne illorum picturis decipiatur. Sed, agite, ad rem ipsam accedamus.*

I.

ADAM ET EVA.

TRiplicem errorem errant pictorum nonnulli in Adamo repræsentando: 1. Dum ita eum delineant, quasi ipse manum extenderit ad fructum vetitum. 2. Dum eum & uxorem Evam de fructu illo adhuc comedentes proponunt obtectis genitalibus. 3. Dum iis post commissum peccatum, in statu miseriæ constitutis, unicum ficûs folium in manus dant, quo tegant pudenda. Nam quod primum attinet, Scriptura dicit, mulierem viro dedisse edendum, *Gen. III, 7. & dedit etiam viro suo secum, &* (ipse) *comedit.* Deinde, quia ante, quam vetitum comedendo fructum prævaricati essent, nihil pudendi in iis erat, non opus habebant tegumento membrorum, quæ ob pravam concupiscentiam inibi postea regnantem, *pudenda* dicta sunt. Idque etiam Moses testatur, descriptioni consummati jam a protoplastis peccati hæc subjiciens v. 7. *Et aperue-*

ruerunt ſeſe oculi amborum, noverunt que ſe nudos eſſe, & conſutis foliis ficulneis fecerunt ſibi ſubligacula. Quæ ultima verba pariter nobis inſerviunt ad evertendum tertium errorem, indicantia, non uno, ſed pluribus foliis, iisque inſtar ſubligaculorum conſutis, ad veſtienda genitalia uſos eſſe primos parentes, cætero corpore adhuc nudos, ſicut & hodie Braſiliani incedere ſolent. Quanquam non deſunt, qui חגרות de *ſeptis* vel *ſcenis* interpretantur, putantes, primos illos parentes de fronde feciſſe tecta, ſub quibus habitarent, ſicut & Tamuditæ Arabes habitacula ſua, quæ plerumque ſcenæ ſunt, hodienum חגירון aut חגרון appellant. Et, quod ad ſecundum attinet, culpa careant pictores, ſi honeſtatis cauſa partibus pudendis folium induunt, ſpectantes non tam facti veritatem, quam quid maxime conveniat moribus noſtris, judice Voſſio diſpp. de Bapt. p. 31.

II.

ISMAEL.

Iſmaëlem una cum matre e domo paterna ejectum, conſumta vero aqua, præ ſiti jamjam moriturum, ſolent nobis exhibere pictores in forma puſionis ſeu infantis. Sed (quod pace ipſorum dicere liceat) minus recte. Nec enim verba Gen. XXI. 14. וישכם אברהם בבקר ויקח־לחם וחמת מים ויתן אל־הגר שם על־שכמה ואת־הילד: i. e. *Et ſurrexit Abraham ſummo mane, & tulit panem & utrem aquæ, & dedit Hagaræ, poſuit ſuper humerum ejus, & puerum,* ita ſunt intelligenda, ac ſi, ut alimenta, ita & Iſmaëlem, eo quod infantulus eſſet, qui ambulare non ſuſtineret, humeris matris impoſuerit Abrahamus, ſed quod ei dederit, ſeu una cum illa exire juſſerit filium quoque. Ut adeo voces duæ, *& puerum*, conſtrui debeant, vel cum verbo *dedit*, ceu Noſtrates ſentiunt, vel cum verbo *tulit*, ut *Vatablo*

blo placet in verſione iſtius loci. Quare & reliqua, quæ haben-tur v. 15. :ותשלך את־הילד i. e. *et projecit puerum*, & v. 18. *Surge, tolle puerum*, קומי שאי את־הנער והחזיקי את־ידך בו: *& apprehende manu tua ipſum*, non hunc habent ſenſum, quaſi derelicta Hagar filium ab humeris abjecerit, eundemque, mox ab angelo edocta, in ulnas receperit, portaveritque, ſed quod eum, qui præ ſiti & ardore progredi amplius non poterat, atque inde jam febri laborare cœperat, reliquerit ſub arbore quadam, ut ſaltem ſub umbra ejus placidius moreretur, poſtea audem, mox læto angeli nuncio erecta, manu apprehenderit, duxeritque, uti ambulantes ex affectu facere ſolent, inprimis quando alter ex languore debilis eſt. Conf. Hieron. Quæſt. Hebr. T. 3. p. 212. Et illo ſane tempore jam natu grandior erat Iſmaël. Erat enim facile octodecim annorum, ſi Iſaac anno quinto ablactatus eſt, vel ſedecim, ſi tertio, ut obſervat S. *Auguſtinus* q. 53. in Gen. Neque videmus, qua ratione tantum ei delictum, quod ipſi juſtiſſimo Numini dignum exilio viſum, tribui poſſit, ſi adhuc in infantum, inter bonum & malum diſcernere non valentium, numero fuiſſet: Etenim eopſe die, quo Sara Iſaacum ablactabat, ipſa Iſmaëlem vidit מצחק *irridentem*. v. 9. Quod ſive de ſubſannatione eorum, qui Abrahamo, quod ei in ſenectute Dominus dederit filium, gratulabantur; ſive de laſciviæ & petulantiæ luſu; ſive de altercatione cum Iſaaco ob hæreditatem cœpta; ſive de irriſione, qua contemtim habuit pietatem Iſaaci; ſive denique de perſecutione, qua probum fraterculum excepit, juxta Gal. IV, 29. intelligas, indicio eſt, eum jam ſatis rationis uſum habuiſſe, atque adeo nuces, quod ajunt, reliquiſſe.

III.

TABULÆ MOSIS.

Qui præ cæteris accurati eſſe cupiunt pictores, Moſi non

non tantum tabulas decalogi tribuunt, ſed ipſum etiam decalogum hebraicis characteribus in tabulis illis pingunt, & quidem in anterioribus earum faciebus, ita ut in altera præcepta Dei cultum exigentia, in altera vero reliqua, quæ officiũ erga proximũ præſcribunt, ſeſe offerant. Quamvis vero de hoc,* quot præcepta in unaquaque tabula fuerint inſculpta, tacente Scriptura, nihil certi afferre liceat, de eo tamen, quod tabulæ ſingulæ ex utraque parte fuerint ſcriptæ, vix dubitare poſſumus, cum Moſes dicat Exod. XXXII. 15. quod ſibi in manu fuerint לחת כתבים משני עבריהם מזה ומזה הם כתבים *tabulæ ſcriptæ a duobus lateribus ſuis, hinc & inde ſcriptæ erant.* Nam ſi nihil aliud dicere voluiſſet Moſes, quam hoc, ſingulas tabulas in altero duntaxat latere ſcriptas fuiſſe, quid opus fuiſſet additione horum verborum, *a duobus lateribus ſuis, hinc & inde ſcriptæ erant?* Illud enim, quod tantum interiores earum facies ſcripturam continuerint, vel e duabus vocibus לחת כתבים *tabulæ ſcriptæ*, ſatis jam ſuperque conſtare potuiſſet. In eandem ſententiam eunt varia doctrina inſignes viri, *Paulus Fagius* & *Cornel. Janſenius*, comm. in h. l. ita quidem, ut hic exiſtimet, ſibi etiam favere Fl. Joſephum l. 3. Ant. Jud. c. 4. *ſi* (ut ait) *Græca attendantur.* Sed (quod pace ejus dixerim) fallitur; Græca enim hæc ſunt: Καὶ λόγων, οὓς Μωυσῆς ἐν ταῖς δύο πλαξὶν γεγραμμένους κατέλιπεν. i. e. *& verba ſive præcepta, quæ Moyſes duabus tabulis inſcripta reliquit.* Ac paullo poſt: Ταῦτ' εἰπὼν δύο πλάκας αὐτοῖς ἐπιδείκνυσιν, ἐγγεγραμμένους ἐχούσας τοὺς δέκα λόγους. i. e. *His dictis profert duas tabulas, continentes decem præcepta inſcripta.* In quibus profecto ne γρῦ quidem de eo, utramque utriusque tabulæ columnam ſcriptura repletam fuiſſe. Sed neque adeo opus eſt nobis ſuffragio Joſephi, qvum, præter allatam rationem, etiam S. codicis interpretes in ſententia noſtra ſatis nos confirment, LXX.

* R. Jac. Jeh. Leo de Templo Hieroſ. p. 171.

LXX. πλάκες λίθιναι καταγεγραμμέναι ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν, ἔνθεν καὶ ἔνθεν ἦσαν καταγεγραμμέναι. *Onkelos* Chaldæus, ex verſione Fagii: *tabulæ ſcriptæ in duabus ſuperficiebus ſuis, hinc & hinc erant ſcriptæ. Lutherus*: Die waren geſchrieben auf beyden Seiten. *Vatablus*: *tabulæ ſcriptæ ex utroque latere earum, hinc & inde erant ſcriptæ. Piſcator*: Die waren beſchrieben auf beyden Seiten / hie und dort waren ſie beſchrieben. *Belgicus* : *Deſe tafelen waren op hare beyde zyden beſchreven, ſy waren op d' eene, ende op d' ander zyde beſchreven.* Et *Anglicanus*: *The tables were written on both their ſides ; on the one ſide and on the other were they written.* Idem ſtatuit D. Eſpagne in Shibboleth, Tomo III. Opuſcul. p. 17. Omnes enim iſti ad eum modum, quo nos, videntur intellexiſſe ſacrum fontem , nimirum non tantum intus, ſed etiam foris, ſeu in utraque tabularum facie verba decalogi fuiſſe exarata. Salva tamen aliorum, (ut Calovii & Rauppii) quibus aliter videtur, auctoritate propoſitum hoc volumus.

IV.

SERPENTES IGNITI.

Num. XXI. 6. legimus, Deum rebellibus, & non minus contra ſe, quam Moſen murmurantibus Iſraelitis immiſiſſe הנחשים השרפים *ſerpentes ignitos* , qui morſibus ſuis magnæ populi multitudini necem intulerint. Eos itaque colore igneo exhibent pictores. Nec male. Sed vereor, ne aliquid omittant, quod tamen ad ſerpentes aut dracones illos omnino pertinet , videlicet alas: fuit enim in auſtralibus & orientalibus terræ regionibus ſerpentum genus alatum , atque inſigni ſplendore , veluti flamma coruſcans, Hebraice dictum *ſaraph* i.e. ignitum, non ab effectu duntaxat, quod (ut Vatablus, Munſterus , Clarius, Grotius, aliique viri docti annotant) morſu vel flatu induceret calorem inten-

intenſiſſimum, & veneno ſuo, quaſi arcano igne, adureret, ſed inprimis a colore igneo, quem per äera volantes præ ſe ferebant, quemque ſerpens æneus, ex ære polito ſeu levigato, & ad inſtar ignis candente conflatus, ſcite repræſentabat. Vide Bocharti præfat. in Hieroz. Sim. Patricii comment. in Geneſ. & Wegleit. diſp. de Serp. tentat.

V.

UVA MAGNA CANANÆA.

Exploratores ad Dei mandatum a Moſe in terram Canaan miſſi, cum perveniſſent in vallem, quæ poſtea a præſtantia uvarum, quas produxit, vocata fuit *Eſcol*, præcepti Moſaici memores, exciderunt botrum prægrandem, eumque palanga ſuſpenſum portaverunt bini. Idque pictorum penicillus recte exprimit, quin melius, quam nonnulli Rabbinorum, qui quatuor vectes, unde pependerit racemus, & ſub iis octo bajulos finxere. (De quibus videatur *Wagenſeilius* in Sota p. 707.) Sed in eo vel deficit, quod una cum racemo non exhibet palmitem; vel excedit, quod vecti, præter botrum, appendit & malogranata & ficus ejusdem terræ, cum tamen Moſes ita ſcribat Num. XIII. 24.
ויבאו עד־נחל אשכל ויכרתו משם זמורה ואשכול ענבים אחד
וישאהו במוט בשנים ומן־הרמנים ומן־התאנים׃ i.e. *Et venerunt usque ad vallem Eſcol, & exciderunt inde ramum & botrum uvarum unum, & portaverunt illum vecte in duobus: & de malogranatis & de ficubus.* En botrum non nudum, ſed juxta cum illo exciſum ramum ſeu ſermentum, vel palmitem, foliis ſuis inſtructum, nimirum ut hac ratione facilius e vecte appenſus portaretur, & adſpectui eſſet gratior. Reliquos fructus exciſos quidem cum uva, dicitur, ſed juxta eam appenſos, non item. *Unum* autem dicit, ne quis putaret, palmitem uvis eſſe plenum, & ita ceſſaret admiratio quod a duobus viris portaretur in vecte. Janſen. ad h. l.

VI. SIM-

VI.

SIMSON.

Nobiliſſimi cujusdam pictoris manus artificioſiſſima, tragœdiam Simſonis, fortiſſimi Hebræorum, repræſentatura, pro ſtrato vel ſella ei tribuit nudam terram, pro cervicali ſinum amaſiæ Delilæ, data huic in manum novacula, qua capillos ejus abraſerit. Verum, quod ultimum hoc attinet, contrarium videtur teſtari hiſtoria ſacra. Sic enim legimus Jud. XVI, 19. ותישנהו על־ברכיה ותקרא לאיש ותגלח את שבע מחלפות ראשו: i.e. *Et dormire fecit eum ſuper genua ſua, vocavitq; virum, & radi fecit ſeptem cincinnos capitis ejus.* איש autem, ſive *vir*, erat tonſor, docente Vatablo; quid? ipſis LXX. interpretibus, qui verba illa: *Et vocavit virum*, ſic reddunt: Καὶ ἐκάλεσε τὸν κουρέα. i. e. *& vocavit tonſorem.* Atq; hos κατὰ πόδα ſequitur vulgatus. Eodem ſenſu Lutherus: Und ſie ließ ihn entſchlaffen auff ihrem Schoß/ und rieff einem/ der ihm die ſieben Locken ſeines Häuptes abſchore. Et Anglicana verſio: *And she called for a man, and she cauſed him to shave off the ſeven locks of his head.* Unde clarum eſt, ipſam vices tonſoris non obiiſſe. Equidem non ignota eſt nobis doctiſſimi Druſii annotatio: Raſit) *per tonſorem i. e. radi curavit. Nam eſt verbum fœmininum. Aut ipſa hoc fecit, ſumens novaculam a tonſore. Aut radi fecit; ut ſit verbum tranſiens in tertiam.* Cum quo etiam facit Schindlerus in voce גלח Sed fœminæ, artis radendi procul dubio imperitæ, novaculam tradere, vel a pictore traditam relinquere non audemus: præſertim quum nihil frequentius ſit, cum in Scriptura ſacra, tum in vulgari ſermone, quam ut, quod quis per alium facit, id ipſe feciſſe dicatur. Quod ſitum attinet, ſedensne in terra, reclinato in ſinum Glycerii ſui capite, an potius cubans in lecto, ante genua illius ponendus ſit miſer amator, in medio relinquimus. Utrumque enim intel-

ligi potest verbis ante citatis : ותישנהו על ברכיה i. e. *& dormire eum fecit super genua sua.*

VII.

SUSANNÆ AMASII.

Si Apellis filiis credimus, duo illi viri, qui libidine erga Susannam accensi, pudicitiæ ejus vim inferre attentabant, extremæ erant ætatis, cani, tremuli, calvi, oculisq; senio ita infirmis, ut perspicillis eos armare necesse haberent, atque, ut uno verbo me expediam, silicerniis quam viris similiores. Equidem tanto gravius fuisset eorum delictum, si in summa senectute amori operam dare non erubuissent: quum nihil sit inconvenientius, quam si nivei capilli libidinis æstu flagrent, & frigida emortuaque membra pruritui amoris exponantur. Sed unde id probabitur? An ex eo, quod Dan. XIII. 5. πρεσβύτεροι *seniores* vocantur? Veruntamen quis nescit,* senectutem quandoque sapientiæ nomen habere, quia in senioribus non semper ætas, sed prudentia respicitur: & πρεσβυτέρους appellari, 1. in genere, ætate provectiores. 2 in specie, gubernatores alicujus populi? Et quod vox πρεσβυτέρων l. c. huc restringenda sit, ostendunt verba consequentia, quando dicitur, eos fuisse isto anno judices constitutos: Καὶ ἀπεδείχθησαν δύο πρεσβύτεροι ἐκ τοῦ λαοῦ κριταὶ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ, i. e. *Et designati sunt duo seniores ex populo, judices in illo anno.* De iisdem dicitur, quod, dimittente puellas suas, solaque remanente in horto Susanna, ἐπίδραμον αὐτῇ *incurrerint in eam*, v. 19. & de eorum altero, quod, fortiter constanterq; arcem castitatis defendente illa, δραμὼν *currens* v. 25. aperuerit portas horti. Quo autem modo ita currere sustinuissent, si valde fuissent senes, languidi, exsucci, decrepiti, & de ponte dejiciendi? Pingantur itaque forma virili, si placet, aut senili, sed ea, quæ aliquid

virium

* Dist. 84. cap. Porro Moysi præcipitur. Raupp. in voce πρεσβύτεροι.

virium adhuc habeat, nec historiæ e diametro repugnet. Si tamen historia illa non fabulam sapit. Vide Raupp. ad ✠. 65 & Calovii Biblia Illustrata, & quidem Vet. Test. Tom. III. p. 183.

VIII.

IESUS INFANS.

Locum, in quo Jesus a magis adoratus, repræsentaturi pictores, stabulum fingunt, existimantes, in eodem, ubi natus, cultum quoque præmiisq; mactatum fuisse. Atque ita quidem sentiunt ex doctis etiam haud pauci; nec desunt Antiquitatis testimonia. Sed quibus Scriptura potior est, aliter statuendum erit, nimirum præstitam esse illam adorationem in domo, quæ erat in vico Bethlehem, atque, ut videtur, *illud ipsum diversorium, cujus meminit Lucas II, 7. Nam confecta descriptione, & hospitio, quod occupatum erat, discessione turbarum vacuefacto, probabile admodum est, Josephum & Mariam, relicto stabulo, ad illud se atque infantem transtulisse*, sunt verba doctissimi Casauboni Exerc. II. ad Annal. Card. Baronii p. 148. Scriptura enim domus meminit, non stabuli, inque illam, non hoc ait intrâsse magos, Matth. II, 11. Καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν. i. e. *Et intrantes in domum.*

IX.

IESUS XII. ANNORUM.

Parentibus Jesu a festo Paschatos domum remeantibus, ipse remansit, atque repertus tandem ab iis fuit in loco quodam templi, ad docendam legem ac disputandum deputato, & quidem sedens inter doctores, quos audiebat & interrogabat, sive, ut Græca habent Luc. II, 46. Καθεζόμενος ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούων αὐτῶν, καὶ ἐπερωτῶν αὐτούς. Quid jam inde pictores? Cathedram struunt altiorem, in ea puerum

collocant Jesum, eumque docentem, ab ore ejus dependentibus & humi considentibus Rabbinis. Sed hæc omnia præter Scripturam. Illa enim non dicit, eum occupasse locum doctoris, sive suggestum, sed *sedisse in medio doctorum* h.e. inter doctores, hinc inde in subselliis altioribus, fortassis juxta parietes positis, considentes; nec docuisse, sed pro ratione illius ætatis, *audivisse* docentes, & *interrogâsse*, h.e. quæstiones ex iis, quæ tradiderunt, excitâsse, ut videlicet, qui eos docturus esset, servata decentia discere velle videretur. Quanquam & hoc certum est ex ℣. 47. ita Jesum discipuli personam egisse, ut, dum interrogatus respondebat, magnos illos magistros multa doceret, atq; adeo præludium quoddam officii sui faceret. Unde etiam factum, ut ipsi non tam admirabundi eum audirent, quam *obstupescentes*, & quasi extra se rapti. Utrumque animadvertens Gregorius M. 3. parte Pastoralis cap. 26. *Vigilanti*, inquit, *consideratione pensandum est, quod, cum Jesus annorum XII. dicitur in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur, ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit.* Similiter Beda in cap. II. Lucæ: *Quasi fons sapientiæ doctorum medius sedet, sed quasi exemplar humilitatis, audire prius & interrogare doctores, quam instruere quærit indoctos. Ne etenim parvuli a senioribus erubescant discere, & ipse, ob ætatis humanæ congruentiam, hominibus ascultare non erubescit DEus. Ne infirmus docere quis audeat, & ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam, verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit.*

X.
JESUS BAPTIZATUS.

Misere decipiuntur, qui picturis credentes, Jesum ita baptizatum fuisse existimant, ut Johannes in littore stans, illius

capiti

capiti inclinato, vix genua attingentibus aquis Jordani, pauxillum aquæ vel adſperſerit, vel ex vaſe ſeu phiala affuderit. Etenim βαπτίζειν proprie & κυρίως ſignificat *mergere*. Quo modo explicatur in Gloſſis vett. in operum quorundam Cyrilli calce inventis, atque ab Henrico Stephano primum, deinde B. Vulcanio editis. Ubi & βάπτω, *tingo*, βαπτὶς, *tinctus* exponuntur. Vide J. Felb. Chriſtl. Handb. 87. & Voſſ. diſpp. de Bapt. 25. Hinc & Lutherus in Serm. von der Tauffe / A. 1519. habito, Tom. I. Jen. Germ. pag. 183. Die Tauffe heiſſet auff Griechiſch Baptismus, zu Latein Merſio, das iſt / wann man etwas gantz ins Waſſer tauchet / das über ihm zuſammen gehet -- denn auch ohne Zweiffel in teutſcher Zungen / das Wörtlein Tauffe herkommt / von dem Wort Tieffe / daß man tieff ins Waſſer ſencket / was man täuffet. Das fordert auch die Bedeutung der Tauffe / denn ſie bedeutet / daß der alte Menſch und ſündliche Gebuhrt von Fleiſch und Blut / ſoll gantz erſäufft werden. Jam vero de Johanne expreſſe dicit Scriptura, quod *baptizârit*, i. e. immerſerit, Matth. III, 6. Καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ i. e. & *baptizabantur in Jordane*. Nec non ℣. 16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς, ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος. i. e. *Et baptizatus Jeſus aſcendit ſtatim de aqua*. Si aſcendit, oportet eum etiam deſcendiſſe in aquam. Item Joh. III, 23. dicitur, Johannem baptizâſſe in Ænon juxta Salim, additurq; ratio, quæ oſtendat, immerſionem ibi fieri potuiſſe: ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ, i. e. *quia aquæ multæ erant illic*. Totus itaque Jeſus, isque nudus, merſus fuit a Johanne, adeoque oportuit hunc deſcendere in flumen; ſicut Act. VIII, 38. dicitur *uterq; deſcendiſſe in aquam & Philippus & Eunuchus*. Semper autem baptiſmum merſione vel peractum eſſe, vel peragi debere, e dictis legitime inferri non poteſt, judice Voſſio l. c. p. 37.

XI.

DIABOLUS TENTATOR.

Matth. IV. deſcribitur, quomodo ὁ πειράζων *tentator*, ille ſcilicet, cui volupe eſt tentare, quemque alias a calumniandi ſtudio *diabolum*, & ab hoſtili erga nos animo *ſatanam* appellare ſolemus, acceſſerit in deſerto ad Chriſtum eſurientem, & variis modis tentaverit eum ſeducere. Ubi equidem, quam formam aſſumſerit, nihil extat ſcriptum. Interim pictores poteſtatem quidlibet audendi ſibi vindicantes, caput ei imponunt hircinum, aures aſſuunt aſininas, brachia harpyiarum unguibus armant, pedes ſupponunt caprinos, in locum plantarum ſubſtituunt iterum ungues rapacis alicujus volucris, tergo caudam appendunt, modo breviorem, modo longiorem, & totum corpus veſtiunt villis hirſutis. Quid multis? Adeo dira eum ſiſtunt forma, ut diriorem, ſi vellet, induere vix ipſe poſſet diabolus. Judicent eruditiores, an non ſatius eſſet, ſi eum, heic quidem, pingerent ſub humano ſchemate. Dicitur enim *acceſſiſſe* & *loquutus eſſe*. Certe Cornel. Janſenius, magni noſtratium Theologi judicio, ſcriptor non minus eruditus, quam modeſtus, ad Matth. IV, 3. ita commentatur: *Acceſſiſſe corporea forma, eaq; humana, ſuadent tum verbum* accedendi, *tum illa cum Chriſto colloquia.* Cui conſona ſunt, quæ habet Rauppius: *Qua autem*, inquiens, *forma indutus jam apparuerit, quî ſcire poſſimus? Granatenſis dicit, Cajetanum ex acceſſu collegiſſe, dæmonem ad Chriſtum veniſſe in forma religioſi viri; ſed incertum hoc eſt. Dicere tamen ex textu poſſumus, in deſerto ſatanam apparuiſſe ſub larva mendici, in monte ſub larva potentiſſimi Monarchæ, in pinnaculo autem templi, in ſpecie devoti theologaſtri.*

XII. HY-

XII.

HYDRIÆ IN CANA GALILEÆ.

Nuptias Canæ Galileæ, quibus una cum matre virgine interfuit Christus ipse, ut nuptias sanctificaret, primumque patraret miraculum, commutando aquam in vinum, admirabiliter quidem vel a summis artis pictoriæ magistris depictas videas, sed qui ἐξ ἰδίων aliquid addiderint, pro hydriis substituendo urceos portatiles: quasi, ut Christus omnipotente virtute ex aqua fecit vinum, ita ipsis ex vasis majoribus & spatiosis minora & angusta facere liceat. Agite vero, ingeniosissimæ artis decora, audiamus, utrum Johannes vobiscum sentiat, nec ne. Is cap. II. evangelii sui vers. 6. ita scribit: Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς. i.e. *Erant ibi hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Metreta, quæ alio nomine *cadus* dicitur, est mensura congiorum decem, ut docet Budæus l. 5. de Asse. *Decem autem congii* (quod e Zegero Budæum secuto annotare liceat) *LX. sextarios valent; id est, amphoram & quadrantem. Porro amphora vas est tesserarium intus quoquo versus pedale. Juxta quam æstimationẽ quælibet hydria binas amphoras cum semisse, aut quaternas minus uno quadrante continebat.* Tanta igitur capacitas hydriarum indicio est, eas non fuisse urceos portatiles, sed canales, seu aquales vel lacus, unde depromta aqua vasis minoribus adferretur ad purgandum subinde non manus tantum, sed etiam calices, juxta ritum purificationis Judæis usitatæ; de qua Marcus cap. VII. n. 3 4. Lavabant enim se Judæi sæpe, non tam ad abstergendas immunditias legales, quæ etiam lotis durabant fere usque ad vesperam, quam ex traditionibus pharisaicis. Adde, quod hydriæ nostræ in loco publico & conviviis nuptialibus, ubi pro magno hominum confluxu multis aquis opus erat, destinato sitæ fu-

tæ fu-

tæ fuiſſe videantur. Unde novum contra pictores argumentum exſurgit. Atque hanc duplicem rationem obſervat Reinhartus in Monitis Evangelicis ad Dom. II. poſt F. Epiphan. §. 5.

XIII.
HERODIADIS FILIA SALTATRIX.

Filiam Herodiadis, quæ relicto Philippo, cum ejus fratre Herode Antipa in turpiſſimo ac nefando conjugio vixit, hoc ipſo natalitia celebrante, ſaltâſſe in medio coram omnibus accumbentibus, tripudiando & laſcivas exhibendo geſticulationes ad modos muſicos, recte oculis proponitur ab illis, qui penicillum tractant; ſed minus recte, niſi toti fallimur, quod ætatem & ſinum perfectæ viraginis ei tribuunt. Vocatur enim κοράσιον i.e. *puella*, Marc. VI, 28. Sed & alium heic errorem notâſſe juvat, quod nimirum ſaltatriculam effingunt caput Johannis in triclinium afferentem, quum tamen illud attulerit ſpeculator, allatumque puellæ dederit vel temulentus Tetrarcha, vel ejus juſſu ſatelles ille, ipſa vero tandem matri. Ita namque refert Matth. XIV, 11. Καὶ ἠνέχθη ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἐδόθη τῷ κορασίῳ· καὶ ἤνεγκε τῇ μητρὶ αὐτῆς, i. e. *Et allatum ejus caput in diſco, & datum eſt puellæ, & attulit matri ſuæ.* Et Marc. VI, 28. Καὶ ἤνεγκε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν τῷ κορασίῳ· καὶ τὸ κοράσιον ἔδωκεν αὐτὴν τῇ μητρὶ αὐτῆς. i.e. *Et attulit* (ſpeculator) *caput ejus in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri ſuæ.*

XIV.
COENA PASCHALIS MAGNA.

In cœna illa paſchali magna, quam Chriſtus cum diſcipulis ſuis paulo ante obitum ſuum celebravit, & in qua ſacramentum euchariſtæ inſtituit, Chriſtus ejusq; diſcipuli communiter pinguntur ſedentes, æque ut nos hodie in conviviis menſæ aſſidemus. Sed huic errori Scriptura reclamat, & mos veterum

veterum Hebræorum. Scriptura quidem, dum eos mensæ *accubuisse* refert, Matth. XXVI,20. Marc. XIV,18. Luc. XXII, 14. Quorum illi id per ἀνακεῖσθαι exprimunt, hic aliquanto significantius per ἀναπέσαι. Mos autem Judæorum (ceu præter alios docet Saubertus in Palæstra Theologico-Philologica p. 80. & 281.) hic erat, ut accubitus in paschate necessario observaretur. Et modus accumbendi talis, ut unusquisque super unicum lectulum in latus sinistrum recumberet, pedibus extrorsum porrectis. Si vero plures convivæ essent, fiebat iste accubitus in circuitu, eo ordine, ut cum duo lectuli essent, omnium dignissimus occuparet locum supremum, alter vero inferiorem ab eo, ad dextrum scilicet latus, seu in sinu dignissimi. Si tres essent lectuli, omnium dignissimus occupabat lectum medium, alter ab eo lectum superius positum, juxta cervical dignioris, tertius autem lectum infra eum, juxta stragulas pedum ejus: & cum hoc dignior omnium commodissime poterat loqui. Jam secundum hunc morem probabile est, Petrum vel Jacobum a latere Christi sinistro, Johannem a dextro, sive illum pone, hunc ante Christum accubuisse. Nisi tres forte jacuerunt in uno lecto, Petrus in superiore, Christus in medio, & Johannes in inferiore ejus parte. Qua ratione hujus, in sinu Servatoris, situs, rectissime demum concipi potest & intelligi.

XV.
JUDAS ISCARIOTES.

Circumstantiam aliquam illius cœnæ exprimere conatur pictorum gens, quando Christum & Judam proditorem pariter in eundem catinum offam intingentes nobis proponit, quia scilicet turbatis discipulis, quod dixisset, unum inter ipsos sese proditurum, & sciscitantibus, quisnam ille esset, responderit Christus: *Qui intingit mecum in catino, is me prodet.* Matth. XXVI,23. Sed quum dubius sit horum verborum sensus, facile fit, ut pictores vel errent, vel incerti

quid repræſentent. Annon placeat Zegeri ſententia, cui adſtipulantur Bertramus, Eraſmus, Beza, Piſcator, & alii? Quam transſcribere haud pigrabor. *Etiamſi ſecus habeat communis Interpretum ſententia, mihi tamen videtur hoc Chriſtus in genere tantum dixiſſe; quo ſignificaret, proditorem illum, non modo unum eſſe ex XII, ut indicârat, verum etiam eadem ſecum uti menſa, atq; adeo in idem jus intingere manum, quod arctiſſimæ erat familiaritatis: alioquin enim exemplum dediſſe videri poſſit prodendi inimici. Certe noſtræ ſententiæ adſtipulatur editio Græca, ubi propter* ἐμβάψας, *præteriti videlicet temporis vocem, manifeſtior etiam relinquitur de perſona dubitatio & incertitudo. Adſtipulatur etiam, quod ipſe Judas poſtea ſciſcitatus ſit a Chriſto:* Numquid ego ſum, Rabbi? *quodq; eidem Chriſtus ambigue reſponderit:* Tu dixiſti. *Proinde, meo judicio, nulli diſcipulorum aperte demonſtravit, quis ipſum eſſet traditurus, præterquam Johanni, cui ſecrete percontanti, ut habes in ipſius evangelio c. XIII, 25. 26. etiam ſecrete reſponſum fuiſſe puto:* Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero.

XVI.
IDEM.

Quod autem proditor ille ex deſperatione miſerrime vitam finierit, ſacræ paginæ referunt. Ubi rurſus pictores, procul dubio iſtam verſionem, Act. I, 18. *Et ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus*, ſecuti, vereor ne impingant, quando hominem rupto ventre, & prominentibus viſceribus, ſed qui adhuc ſuſpenſus ſit ad arborem, oculis ſubjiciunt. Nam in fonte ita legimus: Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, i. e. *Et præceps factus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* Cum quo loco conferendus ille apud Matth. XXVII, 5. Καὶ ἀπελθὼν, ἀπήγξατο, i. e. *Et abiens, ſe ſtrangulavit*, ſive, *ſuſpendit laqueo.* Unde doctiſſimus Caſaubonus Exerc. XVI. ad Annal. Baronii, colligit, eum, cum cervicem laqueo

queo immisisset, se ipsum ita pendentem valide impulisse, ut eo citius constrictis faucibus & fracto collo exspiraret, sed violentissimo illo motu disruptum forte esse laqueum, atque ita proditorem πρηνῆ seu in faciem humi dejectum, vel ad saxum asperum, vel ad lignum acutum, quo ventrem sauciârit & disruperit, atque ita sua effuderit viscera, impegisse, aut alias Dei judicio ventrem ei fissum. *Alii* vero *Judam suspendio periisse pernegant, vocemq; ἀπάγξασθαι de* מחנק *συνάγχῃ accipiunt, quo genere morbi qui laborant, obstructo spiritus meatu, medii dissilire, & maximo cum crepitu mori solent. Sic Dan. Heinsius in Exercit. Sacr. & Lud. de Dieu sentiunt. Quibus adde Buxtorfium in Lexico Talmudico in voce* אסכרא *i. e. angina, a qua nonnulli Judam ἰσκαριώτην dictum credunt. Vid. Lightfoot ad Matth. X, 4. Sic ἀπάγχεσθαι 2. Sam. XVII, 23. Tob. III, 10. juxta Heinsium accipitur. Vossius etiam in Harmon. Passion. p. 216. vocem hanc, de suffocatione, quæ fit ex mœrore, apud Ælianum l. 5. Var. Hist. cap. 8. occurrere annotat.* Refutata autem horum sententia, priorem, quam e Casaubono adduximus, amplectitur approbatque Calovius in Bibl. Illustr. ad Matth. XXVII, 5.

XVII.

S. JOHANNES ET TRES MULIERES.

Quid frequentius, quam ut præ cæteris dilectus discipulus, S. Johannes, & Maria, mater Domini, sub cruce ejus ponantur, quasi eam potuissent attingere, & versus eam plagam, quo crucifixus prospiciebat, facies & ipsi suas vertissent? Et sane testatur Johannes c. XIX, 25. de se ipso & tribus mulieribus, nempe Maria matre Jesu, hujusq; sorore Maria Cleophæ uxore, & Maria Magdalena, quod steterint παρὰ τῷ σταυρῷ *juxta crucem*; sed Marcus XV, 40. mulieres illas ἀπὸ μακρόθεν *de longe*, & Lucas XXIII, 49. omnes ejus notos, ut & mulieres, quæ eum e Galilæa secutæ sint, μακρόθεν *procul* stetisse ait.

se ait. Quæ testimonia S. Augustinus l. 3. de Consensu Evangel. c. 21. conciliaturus, affirmat dici posse, & longe a cruce, & juxta crucem fuisse. *Longe*, si conferantur ad milites & satellites, qui tam prope erant, ut crucem tangerent: *Juxta* vero, quia vocem Christi facile potuerint exaudire, ob vicinitatem; quod non potuerint turbæ, quæ longissime aberant. Quam collationem nec Bellarminus improbat de VII. Verb. Dom. l. 1. c. 8. Nota autem ὡς ἐν παρόδῳ, matrem Domini, dum filius in cruce penderet, non deliquio cecidisse, sed viriliter stetisse. *Stabat enim*, inquit Ambrosius in Institut. Virg. c. 7. *ante crucem mater, & fugientibus viris stabat intrepida. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemtionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremtorem.*

XIIX.
S. PETRUS.

Duplex pictorum error est, quod S. Petrum tempore resurrectionis Christi senem pingunt, mortemque ejus exprimunt affixione ad crucem; cum tamen Christus resuscitatus senectutem ei, tanquam futuram, & talem mortem, qua funibus in cruce ligandus esset, prædixerit. Prophetia hæc exstat Joh. XXI, 18. quam heic una cum Jansenii commentario exhibere placet: *Amen, amen, dico tibi, cum esses junior* ætate, *cingebas te & ambulabas, ubi volebas*, expeditus videlicet ac liber: *cum autem senueris*, (quo Græci observant significari, eum tunc fuisse mediæ ætatis, prout etiam ex annis, quibus supervixit, colligitur) *extendes manus tuas*, in crucem, hoc est, crucifigéris, inquit August: *& alius te cinget*, id est, cingulis cruci adstringet. Tunc enim Petrus ab alio cingitur, cum cruci adstringitur, inquit Tertull. in fine Scorpiaci. Quo indicare videtur, magis funibus in cruce suspensum, quam clavis affixum fuisse.

XIX.

XIX.

S. STEPHANUS.

Agite, pictores, liceat bona cum pace vestra, unicum addere, quo huic opellæ colophonem imponamus. S. Stephani protomartyris lapidationem artificiose quidem pingere soletis; sed quantum veri habeat illud, quod genibus innixo manus relinquitis liberas, & cœlum versus extensas, lapidumque solum a turba in sanctum caput projectorum fuscam procellam, absque testium expressione, nobis exhibetis, statim patebit, si & Scripturam, & Antiquitatem, quæ morem lapidationis apud Hebræos usitatum, quasi ad vivum delineat, inspicere & observare haud gravati fueritis. Scriptura certe Stephanum tam a testibus, quam a populo lapidatum fuisse innuit Act. VII, 58. 59. Quamvis enim ista per tumultum acta sint, & quidem violata Præsidis provinciæ auctoritate, non tamen populus tantum, sed & testes exsequi voluerunt lapidationem, sine dubio, ut actionis, juxta legem divinam, quæ Deut. XVII, 7. exstat, observatæ speciem ei inducerent. Quibus vero ritibus alias peracta sit lapidatio, & quinam huic supplicio subjecti, optime omnium docet Fagius ad Ex. XXI, 16. *Hebræi sic tradunt. Quatuor mortes traditæ fuerunt Consistorio: Lapidatio, Combustio, Decollatio & Strangulatio. Decem & octo genera hominum ex lege lapidatione puniebantur; videlicet, qui rem habebat cum matre, vel cum uxore patris, vel cum nuru, vel cum virgine desponsata, vel cum masculo, vel cum jumento. Mulier item prostituens se jumento, blasphemus, idololatra, qui de semine suo Moloch offerebat, pythonicus, ariolator, violator sabbati, maledicens patri, aut matri, incitans & impellens ad idololatriam, præstigiator, atque filius protervus,*

& rebellis. Locus lapidationis extra Consistorium fuit, juxta id, quod dicitur : Educ blasphemum &c. *Unus autem aliquis stabat ad ostium Consistorii tenens linteum in manu, a quo alius quidam cum equo remotius constitutus erat, in eum scilicet usum. ut, si quis veniret & diceret : Habeo, quod dicam pro liberatione rei, moveret ille linteum. Quo viso, qui equo insidebat, reum sistere gradum faciebat. Quin & ipse reus si diceret, se habere, quo se purgaret, rursum ad Consistorium reducebatur; idque quater & quinquies, modo non vanum aliquid diceret. Ideo attribuerunt illi duos viros sapientes, qui in via observârunt verba ejus. Quæ si non vana erant, reducebatur : Si vero nihil inveniebatur, quod faceret ad ejus innocentiam, educebatur ad locum supplicii. Et præco antecedebat eum, dicens : Vir ille, filius istius, egreditur, ut plectatur tali morte, eo quod tale peccatum admiserit, illo tempore, hoc in loco; & isti sunt testes ejus. Quisquis igitur est, qui aliquid novit, quod illi bono esse potest, veniat, ut indicet. Si procul abest a loco lapidationis adhuc aliquot ulnis, dicitur ei. Confitere. Sic enim facere solent omnes, qui mortis supplicio afficiuntur. Quicunque enim confitetur, partem habet seculi futuri. Ita enim invenimus de Acban, quod Jehoschuah dixit ad eum :* Mi fili, da quæso gloriam Deo Israel, & da ei confessionem. *Cui respondit Acban & dixit :* Utique peccavi in Dominum Deum Israel, & sic atque sic feci &c. *Et ait Jehoschuah :* Quia conturbâsti nos, conturbabit te Dominus in die hac &c. *hoc est, hoc die tu quidem conturbaberis, non autem in seculo futuro. Quod si quis ignorabat rationem confitendi, dicebatur illi : Dic, Sit mors mea expiatio omnium peccatorum meorum. Postquam vero confessus est, potatur vino thure confecto, in hoc, ut inde ratio ejus turbetur, atque vehementius inebrietur, secundum illud, quod dicitur :* Date siceram perituro, & vinum eis, qui amaro sunt animo. *Post illam*

illam vero potationem mortem luebat, quam commeruerat. Constat quoque ex traditione, honestas matronas Hierosolymis fuisse, quæ sua sponte hoc genus vini suppeditabant. Reo quatuor cubitis a loco supplicii distanti vestes extrahebantur. Viri quoque pudenda tegebantur; mulieris vero & anteriora & posteriora. Quidam tamen ex sapientibus dicunt, virum nudum lapidatum fuisse, non autem mulierem. Locus lapidationis altitudinem habebat duorum cubitorum, ad quem reus vinctis manibus ascendebat. Illum alter testium præcipitem dabat e sublimi. Ex qua præcipitatione si non fuit mortuus, elevabant testes lapidem ibidem jacentem, habentem pondus duorum hominum, quem alter testium super eum projiciebat. Quod si ne sic quidem mortuus fuit, tum demum accessit totus Israel, & lapidavit eum, juxta illud: Manus testium erit in eo primum ad occidendum eum, dein manus universi populi. *Quando vero puella desponsata scortata est, lapidata fuit ante fores domus patris sui, vel ad fores portæ civitatis. Omnes lapidati suspenduntur. Tametsi quidam ex sapientibus dicunt, blasphemum tantum & idololatram suspensos fuisse. Vir ita suspendebatur, ut faciem haberet versus populum, mulier vero versus stipitem.* Hæc Fagius, antiquitatum Judaicarum solertissimus indagator. Atque in eodem studio clarissimus Lightfoot ad Marc. XII, 4. annotat, in λιθοβολία *a Synedrio decreta, testes lapidem illum grandissimum jecisse in cor damnati, cum jam jaceret supinus.*

Sed manum de tabula.

ADDITAMENTA.

Quemadmodum *Pilatus* non recte cum barba, ita etiam summus sacerdos *Caiphas* sine barba male pingitur: nam ille Imperatorem Tiberium habitu oris utique imitatus

tus est: sacerdotibus autem non licebat barbam radere, juxta Levit. XIX, 27. & c. XXI, 5. Joodse Oudhed. Tom. 2. p. 708.

Miles, qui lancea aperuit latus Christus, non eques fuit, sed pedes. Sagittarius disp. de Lancea, qua perfossum latus Christi c. 2. & H. Müll. in Jesu pat. p.222.

Caiphas non sedendo, sed stando disrupit vestimenta. J. Quirin. Hedenus disp. de Sciss. vest. §. 38.

Adam & Eva, ad arborem cum serpente stantes, & ex longinquo urbes, arces, & palatia prominentia.

Iidem similiter sub arbore stantes, cum puerulo ad pedes Evæ.

Diva *Maria virgo* in conclavi, cum sue. Wagens. in Thes. Miscell. n. 34.

Christus cruci affixus, manibus in sublime supra caput sublatis, & junctis magis, quam dispessis, pendulo ab iis corpore. G. Calixt. Append. ad Lips. de Cruce p. 5.

In sacrificio *Isaaci*, Isaac genibus innixus ante altare, & *Abraham* post eum, cum gladio, quasi eum decollaturus. Cum tamen Isaac fuerit impositus altari, Abrahamo eum mactaturo, tanquam pecudem. D'Espagne in Schibboleth p. 119. T. III. Operum.

Locus, in quo congregati Apostoli cum aliis fidelibus, cum super eos effunderetur die pentecostes Spiritus sanctus, non fuit conclave aliquod templi, multo minus atrium templi (ut pictum est in Postilla Brentii festali p. 89.) sed domus aliqua privata. Hoornb. part. poster. Theol. pract. 392.

Non

NOn parum temporis a conſcripta hac diſſertatione effluxerat, quo in eruditam M. Philippi Rohrii diſputationem, ſimilis plane argumenti, incidi, ubi ex V. T. inter picturas erroneas recenſentur *DEus ſenex creator. Serpens paradiſiacus ἄπους. Angelus paradiſi cuſtos. Arca Noæ biformis. Abraham gladiatus. Iſaac mactandus ingeniculans. Comedentes paſcha ſtantes. Moſes cornutus. Sponſus myſticus ἄγραφος. Jeſaias diſſectus. Daniel decollatus.* Ex Novo Neſtamento: *Capita Sanctorum radioſa. Iohannes evangeliſta juvenis. Deus onychitis. Ioſephus ſenex. Chriſtus uranius infans. Bos & aſinus alligati præſepio Ieſuli. Triga magorum coronatorum. Simeon cæcus ſacerdos. Iohannes pelle camelina veſtitus. Chriſtus pinnis inſiſtens. Tecta apud Iſraëlitas acuminata. Lazarus in domo divitis flagellatus. Frondes & veſtes ſub pedibus aſini. Chriſtus ad menſam cum convivis ſcamno inſidens. Panis craſſus. Chriſtus in torrente jacens. Virgæ loco flagelli. Bini flagellatores. Socia crucis portatio. Crux commiſſa. Chriſtus tribus clavis affixus. Latrones crucibus alligati. Crux absque ſedili. Eques lateris Chriſti percuſſor. Maria, Apoſtolorum regina. Linguæ ſuper capitibus Apoſtolorum ignitæ. Saul eques. Chriſtus interceſſor ſupplex. Mors ſceleton. Chriſtus ſuper iride ſedens.*



DISSERTATIO III.

DE PRUDENTIA ECCLESIASTICA.

PEr PRUDENTIAM ECCLESIASTICAM intelligimus eam mentis virtutem, qua ministri ecclesiæ tum sibi, tum aliis, in rebus ad salutem sempiternam spectantibus, recte consulere, actiones vitæ & officii pro circumstantiarum ratione moderari, & de rebus sub actionem cadentibus probe judicare, adeoque in negotio religionis & rebus ecclesiæ gubernandis, nec non in conversatione privata, veram sapientiam, circumspectionem atq; dexteritatem adhibere nôrunt. E quibus statim patescit, prudentiam, quæ pluribus hominibus communis est, heic in specie referri ad eos, qui ecclesiæ docendæ & regendæ præsunt, & *Ecclesiasticam* dici non tam ab objecto, quod circa res ecclesiæ versetur, quam a subjecto, quod doctoribus ecclesiæ conveniat, atque in iis maxime requiratur.

Ut vero aliis in rebus, ita etiam in negotio religionis, prudentia datur vel propria, vel aliena, vel ex utraq; mixta. *Propria*

pria paucioribus contingit, non modo ob vitæ brevitatem, ſed etiam ob varia impedimenta, triſtesque caſus, quibus hæc vita eſt expoſita; ne dicam, quod etiam magno conſtet, multis ſcilicet calamitatibus & malis, quæ tum illum, qui eam ſibi acquiſivit, tum alios, ipſius culpa & imprudentia, perpeti contingit. *Aliena* quidem tutiſſima eſt, ſed non æq; utilis: nam oculos ſuos in alium duntaxat ferre, nec interim quicquam agere vel pati, nullam eccleſiæ utilitatem affert. *Mixta* vero licet non tam ſecura ſit, quam aliena, tutior tamen eſt propria, & utraque longe utilior: nam ex una parte homo non adeo periculis & malis eſt expoſitus; ex altera per propriam experientiam ſubactior redditur, reique chriſtianæ utilior, quippe qui in propria experientia non omnem ætatem conſumſit. Et hinc apparet, quam etiam in rebus eccleſiæ tractandis proficuum ſit ac neceſſarium, non tantum propriæ experientiæ operam dare, ſed etiam alienam ſequi, & ex ea ſapere. Nic. Vedelius de Prud. vet. Eccl. l. 1. c. 1.

Mixta hæc prudentia addiſcitur in ſchola non mundi, ſed eccleſiæ. Nam ſacra tractantes, a verſutia mundana procul abeſſe oportet, juxta præceptum Servatoris, quod diſcipulis ſuis dedit Matth. IX. 16. *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ.* Enim vero prudentiæ ſymbolum ſunt ſerpentes, ſimplicitatis columbæ. Itaque vult Chriſtus, ut diſcipuli, & omnes eorum in ſacro officio ſucceſſores, candorem animi jungant cum circumſpectione, & oculum ſerpentinum gerant in corde columbino. Simile eſt illud Apoſtoli ad Rom. XII, 2. *Ne vos configurate ſeculo iſti.* Ubi enim verſutia mundana, fraudibus doliſque res ſacræ gubernantur, neceſſe eſt eas profanari, deturpari, corrumpi, & pacem eccleſiæ in funeſta diſſidia ac bella transmutari. Hinc DEus pro ſumma & ineffabili ſapientia ſua, ad eccleſiam novi fœderis plantandam & amplificandam, vocavit homines, non ſeculari inſtructos aſtutia & va-

fritie, sed simplices & integros, qui a mundanis & versipellibus deridebantur, ac pro stultis habebantur, sicut Paulus indicat I. ad Cor. I, 26. 27. Neque tamen hoc ita intelligendum, quasi religio christiana, officiumque ecclesiasticum, & prudentia ei conveniens, humanam illam prudentiam, quæ ex ethicis hauritur, prorsus aboleat: eam enim dirigit duntaxat & moderatur, &, ut a muneris sacri scopo non modo non abducat, verum etiam ad eum collimet, eique subserviat, efficit: quemadmodum etiam scientiæ philosophicæ, rerum divinarum scientiæ egregie ancillantur. Unde videmus, eos, qui humanis disciplinis recte nôrunt uti, plus etiam in rebus divinis proficere posse. Idem fit in prudentia humana, si ea se regi a divina & ecclesiastica sapientia patiatur.

Peti autem & acquiri potest prudentia ecclesiastica I. a supremo omnis boni largitore, Deo optimo maximo. Ita enim jubet S. Jacobus Apostolus Ep. c. I, 5. 6 *Quod si cui vestrûm deest sapientia* (vocabulum σοφίας heic ponitur loco φρονήσεως, uti ad Rom. XVI. 19. ad Ephes. V. 15. & ad Coloss. IV. 5) *petito a DEO, qui dat eam omnibus benigne, nec exprobrat: & dabitur ei. Sed postulet cum fide, nihil ambigens.* Ea impetrata, indesinenter rogandus est Deus, actionibus tuis ut benedicat: Etenim absq; illius benedictione omnia nostra cœpta vana sunt & irrita. Quotiescunq; igitur hunc vel illum bonum eventum prudentiæ adscribimus, sciendum, id fieri præsupposita divina benedictione. II. Ex assidua lectione & meditatione sacræ Scripturæ. Nam ex hac, tanquam ex fonte, hauritur præstantissima prudentiæ ecclesiasticæ pars, quæ circa veram religionem & DEum immediate versatur. Deinde ex ea actiones veræ prudentiæ ab actionibus falsæ prudentiæ discernimus. Quæ enim verbo Dei conformes sunt actiones, aut ei non repugnant, eæ veræ prudentiæ classe continentur: quæ autem ei repugnant, sive ad versutiam referendæ sunt, sive ad imprudentiam.

tiam. Ea etiam nobis suppeditat exempla prudentiæ & imprudentiæ ecclesiasticæ, quæ perpetuo nobis ob oculos ponere debemus. Quid? quod illa nobis sola ad prudentiam ecclesiasticam in se sufficiat; ita ut aliis adminiculis opus non esset, si absque humana foret partim malitia, partim infirmitate. Nam quæcunque ad doctrinam veram & vitæ sanctitatem necessaria sunt, de iis omnibus sufficienter nos erudire potest, sicut dicitur II. ad Tim. III, 16. 17. III. E studio antiquitatis ecclesiasticæ. Hæc enim circa particulares illius prudentiæ actiones exempla nobis commonstrat, & experientias plurimas maxime notabiles; hæc varios exhibet casus, varias vicissitudines ecclesiæ; hæc denique ostendit, quam utilis ecclesiæ fuerit nonnullorum prudentia, & e contrario quam noxia eidem & perniciosa aliorum imprudentia. Ut adeo ecclesia vetus christiana prudentiam nos doceat utroque modo, exemplo, & damno suo, prudentia, & imprudentia.

Ex nulla autem parte antiquitatis ecclesiasticæ melius ac felicius hauriri potest prudentia ecclesiastica, quam ex illius historia, quippe quæ studio & ex professo memoriæ mandavit casus varios, qui vel imprudentiam vel prudentiam sunt insecuti. Principem vero locum sibi vindicat historia primorum seculorum, quibus ecclesia & gravissimas persecutiones experta est, & ad splendorem pervenit maximum, adeoque prudentiæ & imprudentiæ, zeli & impietatis exempla sat multa exhibet: illa quidem, ut imitemur; hæc vero, ut odio habeamus & fugiamus. Quamvis enim inter veteres, qui illarum ætatum historias scripserunt, fuerint pauci, & nonnulli eorum, nævos habuerint non minimos; (*Eusebium* enim aliquando Arianum, *Socratem* & *Sozomenum* Novatianos, & *Theodoretum* Nestorianum fuisse, *communior est eruditorum sententia: & in specie Eusebium, simul

* Contra eam Henr. Vales. in præfationib. illorum Auctorum.

ſimul atque ad traditiones, & non ad ſcripta, ſed audita provocat, fabuloſa multa miſcere; Socratem vero orthodoxos illos, qui pio zelo incenſi Novatianos acrius inſectabantur, ſaltem oblique perſtringere, & eorum exiſtimationem, quantum in ipſo eſt, labefactare, e Sculteto & Billio obſervat Degor. Whear in Relect. Hyem. p. 219. 225. *Evagrium* deniq; ſcriptorem eſſe a fabuloſis narrationibus non nimis alienum, notat Caſaubonus in Exercit. XIII. An. 31. num. 58. Ut adeo ſcriptores illi caute legendi ſint) tamen eorum ſtudium commemorandi res geſtas non exiguam meretur laudem, & gratias: nam absque illo foret, magnam ſui partem eccleſia ignoraret. Vid. iterum Whear l. c. eique addantur Centuriat. Magdeburg. Cent. 4. pag. 567. 905. Caſaub. in Proleg. in Exercit. G. J. Voſſius de Hiſtor. Græcis p. 201. 208. 209. 217. G. Calixtus in Appar. Theol. p. 42. & Slüterus in Propylæo Hiſt. Chriſt. p. 33. & ſeqq. Ut illa præteream teſtimonia & elogia, quæ collegit, & memoratorum auctorum editioni novæ præmiſit V. Cl. Henr. Valeſius.

Et ne fruſtra dixiſſe videamur, antiquitatem, & imprimis hiſtoriam eccleſiaſticam & exemplo & damno aliorum nos docere, atque imagines ſat multas cum prudentiæ, tum imprudentiæ, ſpectandas porrigere, agite, paullo propius accedamus, easq; oculis ac mentibus noſtris uſurpemus, dum inquirendum jam nobis eſt, quæ damna ex imprudentia, quive fructus ex prudentia ἱερῶν τοῦ Θεοῦ ἀνθρώπων enaſci ſoleant. Enim vero imprudens eccleſiæ doctor I. pacem & tranquillitatem totius eccleſiæ turbat & proſternit, dum intempeſtivo zelo irritat Principem, ſive in religione diſſentientem, ſive plane infidelem, ut perſecutionem contra eccleſiam ſibi ſubjectam ſuſcipiat, libertatem conſcientiis eripiat, & maximis orthodoxos malis obruat. Expertæ id ſunt ineffabili ſuo damno, ætate Theodoſii junioris, eccleſiæ chriſtianæ, qua late patet regnum Perſicum. Incenſo enim per Abdam, chriſtia-

næ in Perſia eccleſiæ epiſcopum, οὐκ εἰς δέον τῷ ζήλῳ χρησάμενον, *zelo immoderato impulſum*, πυρείῳ, ſive delubro aliquo, in quo ignis a Perſis colebatur, adeo excanduit regis Varanis ira, ut non tantum epiſcopum trucidari, & templa chriſtianorum deſtrui juberet, ſed etiam novis & ante id tempus inauditis tormentis corpora fidelium excruciaret. Theodoret. l.5. Hiſt. Eccl. c.39. Niceph. Call. l.14. cap.19. II. Schiſmata & funeſta diſſidia in eccleſia præter intentionem excitat. Ita, ſub Arcadio, contigit Theophilo, epiſcopo Alexandrino: dum enim æmulationis œſtro adverſus Joh. Chryſoſtomum percitus, variis technis exilium ejus meditabatur, tandemque obtinebat, vidit pariter, quod per imprudentiam prævidere non poterat, triſtiſſimum & lacrymabile ſchiſma *Johannitarum*, quod triginta quinque annos duravit. Socrat. l.6. H.E. c.16.18. Sozom. lib.8. cap.13.14.22.23.24.25.27. III. Interdum auget ſchiſma, dum illud componere & tollere nititur. Uti factum, ſub Juliano apoſtata, a Lucifero, Caralitano epiſcopo, qui populi Antiocheni duas factiones, *Meletianam* ſcilicet & *Euſtathianam*, ad concordiam revocaturus, Euſtathianæ parti epiſcopum præfecit Paulinum. Quod nihil aliud erat, quam oleo incendium reſtinguere, malumque prava curatione reddere atrocius, ac prope inſanabile, cum inde ortum ſit ſchiſma 85. annorum. Sozom. lib.5. cap.13. Theodor. lib.3. c.4. & 5. IV. Facile ſibi imponi patitur ac perſvaderi ab homine verſuto, ut perverſis ejus conſiliis opem ferat in opprimendo collega, aut alio bene merito viro. Sic Epiphanius Cypri epiſcopus, δι' ὑπερβάλλουσαν εὐλάβειαν ἁπλοϊκὸς ὢν τὸν τρόπον, *ob ſingularem pietatem, ſumma morum ſimplicitate præditus*, non animadvertit, quo tenderet Theophilus, odium erga Origenis libros præ ſe ferens, cum tamen flagraret odio adverſus Dioſcorum ejusque fratres, *Longos* dictos, ut & Johannem Chryſoſtomum, eosque auxilio Epiphanii ejicere ſibi propoſuiſſet.

ſet. Socrat. l. 7. cap. 9. 10. Sozom. l. 8. cap. 14. V. In cauſa eſt, ut ſynodi orthodoxæ decreta adverſus hæreticos & novatores effectum non ſortiantur, & ut res eccleſiæ apud Principem vel magiſtratum non promoveantur; e contrario hæretici & turbones, votorum ſuorum compotes fiant. Sic evenit ſynodi Ariminenſis parti orthodoxæ, quæ ad Conſtantium Imp. legatos X. miſit, ſed homines adoleſcentes, parum doctos & parum cautos: cum pars Ariana totidem mitteret, ſed ſenes, callidos, & ingenio valentes. Unde hi præ illis apud Imperatorem facile ſuperiores extiterunt. Sulp. Severus lib. 2. c. 41. Et tanto graviora hæc & ſimilia ſunt mala, quæ, imprudentia nonnullorum antiſtitum, eccleſiam affligunt, quanto propius ipſam etiam remp. corripiunt. Nam experientia teſtatur, fere nunquam eccleſiæ tranquillitatem turbari, quin pax reip. ſimul vim patiatur & decrementum. Hinc Sozomenus, poſtquam eccleſiæ calamitates, ex infelici Theophili erga Chryſoſtomum æmulatione ortas, deſcripſiſſet, ita pergit: *Eodem tempore, ſicut in ſacerdotum diſſenſionibus fere eveniſſe reperias, reſp. quoque turbis ac motibus agitata eſt.* l. 8. c. 25.

Conſideravimus mala, quæ imprudentia generantur. Nunc fructus intueamur, quos fert prudentia virorum eccleſiæ Dei ſervientium. Nimirum hæc in genere efficit, ut regnum Chriſti, & eccleſia maxime augeatur & floreat: prout experta eſt eccleſia ſub Attico, epiſcopo Conſtantinopolitano. Socrat. lib. 7. c. 2. 18. & ſub Athanaſio. Sozom. lib. 2. c. 23. In ſpecie vero I. pacem in eccleſia, adeoq; in rep. etiam conſervat, dum in unione & concordia membra eccleſiæ, quæ pariter ſunt cives reipublicæ, retinet; ceu idem fecit Atticus. Socr. l. c. II. Reſarcit & tollit ſchiſmata eccleſiæ, atq; adeo pacem ei reddit. Iterum exemplo Attici, qui graviſſimum ex ejectione Chryſoſtomi ortum diſſidium componere cœpit, & animos ad concordiã præparare, Chryſoſtomi mentionem in precibus publicis fieri jubens. Socr. lib. 7. c. 25. Perfecit

autem

autem laudabilia hæc cœpta, & schismate penitus sublato, Johannitas ad communionem reduxit Proclus, φρονήσει παραμυθησάμενος τὴν λύπην αὐτῶν, *eorum dolorem prudenti consilio demulcens*, dum precibus obtinuit ab Imperatore, ut corpus Chrysostomi Comanis sepultum, Constantinopolin deportaretur, ibique solenni & ingenti cum honore in templo Apostolorum deponeretur. Socr. lib. 7. cap. 45. III. Lenit & mitigat iram Principis, si forte a subditis offensus vindictam cogitat. Sic Flavianus, episcopus Antiochensis, pro civibus suis, quorum multos, ob seditionem & ignominiam statuis Augustorum illatam, Theodosius M. ad supplicium rapere constituerat, legatione fungens, rogavit adolescentes, qui ad Imperatoris mensam canere solebant, ut cantica, quibus Antiocheni, facti pœnitentes, in supplicationibus suis utebantur, cantarent. Quo facto Cæsar in clementiam flexus, & miseratione superatus, iram protinus abjecit, & Antiochenses in gratiam recepit, perfuso lachrymis poculo, quod tum forte in manibus habebat. Sozom. lib. 7. c. 23. IV. Sedat turbas & seditiones, si quando subditi Magistratibus obedientiam detrectant. Ita Gregorius Antiochenus, rogatu Imperatoris Mauritii, gravi oratione totum exercitum ad officium reduxit, captato imprimis argumento a tempore salutaris passionis & sanctissimæ resurrectionis Domini JEsu Christi, quod tum instabat. Evagr. lib. 6. cap. 12. 13. V. Hæreticorum, & aliorum adversariorum animis metum incutit, eorumque progressibus remoram injicit. Quomodo Atticus, licet hæreticos non persequeretur, tamen eos τῇ φρονήσει κατέπληττε, *admiratione prudentiæ suæ percellebat*, ut loquitur Socr. lib. 7. cap. 2. VI. Hæreticos ex latebris suis producit, & venenum eorum, quod arte tegere nituntur, manifestat pariter, ac diluit. Accidit hoc in synodo Nicena, ubi non contenti orthodoxi, Arianos dicere, *Filium ex Deo esse*, item, *ex Patris essentia esse*, postulârunt,

runt, ut eum Patri ὁμοούσιον confiterentur. Sed heic tenebantur constricti adversarii, nec extricare se poterant, quin fraudem suam dissensu, tanquam sorex sibilo, proderent. Athanas. de Decret. Synodi Nicenæ Tom. I. p. 427. Theodor. lib. 1. c. 5. VII. Confundit & confutat ex proprio suo ore hæreticos, ut nihil quicquam reponere possint, eosque adeo reddit αὐτοκατακρίτους. Ita Silvanus, Tarsensis Episcopus, coram Constantio Imperatore confutavit Eudoxium, tum quidem Antiochenum, mox Constantinopolitanum episcopum, a partibus Aëtii, filium Patri ἀνόμοιον dicentis, stantem, & eos, qui cum eo aderant. Eudoxio enim vocem ὁμοούσιος *Consubstantialis*, quæ nusquam in Scriptura extaret, eliminandam contendenti, respondit Silvanus: *Æquum etiam esse, ut ille cum asseclis,* τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ κτίσμα, καὶ τὸ ἑτερούσιον, *voces istas e non extantibus, & creaturam, & alterius substantiæ,* quæ in Scripturis non extant, nec usquam in propheticis aut apostolicis libris leguntur, condemnet, easque a sacris conventibus procul abjiciat. Cumque eas, iræ Cæsaris declinandæ causa, condemnassent, acrius instabant, flagitantes, ut etiam vox ὁμοούσιος anathemate feriretur. Sed iterum respondit Silvanus: Si DEUS Verbum non est ex nihilo, nec creatura, nec alterius substantiæ, consubstantialis igitur est DEO, qui ipsum genuit, utpote DEUS ex DEO, & lumen ex lumine, eandemque cum genitore suo naturam habet. Quo argumento licet confessionem oralem Eudoxianis non expresserit, δυνατῶς tamen καὶ ἀληθῶς eorum animos convicit. Theodor. lib. 2. c. 27. VIII. Seditiones & tumultus declinat evitatque, quando ecclesia aliqua reformanda, &, tanquam Augiæ stabulum, a sordibus superstitionis vel idololatriæ repurganda est. Sic Atticus corpus Sabbatii, qui auctor fuerat schismatis de Paschate, effodi, & in alio reponi sepulchro jussit, ut asseclas ejus a solita superstitione, qua super illius tumulum orabant, abduceret. Cui prudenti consilio eventus

respon-

reſpondit. Illi enim cum ex more conveniſſent, ac tumulum effoſſum reperiſſent, deinceps eum locum colere deſierunt. Socrat. lib. 7. cap. 25. IX. Perſecutorum & hoſtium rabiem compeſcit, ita ut interdum & paſtori & eccleſiæ, imo etiam toti civitati & reip. parcant. Exemplo eſt Ephræmius, Antiochiæ epiſcopus, qui, Choſroë, Perſarum Rege, imperii Romani fines excurſionibus ſuis vaſtante ac depopulante, eccleſiam ſuam ſacris donariis exornavit, eo conſilio, ἵνα λύτρα ταύτῃ γένηται, *ut ea lytri loco eſſent*. Qua ratione eccleſiam, & quæ circa illam erant ædificia, feliciter ſervavit. Evagr. lib. 4. cap. 25.

Neque vero tantum eccleſiæ, uti hactenus oſtendimus, ſed etiam ipſis, qui ea utuntur, ſacris myſtis oppido utilis eſt prudentia. Nam I. iis apud populum æque ac Magiſtratum, ſive hic ſit orthodoxus ſive heterodoxus, ſive etiam hoſtis, auctoritatem conciliat. Unde fit, ut eorum miniſterium non careat fructu, & dicta recipiantur pro oraculis. Videre hoc licet in Attico & Gregorio Antiocheno. Atticus enim tam erat omnibus ob prudentiam admirabilis, ut ejus conſilio etiam vetuſtiſſimorum locorum nomina mutarentur: quemadmodum legimus, quod ſtatio navium, quæ in oſtio Ponti Euxini erat, φαρμακεία h.e. *veneficium* dicta, nomen θεραπείας, id eſt, *medicinæ ſeu curationis*, acceperit; ſuburbium autem Conſtantinopolitanum, cui δεκαδευτήριον nomen erat, quod ibi *decimæ* exigerentur, ἀργυρόπολις *argentea urbs* appellata fuerit, eo quod magnus ille vir dixiſſet, φαρμακείας vocabulum inviſum eſſe, & conventibus ſacris ibi celebrandis minime conveniens: porro æquum eſſe, ut ſuburbium illud, quod argenti copiam ſuppeditet reip., & ſitum ſit e regione ſtationis veteris, quæ χρυσόπολις *aurea urbs* dicebatur, ἀργυρόπολις appellaretur. Socrat. lib. 7. c. 25. Gregorius autem & ipſe κατέπληξεν οὐ μόνον τοὺς Ῥωμαίων βασιλέας, ἀλλὰ καὶ τοὺς Περσῶν, *admirationi fuit non Romanorum modo, verum*

etiam Persarum Imperatoribus, cum in omnibus negotiis ita se gereret, ut necessitas postulabat, utque ferebat occasio. Evagr. lib. 5. c. 6. II. Diluit calumnias. Hoc enim medio liberavit se Athanasius a duplici, eaque atrocissima calumnia violatæ virginitatis, & occisi Arsenii cujusdam, ac præcisi a cadavere, in magicarum artium usum, brachii. Socr. lib. 1. c. 27. Sozom. lib. 2. c. 23. Theod. lib. 1. c. 30. III. Utentem, ecclesiæ præstat incolumem, & vitæ pericula, quæ adversarii ei tendunt, declinat. Hac magistra laudatus Athanasius Juliani apostatæ decretum de ipso occidendo elusit, ex urbe Alexandria fugiens, atque amicis dicens: *Secedamus ad tempus; nubecula est, quæ cito evanescet.* Cumque sicarii eum insequerentur, prudentia duce & comite fortuna, eos prætervectus, rediit Alexandriam, ibique secure delituit, usque dum nubecula persecutionis transiisset. Socr. lib. 3. c. 14. Sozom. lib. 4. c. 10. Theodor. lib. 3. c. 9. IV. Ecclesiæ regimen sub orthodoxo Principe, & pacis tempore, alicui conservat, dum alius imprudentior, eodem rerum statu, illud amittit. Sic Atticus per XX. annos episcopatum pacate administravit, cum contra ex decessoribus is, qui aurea eloquentia aliisque donis antecellens, at prudentia inferior, animique impotentior erat, in gravissimas calamitates, maximo ecclesiæ malo, inciderit. Socr. lib. 7. c. 25. & lib. 6. c. 3. Sozom. lib. 8. c. 3. V. Facit, ut aliquis pericula mature prævideat, &, si declinari non possint, ad illa subeunda animo invicto atque imperterrito se præparet, ita ut prævisa tela minus ei nocere possint. Præviderat Liberius, episcopus Romanus, exilium sibi paratum esse a Constantino Imperatore, in novam Romam ipsum evocante. Itaque Imperatori, dicenti, non rediturum Romam, nisi *communionem ecclesiarum* h. e. placita Ariana fuisset amplexus, animose respondit: *Ego jam fratribus, qui Romæ sunt, valedixi. Præstat enim decreta ecclesiæ, verbo DEI consentanea, custodire, quam Romæ habitare.* Theodor. lib. 2. c. 16.

Conſideratis itaque tot ac tantis cum damnis imprudentiæ, tum fructibus prudentiæ, haud dubitamus pronunciare, prudentiam iis, qui gubernaculis eccleſiæ admoventur, imprimis eſſe neceſſariam. Atque hujus aſſerti tres cauſæ in promtu ſunt. I. Eſt gravitas muneris eccleſiaſtici. Hoc enim ut difficillimum eſt, ita, qui illud prudenter gerit, plurima & plane inſignia bona parit; qui vero imprudenter, maximorum malorum fax & tuba exiſtit. II. Magnitudo infirmitatis humanæ. Hæc namque viris eccleſiaſticis non tantum communis eſt cum cæteris hominibus, ſed etiam vitæ & profeſſioni eorum, peculiari modo adhæret: Sunt enim ob pietatis ſtudium, quod eis merito omni cura exercendum eſt, plerumque ſimpliciores, iisque contingit, quod Chryſoſtomo, qui erat, ut Socrates ſcripſit lib. 6. c. 3. διὰ μὲν ὀρθότητα βίου οὐκ ἀσφαλὴς πρὸς τὰ μέλλοντα, δι’ ἁπλότητα δὲ εὐχερής, *ob vitæ quidem ſanctimoniam incautus adverſus futura; ob ſimplicitatem vero apertus & facilis.* Inde fit, ut ſe decipi patiantur ab hominibus aſtutis, & nonnunquam ea ſuſcipiant, quorum poſtmodum ipſos pœnitet; vel etiam, dum vocationi ſuæ ſerio ſeduloque intenti ſunt, negligant ſæpe pericula illa, & laqueos illos, quos ipſis tendunt doctores hæretici, aliive ἐξ ἐναντίων. III. Denique magnitudo periculorum, quæ vocationem illorum comitari ſolent. Ea enim (1) habet partim contemtores, partim oſores plurimos, ex iis etiam, qui inter membra eccleſiæ cenſeri volunt, præcipue homines vitiis deditos, quorum vita taxari non poteſt, ni pariter crabrones irritentur. Quin ſæpe homines alioqui non peſſimi, ſi reprehendantur a paſtore, odium ei pro gratia, ſcorpionem pro perca reponunt, maxime ſi ſint ſublimioris conditionis, imitantes hac in parte Achivos, qui Agamemnonem, optime de illis meritum, male tractârunt, ut in proverbium abierit:

Ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί

Pro benefactis vinxerunt Agamemnona Graji.

(2) Fieri vix poteſt, quin fidelis DEI ſervus, qui munere ſuo fungitur præclare & cum laude, æmulos nanciſcatur & adverſarios ex ipſis fratribus & collegis ſuis, qui nonnunquam ipſum opprimere conabuntur. (3) Subinde ſe offerunt doctores hæretici aut heterodoxi, qui, ſicut nervos intendunt, ut eccleſiam orthodoxam evertant, ita præcipue illius antiſtitibus inſidias parant, maxime illis, qui ſe ipſorum artibus, technis & cuniculis opponunt. (4) Graviſſima pericula iis imminent tempore perſecutionis: etenim ut in bello præ aliis petuntur tribuni & duces, ita perſecutionis initium plerumque fit a doctoribus & miniſtris eccleſiæ. Vid. Balduin. in brevi Inſtitutione Miniſtr. Verbi. p. 264.

Unde porro fluit, etiam illis, qui ſe præparant ad ſacrum munus, h. e. candidatis miniſterii oppido neceſſarium eſſe ſtudium prudentiæ. Nam ſub initium miniſterii, graviſſimis erratis implicare ſe poſſunt, & plurima mala facere per imprudentiam. Sed ab illis, per Dei gratiam, immunes ſe præſtabunt, ſi in tempore, & antequam eccleſiæ admoveantur, propriæ experientiæ defectum cognitione alienæ compenſaverint, & precibus indeſinenter pro ſapientia fuſis, nec Scripturæ lectione non continuata, & facta cum prudentibus diligenti conſultatione, in veterem intuentes eccleſiam, illius & exemplis & damnis ſapere didicerint. Quod ubi facient, & ſuum, & eccleſiæ commodum promovebunt, ac pariter a ſe & grege ſuo perniciem avertent vel maximam. Ubi & hoc obſervandum, prudentiam cum mediocri eruditione conjunctam, ſummæ eruditioni, ſed prudentia deſtitutæ, longe antecellere; cum ex illa plurimum commodi ad eccleſiam & hominem redeat; ex hac vero, lerna malorum ad utrumque. Itaque eruditioni comparandæ ita invigilent, ut prudentiæ addiſcendæ ne obliviſcantur, quin potius maxi-

maximum laborem, curam, operam, ſtudiumque ei impendant.

Conſiſtit autem prudentia eccleſiaſtica in variis omnino actionibus & diverſiſſimis, pro diverſitate objectorum & rerum, quæ in negotio religionis atque eccleſiæ occurrunt. Quædam enim illius prudentiæ actiones immediate circa *religionem & DEum* verſantur; quædam mediate circa religionem, immediate autem circa *homines*. Et prior quidem prudentiæ eccleſiaſticæ pars, quæ DEum reſpicit ejusque cultum, uti nobilisſima eſt ac præſtantisſima, ita vero zelo veræ religionis ſe exerit. Vulgo quidem prudentia zelo contra diſtinguitur, quando docetur, zelum prudentia temperatum eſſe debere. Quod, ſi recte intelligatur, vero conſonum eſt. Interim etiam negari non poteſt, zelum ipſum eſſe primarium prudentiæ eccleſiaſticæ membrum. Idque propterea monemus atque inculcamus, quod ex recepta iſta diſtinctione zeli & prudentiæ, (quæ, ut diximus, ſano ſenſu intellecta non eſt rejicienda) homines profani, impii, ignavi, & perfidi, occaſionem petunt, ſeparandi in negotio religionis, zelum a prudentia, & ſcelera ſua prætextu hoc palliandi, *zelum prudentia miſcendum eſſe & corrigendum*. Immo vero magnus ille, atque utinam non fere communis, morbus corrigendus eſt, tenendumque pro certisſimo, eos, qui laudabili prudentia religionem tractare cupiunt, eamque conſervatam & propagatam volunt, verum zelum veræ religionis afferre debere, & absque illo genuinam prudentiam conſiſtere non poſſe, quid? imprudentiſſime omnia geri & peragi.

Notanter diximus: *Zelum verum veræ religionis*. Ne ſcilicet intelligatur zelus homonymice ſic dictus, qui non veræ religionis, ſed falſitatis, impietatis, erroris eſt. Qualem zelum habebant Judæi. ad Rom. 10. 2. & Theoctiſtus pſathyropola, illi Arianorum addictus ſectæ, quæ *Patrem*

(cœle-

(cœleſtem) *ſemper fuiſſe patrem* aſſeruit, *etiam cum Filius non exiſteret*, nam διαπύρως τῷ λόγῳ τῷδε συνίστατο *igneo zelo iſti opinioni adhærebat*, ut ait *Socr. lib. 5. c. 23*. Porro verus veræ religionis zelus duo complectitur. (1) Flagrantem veritatis divinæ, ſeu veræ Dei cognitionis amorem. (2) Vitæ morumque internam & externam ſanctitatem. Hæc duo ſi mutuo complexu ſe non excipiant, infallibiliter judices, verum abeſſe zelum. Alterum absque altero zelus non eſt, ſed larva, ſpectrum, & cadaver zeli. Utrumque Apoſtolus Paulus comprehendit, quando jubet, ut Romani ſint τῷ πνεύματι ζέοντες. ad Rom. 12. 11.

Atque, ut primum de zelo veritatis divinæ agamus, eſt ille nihil aliud, quam ſummus affectus, quo eccleſiæ miniſter veram doctrinam æſtimat, pro viribus conſervat, tuetur, propagat, firmiter ei & conſtanter adhæret, eique omnia, quæ in hoc mundo pretium aliquod habent, & ad ſui amorem pelliciunt, poſtponit; falſam vero religionem averſatur, eidemq; pro virili reſiſtit. Zelum hunc partem eſſe prudentiæ eccleſiaſticæ, e tribus conſtat. I. Quia absque zelo religio vera conſervari & propagari non poteſt: quo enim in ſtatu illa hodie foret, & ubi reperiretur, ſi Prophetæ & Apoſtoli, eosque ſecuti Patres fuiſſent languidi, ut *angelus* ille ſive epiſcopus Laodicenſis, ad quem ſcribere jubetur S. Johannes Apoc. 3. 16. nec (ut loquitur Sulpic. Sev. lib. 2. c. 32.) *multo avidius tum martyria glorioſis mortibus quæſiviſſent, quam nunc epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur?* Quo nomine æternum celebrandi ſunt, præter innumeros alios, S. Ignatius Antiochenus, & S. Baſilius Cæſarienſis: quorum ille dentibus beſtiarum moli, quam fidei & doctrinæ chriſtianæ renuntiare; hic vero pro veritatis defenſione, corporis vinculis detineri, quam τὴν πίστιν τοῦ βασιλέως ἀσπάζεσθαι *Regis fidem* (h. e. Valentis Imp. fidem Arianam) *amplecti* maluit. Ignat. in ep. ad Rom. Socr. lib. 4. c. 26.

II. Quia

II. Quia tentationes mundi, carnis, & ſatanæ, illæ imprimis, quæ paupertatis, ignominiæ, exilii, cruciatuum, & mortis terriculamenta proponunt, ſuſtineri ac vinci neutiquam poſſunt, ni zeli robur & æs triplex tibi circa pectus ſit: ψυχὴ γὰρ ὑπὸ θείου ζήλου πυρπολουμένη, οὐδὲν ἀνθρώπειον εἰσδέχεται δέος, ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα δείματα, γέλωτα νομίζει καὶ παίγνιον: *Animus enim divino zelo ſuccenſus, nullo humano tangitur metu, ſed hujusmodi terrores pro ludibrio & joco ducit.* Theodor. lib. 4. c. 16. Hinc magnus ille Baſilius, ὁ τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, magno ſupercilio contemnens ampliſſima promiſſa, quibus ipſum a veritate divina præfectus abducere conabatur, reſpondit: *Ejusmodi ſermones adoleſcentibus magis congruere. Hos enim, & quicunque horum ſimiles ſint, hujusmodi rebus inbiare ſolere.* Id. lib. 4. c. 19. III. Quia zelus facit ad curſum perſecutionis inhibendum & impediendum. Nam tyranni facilius abſtinent a cædibus, & ſanguine aliave violentia, videntes, fidelibus Dei ſervis fortitudinem ineſſe & conſtantiam; e contra ferociores redduntur eorum timiditate & ignavia. Prorſus ut in bello evenit, ubi hoſtis audacior redditur contra fugientes & timidos, quam contra imperterritos & maſcule pugnantes. Nimirum verentur perſecutores, aggredi ſanctos & fortes Dei athletas; *ne forti animo impetum excipientes ac repellentes, exemplum aliis præbeant fortitudinis*: quemadmodum in ſimili fere caſu loquitur Theodoretus de Valente Imp. & Baſilio Cæſarienſi lib. 4. c. 19.

Ad flagrantem veritatis amorem pertinet etiam, ut eccleſiæ paſtores ſibi caveant * a ſtudio novandi dogmata veræ & orthodoxæ eccleſiæ. Idque ob tres præcipue cauſas. I. Ob diſſidium ac rupturam pacis & concordiæ in vera eccleſia. Nam facta dogmatis alicujus novatione, eccleſia in tres fere partes ſeu factiones diſcinditur. Prima ejus eſt, qui novam

* Novator ſibi debet ſervare ſuam ſcientiam, judicio Conſtantini M. Imp. auguſtiſſimi. Vedel. 267.

affert & ſpargit ſententiam. Hiç enim illam, vel quia veram credit, vel quia victoriam alteri non vult concedere, omnibus modis defendit. Hinc fit, ut, quia homines natura ſunt novitatis cupidi, ſectatores inveniat plurimos, non explebe tantum, ſed etiam ex doctis. Secunda eorum, qui doctrinæ receptæ aſſentiuntur: Neque enim omnes ſtatim novatorem ſequuntur. Tertia eorum, qui neutri parti accedunt, exiſtimantes, controverſiam illam non adeo magni eſſe momenti, ſed verſari tantum circa phraſin, aut vocem, non vero circa rem ipſam. Talem ſcenam vidit ecclesia, cum Arius dogma novum in eam introduxiſſet. Sozom. lib. III. c. 13. Poſitis autem factionibus iſtis, omnia ſolent turbari, ita ut non templa ſolum, ſed & fora, aulæ, curiæ, ſcholæ, vici, compita, porticus, naves, plauſtra, domus, tori, palæſtræ, tonſtrinæ, balnea, diverſoria, convivia plena ſint contentionum: nec viri tantum, ſed & fœminæ; nec ſolum docti, ſed rudes quoque, bajuli, nautæ, fabri, aurigæ, corydones profeſsionem theologicam (ſi DIs placet) exerceant, deque controverſia judicent, eo majore cum fiducia & animi contentione, quo craſsior in iis regnat ignorantia. Nec malum hoc in uno conſiſtit loco, ſed ex hoc in iſtum, ex urbe in urbem, e regione in regionem, e provincia in provinciam, e regno in regnum vagatur, dum vel ipſe novator, vel ejus aſſeclæ, vel utrique ſimul errorem diſſeminant, aut defendere ac vindicare ſatagunt. II. Ob impedimentum veritatis divinæ. Nam per disſidium eccleſiæ, e novatione ortum, ludibrio adverſariorum exponitur vera religio, & ſic illi abſterrentur ab amplectenda veritate: ceu prudentisſimus obſervavit Imperator, Conſtantinus, in epiſtola ad Chreſtum, quæ extat apud Euſebium Pamphili lib 10. c. 5. Immo & ſociis religionis anſa præbetur, ut ei repudium mittant, atque abſcedant. Quemadmodum, durante Paulini & Meletii disſidio, parum abfuit, quin univerſa

versa ecclesia Antiochensis Arianam hæresin amplecteretur. Sozom. lib. 6. cap. 21. III. Ob pœnam, quam DEus infligere solet propter novationes. Ideo enim persecutiones immittit, & alias calamitates; fatente ac dolente Eusebio de Martyribus Palæstinæ h.e. in supplemento libri 8. c. 12.

Declinabit autem & devitabit novitatem dogmatum ecclesiæ præpositus, si sibi caverit, ne modum loquendi receptum, quantumvis ille totidem syllabis & apicibus non extet in Scriptura, fastidiat & rejiciat. Nam I. diabolus per eversionem phrasium conatur subvertere rem ipsam, h. e. doctrinam veritatis & salutis. Videns enim, nihil se acturum, si directe & manifeste veritatem oppugnet, sed fore, ut sibi resistant doctores ecclesiæ & populi, eam tenentes ac profitentes, indirecte eam petit, instigando instrumenta sua sive novatores, ut tollant hunc vel illum loquendi modum, aut voculam vel literam aliquam, sub prætextu, nihil inde detrimenti passuram ipsam fidem seu veritatem; cum tamen nimium patiatur detrimentum, & verus sensus ac doctrina corruat. Veteratoria ista usus est arte hostis nequissimus sub Theodosio II. & Valentiniano III. ceu memoriæ prodidit Evagr. libr. 1. c. 2. Conatur autem id facere duplici ratione, dum scilicet prætenditur, locutionem vel voculam aliquam contrariari sive veritati doctrinæ, sive paci ecclesiæ. Priore modo lusit per Anastasium, presbyterum Constantinopolitanum, quippe qui primus Mariam negavit Deiparam esse dicendam, eo quod talis locutio impingat in fidem. Hæc enim ejus erant verba in quodam ad populum Christi amantem sermone: Θεοτόκον τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς. Μαρία γὰρ ἄνθρωπος ἦν· ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ Θεὸν τεχθῆναι, ἀδύνατον. *Mariam nemo Deiparam vocet. Nam Maria homo fuit. Fieri autem non potest, ut ex homine nascatur DEus.* Hunc Anastasii errorem Nestorius, utpote episcopus, cum corrigere deberet, defendere studuit, eique robur addidit, ita ut diceret:

ceret: Τὸ γενόμενον διμηναῖον, ἢ τριμηναῖον, οὐκ ἂν Θεὸν ὀνομάσαιμι. *Ego illum, qui bimestris aut trimestris factus est, nunquam Deum appellaverim.* Socr. lib. 7. c. 32. Evagr. lib. 1. c. 2. Posteriore per Arianos, qui Patres Nicenos, eo quod vocem ὁμοούσιος, quæ in Scripturis non legatur, doctrinæ fidei inseruissent, tempestatis illius, qua ecclesiæ jactabantur, auctores esse, vocabulo autem isto eraso omnia pacata fore & tranquilla, calumniabantur. Theodor. lib. 2. c. 3. Immo unius literulæ vel depravatione vel adjectione ecclesiam orthodoxam corrumpere laborat, ceu videmus in Eutychianis & Arianis; illos enim instigavit, ut Chalcedonensibus Patribus Christum ἐν δύο φύσεσι *in duabus naturis* confitentibus, eundem ἐκ δύο φύσεων assererent, atque adeo literam κ loco ν substituerent: hisce vero inspiravit, ut fidem Nicenam adjectione literæ ι adulterarent, & pro se interpretarentur, quasi, ubi legitur ὁμοούσιος, *consubstantialis*, scriptum esset ὁμοιούσιος, *similis substantiæ.* Vid. de fraudibus hisce Evagr. lib. 2. c. 18. & Sulpic. Sev. lib. 2. an. 357. II. Novatione vocis aut locutionis dæmon ecclesiam intendit in partes scindere, & divisiones, pugnas, contentiones & abscessiones excitare. Uti historia memorat, contigisse illis temporibus, quibus Ariani, Nestoriani, Eutychiani mutationes vocum introduxere. III. Per καινοτομίας facilis in hæresin lapsus est. Sicut expertus est Nestorius. Dum enim vocem Θεοτόκος, jam antehac ab ecclesia usurpatam, rejecit, hæresin introduxit, qua in Christo DEus ab homine separatur, adeoque unitas personæ Θεανθρώπου impie læditur ac divellitur. Socr. lib. 7. c. 32. IV. Novator, ubi infausto sidere hæresin enixus est, aut alium monstrosum errorem, ecclesiæque pacem violavit, sibi ipse, justo Dei judicio, gravem sæpe calamitatem attrahit. Ut vel solus Nestorius miserabili suo exemplo docere potest: quid enim aliud lucratus est suo circa vocem θεοτόκος novandi studio, quam jacturam gratiæ Imp. Theodosii

dosii II., sedis episcopalis, ecclesiasticæ communionis, exilium tristissimum, & miseram in exilio mortem? Evagr. libr. 1. c. 7. Hinc recte ac sapienter, sub finem Edicti de fide ad omnes ubique christianos, vetuit Imp. Justinus II. ne quis deinceps circa syllabas rixaretur; addita hac ratione: ὅτι πρὸς μίαν καὶ τὴν ὀρθὴν πίστιν τε καὶ ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρουσι, *siquidem syllabæ ad unam eandemque fidem & intelligentiam perducunt*. Evagr. lib. 5. c. 4. Atque ad eundem scopum collimant alii christiana fide juxta & prudentia conspicui magistratus, qui post sacram Scripturam certos libros, normales seu symbolicos dictos, pastoribus ecclesiæ suæ commendant, eosque juxta illam normam docere, & ab inusitatis locutionibus sibi cavere jubent. Jo. Bened. Carpzov. Isag. in Libb. Symb. Eccl. Luth. p. 3. & seqq.

Altera veri zeli pars est (uti diximus supra,) vitæ morumque tam interna, quam externa sanctitas, quæ itidem maxime necessaria est iis, qui in ecclesia docent. Nam non satis est, veritatem divinam accurate proponere, & contra adversarios acute disputare, nisi exemplo vitæ aliis præeas, & (ut Christus loquitur Matth. V, 16.) *lux tua splendeat coram hominibus, ut videant bona opera tua.* Hinc enim insignes fructus redeunt ad ecclesiam pariter, ac ipsos doctores.

Ad ecclesiam: Nam vitæ sanctitas I. confirmat veritatem doctrinæ, eique fidem facit; sicut e contrario improbitas doctrinam suspectam reddit, atque animos hominum abalienat, sive, ut gravissimis Sozomeni verbis dicam, quæ extant lib. 8. c. 2. λόγος ὑπὸ τῶν ἔργων κοσμούμενος, πίστεως ἄξιος εἰκότ[illegible] φαίνεται· ἄνευ δὲ τούτων, εἴρωνα καὶ τῶν ἰδίων λόγων κατήγορον ἀποφαίνε[illegible] τὸν λέγοντα, κἂν σπουδάζῃ διδάσκων. *Oratio, quæ operibus exornatur, merito fide digna videtur. Si vero operibus destituta sit, oratorem impostorem esse arguit, ac suorum ipsius dictorum reprehensorem, tametsi is in docendo magnæ sit*

diligentiæ. Hinc eſt, quod populus Ægyptiacus, relictis Arianis, monachorum Trinitatem profitentium ſententiam ſecutus eſt, eorumque teſtimonia vera eſſe judicavit; nam ἀρετὴν ἤσκουν *virtutem colebant*, populus vero haud ſtulte credebat, παρ᾽ ἐκείνοις εἶναι τὴν ἀλήθειαν, οἱ τοῖς ἔργοις τὴν ἀρετὴν ἐπεδείκνυντο, *penes illos veritatem eſſe, qui virtutem factis ipſis profiterentur.* Sozom. libr. 4. c. 10. & lib. 6. c. 20. II. Auditores reddit paſtoris ſui æmulos: quemadmodum Sozomenus narrat de Joanne Chryſoſtomo, quod, cum vitam ageret plane divinam, ad æmulationem virtutis ſuæ auditorum animos excitaverit. libr. 8. c. 2. III. Plurimum confert ad converſionem hæreticorum & errantium; ceu ſuo exemplo, Conſtantinopoli cum doceret, probavit Gregorius Nazianzenus: Etenim *ibi brevi tempore tantum ad emendandum populum vetuſtis hæreticorum infectum venenis profecit, ut tunc primum Chriſtiani ſibi fieri viderentur, & novellam lucem veritatis aſpicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis: nec viderent ab eo diſcipulis aliquid imperari, quod non prius ipſe feciſſet.* Ruffin. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 9. IV. Impetrat pacem & tranquillitatem a Domino; uti evenit olim ante Diocletiani imperium, cum paſtores populique probitati, ac imprimis concordiæ litarent, recenſente Euſebio lib. 8. c. 1.

Ad ipſos vero doctores; dum ii, qui vitæ ſanctitate coruſcant, I. hoſtibus veritatis æmulisque anſam calumniandi eripiunt, & ora obturant. Ita, quamvis invidiæ ſtimulis apud Alexandrum, cui epiſcopatus eccleſiæ Alexandrinæ commiſſus erat, incitaretur Arius presbyter, tamen, τὴν μὲν ἀξιέπαινον τοῦ ἀνδρὸς πολιτείαν θεώμενος, συκοφαντίας ὑφαίνειν οὐκ ἠδύνατο, i. e. *cum vitam ejus & converſationem omni laude dignam videret, calumnias adverſus eum contexere nullas poterat.* Theodor. lib. 1. c. 2. II. Dum perſecutores commovent, ne ſibi damnum inferant, ſed potius parcant, &

tran-

tranquilitatem indulgeant. Prout quidem legimus de Valente Imp. quod eos, qui cum Arianis communicare nolebant, ecclesiis ejecerit, pecuniis mulctarit, verberibus exceperit, tormentis excruciaverit, variaq; affecerit morte, sed Antiochiam delatus, Paulino episcopo, τὸν βίον αἰδεσθεὶς, *ejus sanctimoniam vitæ reveritus*, pepercerit. Sozom. lib. 6. c. 7. Inde jam a contrario licet argumentari, quantum ille noceat & ecclesiæ, & sibi, qui cum vera doctrina non conjungit vitæ sanctimoniam. Hoc etiam e dictis sequitur, eos, qui ad sacrum officium adspirant, in tempore anniti debere, ut optimas probitatis & sanctitatis merces sibi comparent, quo exemplo esse possint gregi, & sacerdotali honore digne frui. Imo magis juvabit in sanctitate, quam in eruditione proficere, cum hæc sine illa frustra quæratur. Vide Speneri Pia Desideria p. 125. & seqq.

Egimus hactenus de illa prudentiæ ecclesiasticæ parte, quæ erga DEum se exerit. Reliquum est ergo, ut nunc dicamus de ea, quæ circa homines versatur. Quorum alii cum sint in ecclesia, iique vel docendi, vel regendi; alii foris seu extra ecclesiam, iique vel hæretici vel infideles: cumque in congressibus & colloquiis tam hi, quam illi interdum sese offerant, dispiciendum erit, quomodo prudens ecclesiæ doctor ubique, & erga omnes, se exhibeat.

Docendi autem sunt fideles potissimum in concionibus. Quod ut dextre & prudenter faciat orator ecclesiasticus, præcepta quædam partim ad res proponendas, partim ad proponendi modum pertinentia, ante oculos habet. Enim vero, quod ad res ipsas attinet, id agit, ut fideliter doceat, nec quicquam eorum omittat, quæ aliis prodesse possunt, nil reticeat aut mutilet, nil de suo adjiciat: quicquid autem ad lites potius excitandas, quam ad fidem, pietatemque hominibus ingenerandam spectat, id maximopere vitet; secutus exemplum apostoli Pauli, qui itidem *nil subterfugit eorum, quæ*

condu-

conducerent, *quo minus annunciaret* Ephesiis, Act. 20, 27. Atque huc etiam pertinent, quæ scripsit 1. ad Cor. 4, 2. ubi se aliosque sui similes vocat *dispensatores mysteriorum Dei*, addens illud, *requiri in oeconomis, ut fideles reperiantur*. Fidelitas autem id imprimis postulat, ne quid rerum necessariarum ulla de causa suffureris, aut metu aliquo, vel impatientia, ab officio te avocari patiaris. Deinde diligenter expendit, quid cuique tempori, personæ, & loco maxime conveniat, & non semper ea, quæ per se maxime sunt necessaria aut præclara, proponit, sed interdum ea potius, quæ personis magis sunt necessaria aut temporibus magis conveniunt. Ut fecit Chrysostomus, teste Erasmo in ejus vita, quæ etiam extat in volumine Epistolarum, p. 1142. Itaque si observet, certum esse aliquod doctrinæ caput, in quo minus sint instructi auditores, illud potissimum inculcat: Sique videat, errorem in ecclesia gliscere, aut metuendum esse, ne eo inficiatur ecclesia, ei mature occurrit, & animos adversus eum præmunit, aut ab eo liberat, qui jam fuere seducti, præsertim si sit valde noxius. Sæpius tamen ac diligentius ea inculcat, quæ ad mores pertinent, quam quæ ad cognitionem; quia hæc, præsertim quatenus necesse est, facilius capiuntur, illa difficilius fiunt, & plus in actione situm est, quam in cognitione: immo in actione per se omnia, in cognitione eatenus, quatenus ad actionem est necessaria. Itaque etiamsi nonnunquam mysterium aliquod religionis christianæ explicandum sumat, tamen crebras miscet admonitiones, & ita res tractat, ut non tantum mens auditoris formetur, verum etiam affectus cieatur. Præterea sæpius explicat veritatem, quam ut refutet errores, & adversus alios disputet, præsertim si ecclesiæ ab adversariis non immineat periculum, & nulli vel pauci inter auditores sint docti, quibus de contraria sententia aliquid constet: quoniam ad cathedram academicam potius, quam ad suggestum ecclesiasticum

ſticum pertinet quæſtionum polemicarum tractatio, juxta Lutheri dictum: *In ſcholis de abſentibus, in templis de præſentibus agendum.* Quod ſi vero ad confutandos errores accedit, non promiſcue omnes aggreditur, nec obſoletos & dudum orco ſepultos, ne Camerinam videatur movere; ſed recentiores, eosque potiſſimum, qui cœtum, cui præeſt, inficere vel ſeducere poſſint, vel jam corripuerunt. Nec omnia, ſed palmaria tantum argumenta adverſariorum proponit, & bona quidem fide, prout in ſcriptis eorum extant, propoſitaque ex præſente textu, locisque parallelis, ſine ſophiſtica oſtentatione ſubtilitatis, & ſine excandeſcentia, graviter tamen, ſolide, & breviter convellit, ut veritatis amor, non cavillandi ſtudium, in refutatione appareat. Probe etiam diſcrimen facit inter dogmata erronea, & eccleſias, in quibus ea proponuntur, ita ut illa quidem condemnet, non vero protinus has ipſas, cum ſæpe aures auditorum puriores ſint labiis docentium: nec non inter errores graviores, qui fidei fundamentum evertunt, & leviores, qui non tangunt ipſam fidei baſin, ſed vel incommodam locutionem reſpiciunt, vel minus probam textus alicujus biblici difficilioris interpretationem, aut quæſtiones, ut vocant, adnatas; inter graviorum errorum initium, & progreſſum; inter ſeductores & ſeductos; inter adverſarios contumaces, & dociles; inter eos, qui ex obſtinatione, & alios, qui ex infirmitate, ignorantia, aut mentis imbecillitate errant; denique inter eccleſiam liberam, quæ ſub pio & orthodoxo magiſtratu floret, & preſſam, ſeu ſub magiſtratu heterodoxo gementem atque afflictam. Enimvero, exemplo Chriſti, Apoſtolorum, & primitivæ eccleſiæ, acrius invehitur in illos, quam in hoſce; in progreſſu errorum graviorum, quam in initio; & liberiore elencho utitur in libera, quam in preſſa eccleſia, *ne* ſcilicet (ut loquitur Gerh. comm. in 1. Petr. c.3. p.419.) *zelo intempeſtivo, & cumprimis acerbiore falſi alicu-*

 jus

jus dogmatis rejectione atq; damnatione, apud adversarios cœlestis veritatis, ecclesiæ plus detrimenti afferat, quam salutem piorum promoveat. Nec facile collegam aliquem refutat, nisi forte metus sit seductionis. Supra omnia autem cavet sedulo, ne quem ex solo auditu seu relatione aliorum, & ante, quam ipse dissentientis scriptum accurate legerit, castiget, atque rejiciat. Qua in re aliquando peccatum est ab episcopo Salaminio, ceu memorat Sozom. lib. 8. c. 15. Habet quoque rationem captus & ingenii auditorum: sciens, alios lacte esse enutriendos, tanquam infantes in Christo JEsu, atque in religione christiana adhuc pueros: aliis solidiorem cibum esse præbendum, utpote jam adultis, & in doctrina Christi provectioribus. 1. ad Cor. 3, 1. 2. ad Hebr. 5, 12. 13. 14. Nimirum prima doctrinæ Christi elementa, quæ etiam a rudibus facile capi possunt, proponit iis, qui vel per ingenium, vel per temporis, quod in ecclesia consumserunt, brevitatem, vel per ætatem nondum sunt rerum difficiliorum capaces; abstrusiora vero mysteria iis, qui ingenio plus valent, atque in doctrina Christi jam sunt exercitatiores. Itaque ab imperfectioribus ad perfectiora, a primis rudimentis ad solidiorem & exquisitiorem doctrinam paulatim ducit auditores, atque adeo ita docet, ut jure dicatur ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *recte secare sermonem veritatis.* 2. ad Tim. 2, 15.

In modo proponendi duo potissimum sunt consideranda, Verba & Actio: quo etiam Affectus pertinet, qui orationem (ut ita loquar) animat. Jam in hisce etiam considerate mihi prudentiam doctoris ecclesiastci. Etenim verbis utitur planis ac perspicuis, & ad captum auditoris accommodatis: omnem autem affectationem, & immoderatum ac nimis exquisitum verborum ornatum cane pejus & angue fugit; non quod incultam adamet orationem, & barbariem quandam ac sermonis ruditatem depereat, sed quod memi-

meminerit, dandam ſibi eſſe operam, ut omnia nativa eſſe videantur, & veluti ſub manu nata, non vero longe ante conquiſita, aut nimis picturata. Itaque figuras etiam varias adhibet, quemadmodum in ſcriptis Apoſtolorum & celeberrimorum eccleſiæ Patrum videmus, ſed quæ a communi ratione nil, aut parum admodum diſcedant, quasque fervor ſpiritus potius ſuggerat, quam rhetorum præcepta. Fugit etiam redundantiam, & effuſam verborum copiam, ne multitudine iſta res obſcuretur, & animus auditoris obruatur; idque imprimis tum, ubi rei alicujus natura explicatur, aut ſententia aliqua proponitur, aut rationes & argumenta exponuntur. Interdum tamen amplificationes & illuſtrationes varias affert, pro ratione neceſſitatis, quam ex difficultate rei & captu auditorum ipſe pro ſua prudentia æſtimat. Ubi exhortandi ſunt aut corrigendi auditores, paulo plus licentiæ ſibi ſumit, ob motum animi, qui in exhortationibus aut reprehenſionibus concipi ſolet a dicente, & imprimi debet animo auditoris: impetus enim ille & fervor orationi flumen quoddam ſuppeditat, ſed rerum ponderibus plenum, & bona mente agitatum.

Ad dicendum cum ſingulari religione ac reverentia ſummi Numinis accedit, profanas omnes curas ex animo pellit, non ſuam quærit gloriam, non affectibus indulget; ſed divinam gloriam, & eorum, ad quos ſermonem habet, ſuamque ipſius ſalutem unice quærit, cogitans, ſe non profanum aliquod negotium tractare, nec in theatrum prodiiſſe ad auditores oblectandos, & tempus fallendum, aut in palæſtram ad feriendum adverſarium, a quo læſus fuerat, aut ne læſus quidem; ſed Dei ſe negotium coram eccleſia, in Dei & ſanctorum angelorum conſpectu agere, eoque ſolicite cavet, ne forte alicubi impingat, & aliquid minus caute proloquatur. *Si quis* enim *loquitur*, h. e. eccleſiam docet, aut verbum Dei prædicat, loquatur *ut ſermones Dei*. 1. Petr. 4, 11.

Quod divus Hieronymus intelligens, vere dixit in comment. ad Gal. 1, 11. Tom. IX. p. 162. edit. Erasm. *Grande periculum est in ecclesia loqui, ne forte interpertatione perversa, de evangelio Christi fiat evangelium hominis, aut, quod pejus est, diaboli.* Atque hanc ob causam conscripsit ediditque aureum libellum de formulis caute loquendi (quem studiosi theologiæ omnino sibi commendatum habeant) *vir omni memoria dignissimus*, Urbanus Regius, sicut ipse narrat in præfatione illius hisce verbis: *Quare ut juniores & nondum satis exercitati tyrones theologiæ, omnia in docendo scandala evitare facilius queant, conscripsi vobis brevem quandam rationem caute loquendi de præcipuis christianæ doctrinæ articulis, quam & ego inter concionandum observo, qui jam tot annos in plerisque Germaniæ locis non sine acerbo animi dolore vidi, quam graviter offensa sit christianorum simplicitas indisposito illo, insulso, & imprudenti dicendi genere, cum nec, quid dicant, satis animadvertant scioli quidam, improvidi, sola eruditionis opinione inflati.*

Sed ad prudentem doctorem nostrum revertamur. Cum duæ sint doctrinæ christianæ partes, quarum altera res credendas, altera faciendas tradit (quanquam illæ ad has in theologia, quæ non speculativa, sed practica scientia est, referuntur) in prioribus proponendis ita is se gerit, ut appareat, ipsum penitus de iis esse certum ac persuasum, præsertim si res sit ad salutem necessaria, aut alioquin ex sacris paginis liquido pateat. Quare ita rem narrat, ut videatur non audita, sed visa referre. In posterioribus vero proponendis utitur fervore, nato ex desiderio & amore earum rerum, quas aliis commendat, aut odio illarum, a quibus auditores absterret. Novit enim, suarum esse partium, ut eum motum, quem auditoris animo vult imprimere, ipse sentiat prius, atque in se, tanquam in speculo, exhibeat. Quo nomine iterum Erasmo laudatur Chrysostomus, in

ipsius

ipſius vita p. 1145. Epp. Neque vero iſtos animi motus hiſtrionice fingit, aut externis tantum geſtibus exprimit, ac ſi in comœdia res ageretur; ſed in animo ſuo jam ante reſidentes, partim precibus ac votis orationi præmiſſis, partim ipſa dictione & orationis impetu concitat, & concitatos, quaſi ſub conſpectum auditorum, producit. Atque hinc etiam patere poteſt, qui geſtus, quæ actio ſit oratoris ſacri & prudentis, ea nempe, quæ motum animi ſequatur, adeoque nativa ſit, & cum verbis dicentis ubique mirum in modum conſentiat; ita ut auditor in geſtu ipſo aut vultu dicentis, ac vocis ſono, id ſibi videre videatur, quod in verbis audit. Servat ergo prudentiæ amans doctor inter dicendum gravitatem in vultu, ac toto corporis geſtu, qui virilis eſt, ac talis, qualem homo maxime ſeria cogitans & dicens exhibere ſolet. Quare quicquid levitatem quandam redolet, quicquid molle & effœminatum eſt, quicquid ludicrum, aut ridiculum, id quam longiſſime a ſe arcet. Vitat tamen etiam ſupercilium, & ſuperbiæ, vel audaciæ, aut imprudentiæ ſpeciem, memor, decere gravitatem, ſed modeſtia temperatam. Sunt & multa alia præcepta, quæ prudens concionator diligentiſſime obſervat, nos vero, ne præſens diſſertatio in librum abeat, commemorare nolumus. Noſſe interim ea qui cupit, (cupere autem debent omnes miniſterii candidati) adeat eos, aut unum atque alterum eorum, qui de officio eccleſiaſtico, vel de ratione concionandi ſcripſere, quales ſunt, inter Noſtrates, viri laude noſtra majores, Lutherus, Philippus Melanchthon, Luc. Oſiander, Æg. Hunnius, Frid. Balduinus, Sleupnerus, Rebhan, Hier. Weller, Hülſemannus, Chriſtianus Chemnitius, Carpzovius, Eckhardus, Joh. Olearius, Joh. Henr. Urſinus, Groſſius, Gœbelius, Quenſtedius, Zeidlerus, Bajerus. Quibus addi poſſunt Joh. Gerhardus in Meth. ſtud. theol. p. 200. & ſeqq. & Theoph. Spizelius, in Infel. Literato, p. 1108. &

seqq. Ut taceam Pontificios, Erasmum, Ludovicum Granatensem, Didacum Stellam, Jacob. Peresium, Augustinum Valerium, Carolum Regium, Caussinum; & Reformatos, Sohnium, Zachar. Ursinum, Amandum Polanum, Alstedium, Bartholom. Keckermannum, Wilh. Zepperum.

Nec minor in ecclesiæ regimine prudentia est adhibenda, quoniam major competit libertas ecclesiæ, quam aliis sociatatibus, e.g. herili, paternæ, civili, ubi cogi homines & adigi vi ad officium possunt. Nam ecclesiæ antitistes non potestatem & imperium in eos habent, quibus præsunt, ut pater in filios, herus in servos, magistratus in subditos; sed auctoritatem tantum. Joh. Gerh. L. de Minist. eccl. §. 196. Joh. Frid. Böckelm. axiom. 9. disp. inaug. de Diversis juris themat. p. 14. Itaque prudens ecclesiæ antistes ante omnia cavet, ne imperium sibi arroget aut dominium in ecclesiam, sciens, fideles esse peculium Domini, non vero res ipsorum seniorum proprias, seu mancipia quædam; atque hoc sensu prohibuisse S. Petrum 1. ep. 5, 3. *ne presbyteri dominentur cleris*, h. e. ecclesiis, quæ sunt instar hæreditatis Dei ac Christi. Vid. Estius in h. l. Quare non audet pro arbitrio suo quidvis imperare ecclesiæ, aut aliquibus, qui sunt in ecclesia, ne conscientiæ illorum jugum imponat, a Deo non impositum. Neque etiam imperiose cum iis agit, quibus præest, & nimis rigide ac duriter eos tractat, eosque pro lubitu objurgare, aut etiam ipsis convicium dicere audet. Balduin. in Institut. ministr. verbi pag. 266. Quensted. in Eth. pastor. pag. 338. Quin nec aliorum admonitiones fastidit ipse ac repudiat, sed potius lubens audit, ac fert patienter, recolens, & se esse hominem, nihilque a se humani alienum esse. Balduin. l. c. p. 67. Deinde non eo animo sacrum munus suscipit atque administrat, ut lucrum aut quæstum inde faciat (quod rursus prohibet Petrus 1. ep. 5, 3.) sed ut salutem eorum, quibus præest, gloriamque divinam promoveat: Qui enim putant, *pietatem*

seu

ſeu religionem, ejusque negotium, *eſſe quæſtum* h. e. rationem faciendi quæſtum, imprudentiſſimi ſunt mortalium, & *incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt in exitium & perniciem*, ceu loquitur apoſtolus Paulus 1. ad Tim. 6, 5. 9. ſubjungens denique graviſſimam hanc adhortationem: *Tu vero, o homo Dei*, (eccleſiæ miniſter) *fuge iſta*. Quenſt. l. c. pag. 229. Præterea exemplo ſuo ad omne pietatis genus aliis prælucet, *& per omnia ſe ipſum præbet typum* ſeu exemplar *bonorum operum*, uti Cretenſium epiſcopo, Tito præcipit divus Paulus in ep. c. 2, 7. Cæterum curat, ut doctrinæ omnes, quæ in eccleſia proponuntur, pertineant ad ædificationem illam, quæ eſt in fide, faciantq; ad imprimendam hominibus charitatem ex puro corde & conſcientia bona, & fide non ſimulata: utque doctrinæ ab his diverſæ, ſive fabulæ inutiles, ſive ſententiæ pernicioſæ, omittantur: item quæſtiones inutiles, ac λογομαχίαι, ex quibus contentiones oriri ſolent: hæreſes imprimis ut extirpentur, aut, ſi quæ oriantur de novo, in ipſa, quod ajunt, herba ſupprimantur; hæretici vero homines, poſt unam atque alteram admonitionem, vitentur. Joh. Gerh. L. de Min. eccl. §. 372.

Et ut mores fidelium, doctrinæ ipſis propoſitæ ſint conformes, non modo in genere omnes adhortatur, ſed pro re nata certum etiam hominum genus, vel in ſpecie ſingulos. Nimirum ſi videt, eſſe aliquos in officio faciendo ſegniores, aut adhuc infirmos, vel etiam eſſe quippiam magis arduum his vel illis ſuſcipiendum, a quo facile poſſent abſterreri, tunc imprimis eos excitat atque inſtigat; immo & ſponte currentibus calcaria addit. In ipſa autem adhortatione decentem præ ſe fert gravitatem, ita ut ex verborum & vultus gravitate appareat, ipſum rem ſeriam tractare, adeoque admonitionem minime contemnendam eſſe, ceu procul dubio fecit Titus, ita informatus a Paulo in ep. ad ipſum c. 2, 15. Orationem

onem & suæ, & illius, cum quo agit, personæ accommodat, ita ut cum senioribus, si ipse sit junior, agat, tanquam cum patribus, cum junioribus, tanquam cum fratribus; si vero senior, cum senioribus, tanquam frater, cum junioribus, tanquam pater: eodemque modo reliquas personarum conditiones, quarum est habenda ratio, observat, ut singulis convenientem exhibeat honorem.

Eos, qui se bene gesserunt, ad similia, aut etiam majora ac præclariora facta hortatur, & laudat, sed moderate; sicuti facit Chrys. T. 1. Opp. p. 94. edit. Erasm. Imo plane non laudat, si videat, eos non tantum immoderatis, sed etiam quibusvis laudibus intumescere, &, cum se sat bonos sibi esse persuadeant, ad altiorem pietatis gradum non contendere: vel laudes miscet cum adhortationibus, monetq; ad altiora adhuc esse contendendum, & pristina facta, quantumvis præclara & eximia, nil prodesse, nisi cætera quoque illis respondeant. Quo pacto videmus agere Apostolum cum Thessalonicensibus, quos non uno loco vehementer laudat, 1. ad Thess. 1, 6. c. 2, 13. 19. & 4, 10. Quod si autem vel rumor, vel indicium sit, esse aliquos, qui facienda non fecerint, statim discernit inter rem apertam, ac dubiam. Si dubia sit, inquisitionem facit, & cognitionem ac judicium quoddam instituit, in quo vel testibus, vel aliis argumentis convincatur, qui peccasse arguitur, si rem ipse diffiteatur. Neque vero facilis credit, aut suspicionem ex levi rumore, vel unius hominis testimonio, de viro, qui credebatur pius, in animo suo patitur enasci, atque ita se gerit, ut calumniatores sentiant, ipsum non facile dictis suis præbere aures ac fidem; quin etiam eos, qui aliquid deferunt, amice monet, ne vel ipsi quidquam adversus innocentem confingant, vel aliis quippiam mali afferentibus temere fidem adhibeant. Carpz. l. c. 441. 435. Christian. Chemnit. in Brevi instruct. fut. min. eccl. p. 322. Ad judicium ipsum aut cognitionem causæ cum perventum fuerit, in eo habendo

ac ferenda ſententia triplicem imprimis vitat ſcopulum, quem Paulus Timotheo diligenter vitandum eſſe monſtrat, 1.ep.5,21.22. nempe 1. præjudicium. 2. favorem alterius partis, ſeu προσωποληψίαν, 3. temeritatem, ſeu celeritatem in judicando.

Quod ſi vero res ſit aperta & in confeſſo, aut per legitimum judicium veritas rei deprehenſa, reſtat cenſura & caſtigatio eccleſiaſtica: quæ vel verbis peragitur, ac dicitur *reprehenſio*, item *objurgatio*; vel factis, & dicitur *excommunicatio*. Arguit ergo prudens epiſcopus, & peccatorum convincit, ſeveriusque reprehendit eos, qui vel peccata ſua convicti agnoſcere nolunt, eaque defendunt, aut valde extenuant, vel alioqui contumacius ſe gerunt, atque ab iis deſiſtere recuſant. Nam qui ea ſtatim agnoſcunt, ſe ipſi accuſant ac damnant, culpam deprecantur, aliisque modis dolorem ſuum teſtantur, in eos, ne crudelis videatur, minime verbis ſævit; niſi forte delictum nimis ſit grave & ſevera animadverſione dignum. Ubi tamen ſemper videt, ne ad deſperationem deducat, qui deliquerunt, ſed conſolatione eos ut erigat, & objurgationem charitate & bonitate temperet, juxta Apoſtoli monitum 2. ad Cor. 2, 6. & ſeqq. Atque hac in re diligenter diſcernit ingenia hominum, ſicut medicus naturas ægrotorum, perpendens, alios, qui generoſioris ſunt animi, mollius tractari velle, facilique regi fræno; alios vero, qui animo ſunt magis ſervili, calcaribus indigere, & non niſi aſperitate quadam reprehenſionis & ſeveritate ad officium adigi. Interim ſeveritatem hanc, ut diximus, charitate ac bonitate temperat, eique ſemper etiam doctrinam admiſcet, ita ut non tantum fervore utatur in reprehenſione & objurgatione, ſed rationes etiam, præſertim ubi ullo res id poſtulat modo, dictorum ſuorum afferat, & jure a ſe reprehendi oſtendat, quod reprehen-

dit. Sicut iterum præcipere videtur Apostolus 2. ad Tim. 4, 2. Videatur & Paulus Voët. in Jurispr. S. p. 323. 337.

Atque alios privatim, alios coram pluribus, alios coram tota ecclesia arguit & reprehendit. Privatim eos, quorum peccata adhuc sunt occulta, aut sine dedecore ac infamia, vel alio aliquo periculo, ad plures deferri vix possent, aut qui semel tantum, vel saltem non admodum sæpe peccâsse deprehensi sunt, aut adhuc sunt infirmiores. Coram pluribus eos, quorum delictum pluribus innotuit, quique sæpius moniti privatim, perrexerunt tamen in peccando, aut priatim jam moniti delictum agnoscere & resipiscere noluerunt, denique qui auctoritate plurium forte magis moverentur, quam sermonibus unius. Coram universa ecclesia eos, quorum delicta in omnium notitiam venerunt, quive a paucioribus moniti ad frugem redire noluerunt. Quenst. l. c. pag. 430. Opus nov. cas. consc. p. 137. Nam gradus reprehensionis observare vult, sicut Christus docet faciendum tum, cum frater a fratre læsus est (ut habetur Matth. 18. Confer. Balduin. l. c. p. 170. & Voët. l. c. p. 322.) & consulere partim iis, qui deliquerunt, partim aliis, iis cumprimis, qui sunt in ecclesia, ac per eos gloriæ divinæ: illis quidem, ut sanentur, his vero, ne peccantium exemplo corrumpantur, & ut scandala e christiano tollantur cœtu, nomenque Domini, ac Dei sermo ne blasphementur. Ubi tamen charitatem inter & prudentiam quasi medius sedens antistes, earumque consilia petens, diligente trutina pensitat, utrum alieno pudori consulendum magis sit, an vero alienæ ædificationi. Cæterum, antequam hi gradus adhibeantur, neminem delinquentium pro concione nominatim perstringit, aut ita depingit, ut quivis eum possit noscere, cum, qui ita tanguntur, exasperari soleant. Balduin. l. c. p. 171. Neque etiam eorum, quos taxat, gestus & vocem repræsentat, ne ex schola mimorum prodiisse videatur. Carpz.

Jurispr.

Jur. consist. p. 833. Quenst. l. c. 462. 470. Abstinet porro a carpendis sive vicinis sive exteris Principibus, & probrosis eorum appellationibus, injuriasque ab ipsis factas, Magistratibus aliis, atque imprimis Deo, vindicandas relinquit. Sui vero Magistratus injustitiam publicam, aliave ejus vitia notoria, si * publice taxat, (neque enim Magnatum axillis pulvinos supponere, iisque in peccatis adblandiri decet) modeste id facit, & sine clamoribus tribunitiis, ne subditi ad seditionem excitentur, & reverentiæ atque obsequio debito quid decedat, sciens, pios ac prudentes ministros debere esse præcones conversionis, non tubas seditionis. Dannh. in Theol. consc. Tom. I. p. 1130. Raupp. in Bibl. portat. pract. p. 837. Carpz. l. c. p. 82. Voët. l. c. p. 321. 337.

Ad excommunicationem, etiam minorem, quæ est suspensio peccantium a confessione & S. Cœna, non temere, nec propria auctoritate descendit, sed Senatus ecclesiastici, aut certe antistitis vel superintendentis sui consensum implorat, atque expectat. Chemn. l. c. p. 322. Multo minus autem quavis de causa prosilit ad arripiendum & vibrandum fulmen majoris excommunicationis, quæ est exclusio a consortio & commercio fidelium, sciens, eam, ut summum & maxime formidabile ecclesiæ judicium, ita non facile, nec sine Consistorii vel Magistratus civilis, jure episcopali gaudentis, consensu, suscipiendam esse. J. Gerh. L. de Minist. eccles. §. 194. Cæterum ad omnia hæc reprehensionis officia, patientia tanquam lorica se munit, ut morositates auditorum, qui ab ipso taxantur, quin & hominum malorum & contantumacium odia, convicia, calumnias, aliaque injuriarum genera ferre possit; ad exemplum Athanasii, Basilii magni, Ambrosii, Jo. Chrysostomi, Hieronymi, & Augustini, de quibus vid. Spizel. in Vet. Acad. J. Christi: cum

 fieri

* Privatim potius hoc vult fieri J. Frid. Böckelm. in disp. Inaug. p. 19.

fieri aliter non possit, quin eorum offensionem incurrat, & crabrones (quod ajunt) irritet, quorum quis vitia, tanquam ulcera, tangit, & exscindere laborat. Quod reliquas regiminis ecclesiastici partes spectat, in eam curam incumbit, ut omnia in ecclesia fiant decore & secundum ordinem, utque confusio, quam DEus odit, evitetur. 1. ad Cor. 14, ult. Ubique etiam ea agit, quæ apud ecclesiam, cujus ipse est minister, consueta & recepta sunt, nec nova introducere conatur, etsi utiliora videantur, memor illius, quod scribit S. Augustinus in ep. 118. ad Januarium: *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, & consequenter noxia est. c. 5.* Et rursus: *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit. c. 2.* In precibus pro ecclesia fundendis diligenter considerat, quare vel universæ ecclesiæ, vel certis ejus membris sit opus, eaque perspecta ita concipit preces, (si quidem potestatem eas concipiendi habet) ut imprimis id a Deo flagitetur, quo vel universi, vel singuli, tantopere indigent. Denique ingruente persecutione, & proposito vitæ periculo, non nisi circumspecte vel fugit, vel subsistit. Subsistit, si videat, absentia sua periclitaturam salutem vel totius ecclesiæ, vel aliquorum ejus membrorum. Voët. p. 314. Fugit autem, si id metuendum non sit, & ii, qui ecclesiæ imminent, pastoris vitæ insidentur, vel nullo, vel exiguo saltem in præsens auditorum periculo; animumque suum non tantum spe erigit, fore, ut aliquando ad ecclesiam redeat, aut alius aliquando in suum substituatur locum, aut ipse alibi divinæ gloriæ plus prodesse queat, exemplo Athanasii, Petri, Pauli, immo ipsius Christi, qui itidem fuga sibi ecclesiæque consuluerunt. J. Gerh. L. de Min. eccl. §. 291. Quenst. l. c. p. 716.

Atque

Atque hæ ſunt artes (ut ad mentem loquar Gregorii papæ, qui part. 1. Curæ paſtoral. c. 1. ait : *Ars eſt artium, regimen animarum*) prudentis paſtoris ſeu epiſcopi in regendis aliis. Quarum præludium quaſi eſt bona domus privatæ gubernatio : Cum enim longe difficilius ſit, eccleſiam, quam domum regere, ut propterea Paulus dicat : *Si quis propriæ domui præeſſe neſcit, quomodo eccleſiam curabit ?* 1. ad Tim. 3, 5. ideo ante omnia operam dat, ne quid ſiniſtri in regimine committat domeſtico. Itaq; & uxorem (quam prudente conſilio e corona orthodoxarum & caſtarum, ſive virginum, ſive matronarum, ſibi deligit. Vedel. pag. 102. & ſeqq. Raupp. l. c. p. 860.) manſvetudine regit, ejusque mores ita moderatur, ne cuiquam ſint offendiculo; & liberos recte educat, eorumque delictis eo vel providentius obſtat, vel ſeveriorem medicinam adhibet, quo majore cum ſcandalo ſunt conjuncta; & totam familiam ita gubernat, ne ſervis, aut ancillis, aut aliis, qui pars familiæ ſunt, nimiam det licentiam, ſed ut omnes ad veram pietatem morumque honeſtatem ſeſe adplicent, atque adeo ut domus ſua, in quam omnium civium oculi intenti ſunt, & ex qua quilibet, quæ ex uſu ſuo eſſe poſſint, petere ſe poſſe arbitratur, ſit (quod Cicero in lib. 1. de Orat. de domo Jurisconſulti dixit) *totius oraculum civitatis*. Balduin. l. c. p. 286.

Continere nos non poſſumus, quin ſpecialiora miniſtri eccleſiaſtici munia evolvamus, &, quomodo in iis prudentiam, tanquam ducem, ſequatur, oſtendamus. Nimirum quod *baptiſmum* attinet, infidelium infantes, qui adhuc ſunt in poteſtate parentum, propriis ſuis gaudentium legibus, moribus, inſtitutis, ſacris, non rapit ad lavacrum regenerationis, nec ullum baptizat infantem, niſi perfecte natum, & ex utero in dias has luminis auras editum. Et circa fœtus monſtroſos cavet, ne quid monſtri committat. Enimvero ut religioni ſibi ducit, baptizare partum, qui

ſit monſtrum proprie ſic dictum, in quo vel nulla, vel tantum, quoad inferiorem corporis partem, exterior ſpecies & forma hominis appareat; ita illum, in quo eſt aliqua membri cujusdam deformitas, qua tamen ſchema hominis non plane obliteratur, ad ſacrum fontem admittere non dubitat. Cæterum a baptiſmo excludit amentes, & furioſos, invitos, dormientes, & liberos hæreticorum (qui in baptiſmi eſſentialibus errant, aut palam profitentur, operam ſe daturos, ut illa ſua progenies in hæreſi, cui addicti ſunt, educetur) niſi forte extremus detur neceſſitatis caſus & periculum vitæ certiſſimum, quippe quo omne ſubſecuturæ perverſionis diſcrimen tollitur; minime vero excludit infantes quatuor, quinque, aut ſex menſium, per abortum in lucem protruſos, vel infantes apoſtatarum, in parochia, cui præeſt, adhuc dum habitantium; neque etiam liberos excommunicatorum, & expoſititios, ſive addita ſit ſchedula, atteſtans, eos ſacro fonte eſſe ablutos, ſive non. Chemnit. Inſtruct. fut. eccl. min. p. 178. Noribergæ autem non baptizantur expoſititii, quibus teſtimonium baptiſmi jam collati appoſitum eſt. Parvulos ante baptiſmi uſum demortuos non ſtatim condemnat, vel de eorum beatitudine dubitanter loquitur; immo etiam de illis, qui a ſceleſtis ſuis matribus, ſive in utero, ſive extra uterum necati ſunt, optima quæque ſperat: &, ſi contingat, ut, parentibus baptiſmum differentibus & procraſtinantibus, fœtus aliquis absque illo moriatur, probe ad omnes circumſtantias attendit, & utrum illi infirmi in fide & perterrefacti ſint, aut ſecuri & tumidi, perpendit, ut illis videlicet evangelium, hiſce legem annunciare queat. Quodvis tempus, ſalva loci conſuetudine, baptiſmo adminiſtrando idoneum judicat; & uſum ſanctæ crucis retinet, non ſuperſtitioſum aut magicum, ſed hiſtoricum & commonefactorium; nec etiam in infantum baptiſmo, rigidum ſe præbet in clauſula illa

illa, *& quæ ipse addidit*, und er selbst darzu gethan hat/ vel retinenda, vel omittenda: quum neutrum eorum suis destituatur rationibus. De susceptorum numero non movet otiosas controversias, sciens, eum pro consuetudine locorum variare. Interim ad id officii neutiquam admittit puellas aut puerulos, nullam christianæ fidei cognitionem habentes; nec homines diversæ religionis, nostram contemnentes, irridentes & insectantes; nec adulteros, homicidas, dissolutos, aut infamia notatos, qui quidem sint notorie tales; suis quoque interdicit, ne susceptorum munere apud heterodoxos fungantur, si periculum sit, ne vel cum adversariis colludere, vel infirmorum fidem in hoc casu subvertere videantur. Exorcismum adhibere nullus veretur, tanquam adumbrationem & testimonium spiritualis captivitatis, & exhibiti Messiæ, præstitique operis redemtionis, cujus spolia per verbum & sacramenta distribuuntur; ut & efficaciæ divinæ, baptismi propriæ; nec non præcipui finis ministerii, qui est, pugnare contra satanam; eundemque judicat esse confessionem ecclesiæ publicam de peccato originali, contra Pelagianos, Anabaptistas, & alios, cum eis facientes; nitique testimoniis primitivæ, ac praxi ecclesiæ Græcæ: quamvis non sit de baptismi essentia, nec corporalem quandam notet obsessionem. In baptismo necessitatis, ecclesiasticam constitutionem accurate sequitur, & juxta eam baptismum, a laico vel fœmina collatum, quam diligentissime examinat. Parentes, ut curam liberorum suorum habeant, eosque, quo in catechismo & christianis virtutibus informentur, ad scholas mittant, graviter sæpiusque admonet; & de usu ac fructu baptismi salutariter atque ad ædificationem dicere allaborat, ostendens nimirum, eum esse eucharisticum, præmunitorium, consolatorium, & admonitorium.

Con-

Confessiones peccatorum auditurus, discrimen ponere novit inter illam, quæ DEO fit, & eam, quæ ministro ecclesiæ; & quamvis hanc, auricularem dictam, non juris divini, sed ecclesiastici, nec propter divinum, sed humanum institutum, necessariam pronunciet, tamen retinet, confessionis & absolutionis causa. Jamque in loco confessionis considens, cogitat, eum non esse sui ipsius, sed DEI, cujus vices ipse ibidem obeat: sibique a DEO summos & maximos thesauros, cum quibus ne universus quidem mundus comparandus sit, creditos, ideoque in iis dispensandis omnem fidem a se adhibendam esse. Eum in finem non indiscriminatim omnes admittit, sed pœnitentes, in catechismo informatos, quantumvis simpliciores sint, nec tam exacte omnia calleant, reconciliatos, homines ejusdem fidei & confessionis, & litigantes in judicio, si testentur, se in conscientia sua certos esse, quod defendant bonam causam, legitimisque utantur mediis, neque ex odio cum adversario litigent, & causæ decisionem juri velint committere. Neque improbat factum, si laicus in extrema necessitate proximo petenti anunciaverit remissionem peccatorum. Absolutionis materiam constituit legem & evangelium: formam vero ejus non facit conditionalem, sed categoricam, sive causalem, ratiocinativam, & illativam. Si quis aut ex rumore, aut ex aliis circumstantiis suspectus sit de enormi aliquo peccato vel flagitio, amice id ipsi indicat, & conscientiam hominis explorat, ne forte indignum admittat ad sacram confessionem. Sed si negat ille factum pernegatque, licet iterato, & quidem humanissime admonitus, in negatione illa acquiescit, nec urget specialem criminis confessionem, generali peccatorum confessione contentus. Si autem in ecclesiam inopinato venerit talis homo, confessionem editurus, mavult eum postea privatim, quam illico, admonere, ne quis dicta audiat,

diat, & confitens, si innocens sit, ad justam indignationem commoveatur. De potestate remittendi peccata, quæ a Christo collata est ministris ecclesiæ, sobrie sentit & prædicat, scilicet absolutionem eorum non esse nudam & tantum externam declarationem ejus, quod pœnitentes jam ante habeant, sed medium & organum, per quod pœnitenti vere conferatur & applicetur gratia & remissio peccatorum, ita ut confessionarius, tanquam causa ministerialis ac instrumentalis, sese heic habeat effective, & vere per absolutionem pœnitenti remittat. Et cum correptor debeat esse, non proditor criminum, ea, quæ sibi credita sunt, alto premit silentio, etiam tum, cum confitens iste propalandi licentiam dedit, & cum delicta adhuc sunt in molimine, aliorumque perniciem spectant: Consultius quippe ei videtur, tales machinationes meditantem serio dehortari, & periclitantem proximum, ut sibi caveat, admonere. Quamvis casus hic non facile detur, nisi ubi omnium & singulorum peccatorum accurata enumeratio exigitur. Ab invitis non exigit munus per subtractionem spiritualium, ne ea vendere, & execrandam simoniam exercere jure meritoque proclametur: neque tamen etiam fastuose repudiat, si quid a grato confitente, ex consuetudine illius ecclesiæ, & fortassis in partem salarii, vel detur, vel domum mittatur. Nefas quoque existimat, collegæ sui, vel alterius ministri confitentes turpis lucri causa aucupari: iisve, quibus cum suo confessionario simultas intercessit, aut qui ex iracundia juraverint, se nunquam amplius absolutionem a suo confessionario petituros, aditum concedere.

Ad crebrum *S. cœnæ* usum hortatur quidem, non tamen certum ac definitum temporis intervallum cunctis, nullo habito discrimine, præscribit: nec, nisi in casu necessitatis, & sub certis circumstantiis, sacra sibimet ipse porrigit symbola, præsertim si in ecclesia sua mos ille communicandi

U se

ſe ipſum non invaluerit. Promte ad S. menſam admittit chriſtianos, & qui ſe probare poſſunt, ſurdos etiam, ac mutos, ſi evidentibus ſignis indicârint, quod ſe peccatores, Chriſtum vero ſervatorem ſuum agnoſcant, totoque corde tremendum hoc epulum appetant; eos, qui peregrinæ ſunt linguæ, dummodo per interpretem & confeſſionem edant, & abſolutionem accipiant; item peregrinos, qui vel ſunt exules, vel errantes, vel iter facientes, vel tales, quos paſtor, a Conſiſtorio reus inventus, ex odio aut vindicta nolit abſolvere: arcet autem puellulos & infantes, non confeſſos, hæreticos, peccatores notorios, excommunicatos, obſeſſos, dementes & furioſos. Simpliciter abſtemios jubet potius acquieſcere in ſpirituali corporis & ſanguinis Chriſti participatione, quam ut, contra Domini inſtitutionem, ſacram cœnam ſub una iis adminiſtret. Pœnitentes, pioſq; agonizantes, qui vel voce, vel ſaltem geſtibus deſiderium ſuum indicant, viatico hoc, quo diabolis terribiles efficiuntur, ſine mora inſtruit. Hoſtiam, ſive totam, ſive ejus particulam, ſi agonizans prius, quam deglutiret, animam exſpiraverit, in ore mavult relinquere, idque reverenter claudere, quam exinde deſumere, & vel comedere, vel comburere. Tempore peſtis monet auditores ſuos, ut mature, & dum ſani ſunt, ad S. euchariſtiam accedant: eosque erudit, in tali neceſſitatis caſu, ubi per vitam paſtoris conſulendum reſiduo gregi, ſufficere ſpiritualem communicationem, juxta illud Auguſtini: *Crede, & manducaſti*. Si tamen aliquis S. euchariſtiam vehementer deſideret & expetat, minime denegat eam, non quidem ut conſecrata elementa per alium transmittat, ſed ipſe ad ægrotum ſe confert, eumq; in ſolem apricum deportari jubet, aut in ejus conclave, Deo fretus, introit, atque agenda peragit. Loco panis & vini non ſubſtituit alia elementa, etiamſi incolæ iis pro pane & vino utantur. Reliquias ſacramenti vel dat ali-

quibus

quibus communicantibus, vel ipſe, ſi communicaverit, ſumit, vel ultimo porrigit communicanti, aut (quod convenientiſſimum) ita rem inſtituit, ne quid ſuperſit. Si autem calices non ſufficiant numero communicantium, ſatius ducit, infuſionem & conſecrationem repetere, quam cantharo benedicere; niſi paucitas miniſtrantium ad altare, cum magnus eſt communicantium numerus, aliud jubeat. In tradendis ſacris ſymbolis ſolertiam adhibet; ſi tamen hoſtia ceciderit in terram, reverenter eam attollit. Pari reverentia, ſi una vel plures vini conſecrati guttulæ fuerint effuſæ, ipſas extergit linteo. Rurſus ſi muſca, aut quid aliud, in calicem delapſum ſit, cochleari aut cultro inde removet: ſique inter conſecrandum, deliquium animi patiatur collega, ipſe conſecrationem non denuo orditur, ſed inchoatam continuat. Veſtes ſacerdotales, vaſa pretioſiora, altaria, & imagines divorum in altaribus, habet, uti re vera ſunt, pro adiaphoris. Nemini, qui non valet jejunare, S. cœnæ uſum adimit vel interdicit: nec, niſi infirmis aut ægrotis eam in privatis ædibus adminiſtrat. Denique religioſiſſime cavet, ne cuiquam mortalium Φρικωδέστατον hoc μυστήριον exhibeat ad firmanda fœdera, ad probandam innocentiam, vel ad ſuſcipiendum duellum.

Deſponſatas perſonas, ſi nimis diu differant conſummationem conjugii ſeu *copulationem*, monet, &, ſi non obediant, compellit: Immo & invitos, ſi nolint conſummare, ad mandatum Conſiſtorii vel Superiorum copulat. Præmittit autem ordinarie, & niſi Conſiſtorium vel Superiores diſpenſent, trinam, aut certe binam proclamationem. Nec proclamat vel copulat perſonas, quæ copulari non poſſunt, quales ſunt nimia propinquitate juncti, coacti ad ſponſalia, & peregrini, qui nullo inſtructi ſunt teſtimonio, quod aut ſint ſoluti, aut nullos parentes habeant, aut impetraverint eorum conſenſum, aut noſtræ ſint religioni addicti. Benedi-

ctionem sacerdotalem sæpius debito cum honore commendat, docens, eam, licet non sit de essentia matrimonii in se spectati, esse tamen de essentia illius respective considerati, si nempe consideretur, prout hodie juxta constitutiones ecclesiæ & Magistratûs, in verbo Dei & bono ordine fundatas, inter christianos obtinet. Hinc eos, qui ante benedictionem sacerdotalem copula carnali consuescunt, graviter reprehendit, & commixtione illa ecclesiasticam pariter ac civilem legem violari, conjugii dignitatem labefactari, & insigne aliis scandalum præberi ostendit. Sponsam, de qua rumor est, esse imprægnatam aut cognitam, ad se vocat, & Dei loco interrogat, num res ita se habeat? ac, si negaverit satis monita, proclamat: aut rem totam ad Consistorium refert, sive ad Magistratum. Nec dubitat in ædibus privatis copulare, si Consistorium vel Magistratus concesserit. Adventûs autem & quadragesimali tempore, quod piis meditationibus consecrandum est, ob omni abstinet copulatione, nisi certis de causis Magistratus dispenset.

Ut dextras *consolationes* adhibeat, ante omnia inquirit in speciem calamitatis seu crucis, qua consolandus affligitur: item in causam & conditionem ejus. Sunt vero calamitates vel communes, quæ ultro comitantur christianos, & eos, qui pie vivere volunt in Christo JEsu, vel propriæ, quas homo sua sibi culpa attrahit. Et vel attingunt animum, vel corpus, vel famam, vel bona externa. Cautus vero est ecclesiastes in assignandis calamitatum causis, ne forte erret cum Jobi amicis, & cum Christi discipulis. Job. 4, 8. 11. Joh. 9, 2. Respicit ad conditionem ejus, qui affligitur, eumque, si pœnitens est: solatur, si vero sive palam sive occulte impœnitens, ei primum ex lege incutit terrorem, postea vero, si resipiscat, poculum solatii porrigit. In consolando, certa methodo utitur, ut vel afflicti animum avocet a malorum, quæ patitur, consideratione, & e contrario deducat ad meditatio-

ditationem bonorum, quibus recreetur; qualia ſunt in ipſo afflicto, in Deo, in fine calamitatum, quem DEus intendit, & in modo interiore ferendi mala: vel mentem patientis ex verbo Dei de cauſſa efficiente & finali omnium calamitatum erudit, & voluntatem ad patienter portandam crucem, commemoratione voluntatis divinæ, promiſſionumq; & exemplorum, flectit, atque ad aſſiduam orationem excitat. *Tentatos ſenſu peccatorum* jubet adſpicere ea non in ſuis ipſorum perſonis, ſed prout a Deo in Chriſtum ſunt conjecta, adeoque ſtatuere ſecum, ea non amplius eſſe ipſorum propria, ſed aliena, nempe Chriſti. ὀλιγοπίστοις ſeu *laborantibus ſenſu fidei* oſtendit, præſentiam fidei inſeparabiliter dependere a verbo & ſacramentis, adeoque illi, qui verbum habet in corde, & utitur ſacramentis, de fide non eſſe dubitandum. Non tamen negative, ex motibus fidei, de præſentia fidei judicat, cum alii eorum ſint inſeparabiles, e. g. lucta cum carne, deſiderium gratiæ, ejusque augmenti, juſtificatio, renovatio &c. alii ſeparabiles, uti firmitas fiduciæ, ſumma cordis lætitia, hilaris gratiarum actio, intenſus amor erga DEum, tripudium de devictis hoſtibus, &c. & illi in tentationibus adeo languidi fieri poſſint, & quaſi obtenebrari ſupprimique, ut fere non ſentiantur, aut homo exiſtimet, ſe eos in ſe plane non habere; hi vero non ſolum langueſcere poſſint, ſed etiam plane abeſſe, utpote dona, quæ Spiritus S. diſtribuit, ſicuti vult, & quando vult. *Dubitantes de ſui electione ſeu prædeſtinatione* remittit ad conſiderandam univerſalem & Dei dilectionem, & Chriſti ſatisfactionem, & Spiritus ſancti vocationem, eosque certos eſſe jubet, nullum hominem, qui gratioſæ huic divini numinis ordinationi humiliter ſe ſubjicit, & ex fide in Chriſtum, gratiam Dei & vitam æternam ſerio expetit, e fonte ſalutis JESU, ejusque merito aquam ſolatii haurit, & pietati, quantum fert imbecillitas humana, omnem navat ope-

ram, atque in fide & pietate usque ad ultimum vitæ halitum perseverare cupit, denique etiam deprehendit, se per multifariam passionem, crucem & calamitates imagini Filii DEI conformatum esse, de sui ad vitam æternam electione debere ambigere. Illis, *quibus tædium est vitæ*, atque adeo pronus ad αὐτοχειρίαν affectus, commonstrat, tales cogitationes inspiratas esse a diabolo, qui nos DEO vult reddere inobedientes. Itaque contemnendum esse perversum illum doctorem & suasorem insulsissimum, ac voluntatem nostram in summa humilitate divinæ voluntati submittendam; atque ita demum beatam ἀνάλυσιν devotis precibus petendam, piaque spe exspectandam. *Gravidas & parturientes*, quæ ob varias molestias & dolores partûs acutissimos nimium tristantur, solatur ex hisce fundamentis; vivere eas in statu non modo antiquissimo, sed & maxime necessario, & tam ad hanc, quam ad futuram vitam, utilissimo, atque adeo præclarissimo & divino: unde ipsas in Domino animum oportere sumere, & auxilium omnipotentis, qui ex utero educit infantulos, certissime sibi polliceri, idque patienter expectare, & denique nihil eorum intermittere, quæ ad fœtum excludendum ab ipsis requiruntur: aut si vel maxime moriendum sit, in vel post partum, dulce tamen & solatii plenum esse id, quod scribit Apostolus 1. ad Tim. 2, 15. Licet prima mulier a diabolo seduci se passa sit, atque adeo caussa transgressionis fuerit; *servari tamen* quamvis *mulierem liberos gignendo*, tanquam in divina sua vocatione, *si permanserit in fide* in Christum, *ac charitate* erga DEum ac proximum, *& sanctificatione* seu vita pia, *cum modestia* in gestibus & conversatione. Et sicut omni tempore apud quosvis, qui ejus curæ fideique sunt commissi, ita potissimum apud *ægrotos & moribundos* officium suum facit docendo, monendo, consolando, ne diabolus oviculam

ſibi eripiat. Cumq; ægrotantes valde ſint diſſimiles, & alii eorum ſecuri, alii pii; ad illos quidem etiam non vocatus ſe confert, ſuamq; συμπάθειαν & officii rationem, quæ in procuratione ſalutis animæ conſiſtit, exponit, omnemq; lapidem movet, ut eos ad ſeriam pœnitentiam perducat: ad hos vero vocatus ſi acceſſit, ne illotis, quod ajunt, manibus negotium ſuscipiat, colloquii initium facit a providentia divina; dehinc progreditur ad cauſſas morborum generales & ſpeciales recenſendas. Ubi quidem, ut liberius cum moribundo agere poſſit, præſentes alios, ut pauliſper diſcedant, blande rogat. Quo facto, oſtendit verum eorum remedium, puta pœnitentiam. Quam ſi præ ſe ferat clinicus, ſeque ad confeſſionem edendam paratum eſſe affirmet, ipſe ſimiliter promtus eſt & obvius ad illam audiendam. Ante tamen interrogat hominem, num quem ſcrupulum habeat in corde, & an vacuus ſit ab odio & ſimultate? ne quid forte ei obſtet, quo minus digne poſſit accipere ſacrum viaticum, & in vitam æternam ingredi. Tum eum ex verbo evangelii, paſſione Chriſti, & ſacramentis certum reddit de remiſſione peccatorum, & ex ſacris paginis evolvit, quid piis ſit mors, & quantum utilitatis afferat. Utque impatientiam ægroti ſive corrigat ſive præveniat, de variis cum dictis, tum exemplis Scripturæ ſibi proſpicit: ſed tamen modum eorum habet, apud moribundos cumprimis, qui ejusmodi dictis & exemplis non obruendi ſunt, ſed erigendi, & confirmandi. Sique periculum vitæ immineat, & ſacra euchariſtia adhuc ſit præbenda, adhortationem quidem, alias recitari ſolitam, temporis lucrandi cauſſa omittit, minime vero orationem Dominicam, & verba inſtitutionis. Cum *facinoroſis captivis* eo agit circumſpectius, quo difficilius apud eos, quam alios moribundos, redditur negotium. Nimirum videt, ne vel in exceſſu peccet, vel in defectu. Cumque ſit eccleſiæ, non juſtitiæ mi-

niſter,

nister, cui animarum salus, non pœna corporis commissa est, nullo modo induci se patitur, ut captivo sententiam a judice latam publicet: ipse autem, post sententiæ, sive generalem, sive specialem, ab alio factam denunciationem, ubi ad candidatum supplicii accessit, statim & quidem accurate observat ejus gestus, sermonem, & actiones, ut inde cognoscat, ad quod genus hominum ille referendus sit, & quibus ei modis occurendum. Alii enim factum negant, & omne id, quod antea confessi sunt, recantant. Cum quibus non est multum disputandum, sed potius dicendum, ipsos esse in loco justitiæ, & formatum jam debito modo processum judicialem. Itaque eis non fieri injuriam: neque per negationem vitam suam servaturos, aut DEum, τὸν καρδιογνώστην, propriamve conscientiam reclamantem decepturos: debere potius curare animæ suæ salutem, sibique omnino persuadere, scelus illud, quod negant coram DEO, a DEO non remissum, adeoque corpus & animam damnatum iri. Alii factum extenuant, nec tantam pœnam commeruisse sibi videntur. Quibus contrarium ex lege divina in specie ostendendum, quantum scilicet supremus Legislator hoc ipsum facinus abominetur, & vindicandum jusserit. Recte igitur observari a Magistratu christiano divinum mandatum; aut eo diligentius a delicto illo abstinendum fuisse, quo graviorem ex lege humana pœnam constitutam esse constabat. Alii ἀναίσθητοι sunt, vel adeo protervi, ut neque flagitium curent, neque supplicium. Unde atrocitas facti iis repræsentanda est ad oculum, & igniculi conscientiæ excitandi, pœnæque æternæ gravitas, quæ tales impœnitentes certo certius manet, omnibus modis exaggeranda. Denique alii culpam suam agnoscunt, & supplicium metuunt. Qui ita docendi: Dolendum ipsis potius esse de offensa Dei, quam incurrerint, ac de pœna corporis adhuc sustinenda; adeoque vera fide & pœni-

pœnitentia ad Dei misericordiam confugiendum: certos debere eos esse de remissione peccatorum ex verbo evangelii, baptismo, & danda ipsis S. cœna: supplicium hoc esse temporale tantum & quasi momentaneum, cum contra si in peccatis sine agnitione mortui fuissent, pœnas subiissent æternas. Itaque nihil ipsis nocere posse momentaneum istud supplicium, sed DEUM illud conversurum in transitum ad regnum cœlorum, sicut latro ille, in cruce conversus, eopse die ad Christum pervenit in paradisum. Luc. 23, 43. Vid. passim Pastorale Lutheri, Consil. Theol. apud Dedek. Paulus Tarnovius de SS. Ministerio, J. Gerh. in LL. Theol. Balduin. Kesl. König. & Dannh. in Cas. Consc. Carpzov. in Jurispr. Consist. Sal. Glass. in Germ. tract. de Tentationibus spiritual. qui subjunctus est Tom. IV. Postill. Dictor. Prophet. & Christian. Chemnit. in Instruct. fut. min. eccl.

Candidatos ministerii non *examinat* in quæstiunculis grammaticis tricisve scholasticis, ut ingenium ostentet suum, sed e Scriptura S. tanquam principio οἰκείῳ, & in iis rebus, quæ proprie spectant, ad scientiam & praxin theologicam, ut candidati cognoscant, ea, quæ necessaria sunt, exigi, non ἀλλότρια, seque vocatos esse ad colloquium, non ut exagitentur, sed ut examinentur, non ut explodantur, sed ut explorentur. Quem in finem maximi meritissimique viri, Phil. Melanchthon, & Urb. Regius libellos examinis ordinandorum scripserunt, nobisque reliquerunt: quorum ille in omnium versatur manibus, hic vero extat in T. 2. Opp. Lat. p. 46. Quod si vocetur ad *obsessum*, non tantum medicum judicium prius explorat, sed etiam ipse ad instar prudentis Medici, primo omnium semioticam tractat, & in vera obsessionis signa inquirit, qualia sunt proditio & nominatio eorum, qui paroxysmo hominis,

omni rerum sensu destituti, forte ac repente interveniunt; linguarum, quas nulla disciplina hauserat, expeditus usus; rerum ignotarum præsagia; corporis robur ὑπερανθρώπινον· tumòr ventris & thoracis immodicus, cum internis convulsionibus, & ferreo nervorum rigore, intensioneque, & sic quidem, ut nulla arte in tantum extendi posset humana cutis. Scrutatur quoque indicium, quo corporalis obsessio a spirituali potest dignosci, quod maxime est lucta, cum obsessus molitionibus satanæ ac tentationibus ad peccandum, v. g. ad concubitum horrendum, ad αὐτοχειρίαν, ad homicidium &c. omni studio resistit, præsentem desputat, gladio scutoque spirituali se tuetur, ac ideo se dirius cruciari experitur. Tum ad therapeuticam accedit, non magicis utens artibus, sed, juxta formulam a Christo præscriptam Matth. 17, 21. precatione & jejunio, & eventum Deo committens. Brochm. in System. Theol. Tom. 1. p. 269. Dannh. T. 2. Theol. Consc. p. 447. Eadem media adhibet in fugandis *spectris*, &, si vel maxime signum crucis jungat, ac adjurationem; tamen in exteriore illo signo non hæret, sed cor ad Christum, qui in cruce quondam pependit, religiose attollit; nec adjuratio ei aliud quid est, quam πληροφορίας obtestatio, qua jubet, ut diabolus incolis, sanguine Filii Dei redemtis, molestus esse desinat, si quidem Deo ita placuerit: sin; fas esse docet, divinæ morem gerere voluntati, & exercitium spectrorum patienter sustinere. Brochm. l. c. p. 260.

Videamus ad ultimum, quî in conversatione se gerat prudens ecclesiæ minister. Fit autem illa vel cum aliis *quibuscunque hominibus*, vel cum *adversariis*, vel cum *auditoribus*. Quod ad primum attinet, magnum ante omnia habet personarum delectum, & diligenter circumspicit, cui se concredere, quem contra fugere ac cavere debeat, ne

forte

forte in periculum ſe temere conjiciat, & ab eo, quem amicum credit, circumveniatur, & prodatur. Id quod Chriſtus ſuo etiam exemplo docuit: Cum enim multi in ipſius nomen credidiſſent, miraculis ejus perſpectis, *ipſe tamen ſe illis non credidit*, *propterea quod illos nôſſet*, ſcilicet ita eſſe comparatos, ut non difficulter ad ipſum prodendum perdendumque poſſent induci. Joh. II, 23. 24. Hinc etiam cavet, ne multos habeat amicos intimæ admiſſionis, quibus omnia ſecreta animi ſui pateant, nullum conſilium clauſum ſecretumque ſit; ſecutus hac in parte præclara monita Sirac. c. VI, 6-13. Deinde quibuscunque pauperibus benefacere ſtudet, maxime vero eos, qui propter fidem Chriſti exilium patiuntur, ſi non hoſpitio, attamen ſubſidio juvat pro viribus ſuis; non modo ut præcepto Paulino 1. ad Tim. III, 2. morem gerat, & præclara ſanctorum patrum, Cypriani, Baſilii M. Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Gregorii M. & Johannis eleemoſynarii exempla (de quibus Spizel. in Vet. Acad. J. Chriſti) imitetur, ſed etiam, ut ſuo exemplo fidelibus ad miſericordiam & liberalitatem præeat.

Cum *adverſariis* collocuturus, eos imprimis deligit, apud quos veriſimile eſt, ſe haud fruſtra operam poſiturum: illos e contra fugit, quos ad eam recipiendam, præſertim ob morum feritatem vel turpitudinem, ineptos videt: idque eum in finem, ne & operam perdat, & veritatem ſanctiſſimam contemtui, ſe ipſum vero temere periculo objiciat. Matth. VII, 6. & c. X, 11. Cumque adverſarii non ſemper patulas de rebus divinis loquenti aures præbeant, plurimumque in temporis opportunitate ſit ſitum, ideo eam diligenter obſervat & captat, atque (ut Apoſtolus jubet ad Eph. V, 16. & ad Col. IV, 5.) ἐξαγοράζεται i. e. *redimit*. Probe etiam perpendit, quid vel quo pacto dicat,

h. e. ut honesta utiliaque seu ad aedificationem alterius pertinentia dicat, & simul ad personam & captum aliorum, nec non ad locum & tempus accommodate. Quale praeceptum extat ad Col., IV 6. Itaque id spectat, ut ea, quae illis, quibuscum sermonem instituit, maxime sunt necessaria, proponat; sed si id consequi non statim possit, & periculum sit, ne eos a colloquiis suis absterreat, id, quod proximum est, in medium affert, atque inde incipit dicere, unde alii facilius discant. Quare non facile in primo statim congressu, nisi forte ab ipsis adversariis provocatus, in illa involat dogmata, quae apud eos sunt sacrosancta, sed per gradus quosdam eo ascendit: λογομαχίας item, & contentiones de rebus non magni momenti vitat, & ab omni verborum asperitate, ceu Dionysius Areopagita cum Apollophane disputans, (de quo Spizel. in vet. Acad. J. Christi p. 17.) ita abstinet, ut nec in personas, nec etiam in ipsam rem atque sententiam, quam illi propugnant, & tantum non adorant, acerbius quippiam dicat: scilicet ne dogma ipsum, protinus *impium*, *monstrosum*, *portentosum*, aut etiam *ridiculum*, *ineptum*, *stultum* appellet aut proclamet: Novit enim, haec irritare adversarium facile posse, & vel a colloquio penitus abstrahere, vel omnem ejus fructum impedire. Raupp. l. c. p. 845. Itaque etiam cum absurda, ex sententia τοῦ ἀντιλέγοντος, ostendit, caute agit, nec nisi per pronam & apertam consequentiam, quam ipsi considerandam proponit, ea deducit. Immo etiam saepe, omissa absurdorum ostensione, satius ei videtur, *categorice*, ut in scholis loquimur, seu directe testimoniis Scripturae, aut rationibus, opinionem adversarii impetere; eo habito respectu, ut aliter cum doctis agat, aliter cum indoctis, atque adeo cum philosophis philosophetur, cum balbis balbutiat. J. Ern. Gerh. de Modo propag. relig. vere antiquo, concl. XV.
Quan-

Quanquam ea argumenta habet pro optimis, maximeque quærit ac proponit, quæ utrique hominum generi conveniunt, & clarissima sunt pariter, ac brevissima; præsertim quando simul docti & indocti adsunt auditores. Quenst. l. c. p. 395. Sed & hoc observat, quantum caussa ipsa permittit, ne pertinax aut contentiosus videatur. Itaque quod largiri aut prætermittere se posse absque veritatis & piæ caussæ defensionis jactura cernit, id relinquit; contentus nonnunquam illud leviter indicâsse, quo æquitatem suam & facilitatem ὁ ἐκ τῶν ἐναντίων videat. Modestos, qui convicti, aut progredi disputando amplius non valentes tacent, etiamsi verum fateri nolint, non ita urget, ut omnino verum fateantur, (nisi forte propter reliquos auditores id prorsus videatur necessarium) sed illorum id relinquit conscientiæ, ne ipse victoriam & triumphum quærere videatur. Cum ambitiosis autem, qui gloriæ & palmæ inhiant, paulo rigidius agit, ne fortassis apud alios de se ipso triumphare audeant. Gerh. Harm. Evang. c. 158. p. 601. Quenst. l. c. p. 405. 411. Quanquam cæteroqui, si absque divinæ gloriæ detrimento fieri possit, disputationem cum ejusmodi hominibus penitus fugit, quia vix alius ejus est finis, quam rixa, & hominum auram popularem captantium irritatio, aut vana quædam jactatio.

In convictu & conversatione cum *auditoribus* suis cavet, ne se iis nimis reddat familiarem, eoque in contemtum veniat. Spizel. in Infel. Liter. p. 109. Considerat enim vix fieri posse, ut ita se usquequaque caute in familiari congressu aut colloquio aliove consessu gerat, quin ei excidat aliquid, quod reprehendi a quopiam, sive jure sive injuria, queat; & in ejusmodi congressibus sæpe res tractari ad religionem nil pertinentes, seu (ut loquimur) profanas, quibus vel plane sese inserere pastorem non decet, vel

valde parce ac moderate ei ſunt attingendæ, ne profanum aliquid ſapere videatur. Itaque imprimis fugit convivia, nec, niſi cum aliqua ratione neceſſe eſt, ad ea accedit. Quenſt. l. c. p. 295. Fugit etiam conſeſſum, ubi de Rep. aliisve ſimilibus rebus agitur: ne rebus politicis ſe immiſcere videatur. Idem p. 300. & Carpz. l. c. p. 77. Multo magis autem ſpectacula & choreas, quippe quæ paſtorali gravitati neutiquam conveniunt. Quenſt. p. 295. & Raupp. l. c. pag. 848. Amat vero ſeceſſum (quem Chriſtus quoque & fulgentiſſima eccleſiæ ſidera, Juſtinus Martyr, Cyprianus, Theophilus Antiochenus, Baſilius M. Gregorius Nazianzenus, Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, Jo. Chryſoſtomus & Bernardus Claravallenſis amârunt, verbisque & factis commendârunt, ceu in peculiari tractatu de Pio Literati Seceſſu, ut & in Literato Feliciſſ. p. 110. & ſeqq. egregie oſtendit piæ eruditionis promotor & decus ingens, Spizelius) nec crebro in publicum prodit, ratus, id ſibi eſſe agendum, ut res ſacras tum diligentiſſime tractet, tum diligentiſſime omnibus aliis tractare videatur, & ſic ſanctiſſimi hominis opinionem non fallacem ſibi conciliet. Si autem neceſſe ſit, eum conviviis intereſſe, aut alias ſive cum auditoribus, ſive cum aliis fidelibus verſari, magnam linguæ habet rationem, atque imprimis vitat jocos ac ſermones profanos, maxime vero pravas dictorum Scripturæ applicationes. Raupp. l. c. pag. 848. Cavet etiam, ne cibo aut potu largius ſe invitet, & oculos circumferat plenos adulterii, ſed operã dat potius, ut cunctis ſobrietatis continentiæq; & caſtitatis exemplum præbeat. Quenſt. l. c. p. 217. & 225. Porro in eam curam incumbit, ut præſentia ſua alios in officio contineat, a ſermonibus profanis ad ſacros revocet, & ſubinde veluti aculeos quosdam illis infigat, quibus ad pietatem ac religionem excitet, ut vel ex hujusmodi congreſſibus

gressibus appareat, quid ipse perpetuo tractet, quæ sint ejus studia, quis in DEum aut religionem animus. Denique si quid animadvertit in auditoribus reprehensione dignum, id vel statim arguit, si sit opus, & res ipsa id ferat, vel ita notat, ut alio tempore corrigat commodius. Statim autem reprehendit, si credit, fore alioquin, ut amplius peccetur, & aliud ex alio trahatur malum, vel scandalum, nisi moneat, sit secuturum; vel si veretur, ne monendi occasio in posterum ipsi desit. In commodius vero tempus reservat, aut etiam plane transmittit, quando metuendum est, ne ex reprehensione plus concitetur mali, quam ex silentio. Raupp. l. c. p. 847. Sed & in hoc genere longe plura sunt, quæ prudens ecclesiastes facit, quam dicere nos possumus.

Claudimus verbis magnorum Græcæ & Latinæ Ecclesiæ Doctorum, Jo. Chrysostomi & Gregorii M. iisque tanquam gemina gemma dissertationem præsentem obsignamus. *Eum*, inquit os aureum, *qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros, veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum & in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens, intueantur.* Homil. in 1. ad Tim. c. 3. T. 4. p. 244. Sic autem disertissimus Antistitum Romanorum: *Tantum debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tuendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium*

vitia

vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Part. II. Pastor. Curæ c. 1. De Pastorali Prudentia legi etiam potest Joh. Crocii Comment. in epist. ad Philem. p. 570. & Joh. Henr. Reizii tractatus de Prudentia Ecclesiastica, qui prodiit Heidelbergæ, A. 1692. in 8vo.

****

Ne justo major lacuna detur in hoc folio, lubet annectere tria illa disticha, quibus primarius in Ecclesia Noribergensi Antistes, amicus noster, sponte, nec a nobis aut alio quondam rogatus, ludere voluit in Dissertationem præsentem de Prudentia ecclesiastica: præcipue quum & priori editioni, Patroni cujusdam sive suasu sive jussu, accesserint.

NObilis ex scripto subolet prudentia! qualem
Prudentum soboles suppeditare potest.
O si prudentem reddant, quæ disserit Autor,
Quemvis, qui sacro fungitur officio!
Cœtibus in nostris foret actio, sermoq; cautus,
Nec perversè unquam res gererentur ibi!

CONR. FEUERLINUS.

DIS-



DISSERTATIO IV. DE RELIGIONIS OB TEMPORALE COMMODUM MUTATIONE.

*** ***

QVAESTIO.

An quis christianorum, a religione vere orthodoxa, quam ipse pro tali agnoscit, ad aliam, & quidem heterodoxam, commodi temporalis caussa, illæsa conscientia accedere possit?

CAPUT I.

Statum controversiæ proponens.



NOn quæritur (1) de cujusvis religionis homine, sed de christiano, qui sub Christi vexillo militat, & doctrinam fidemque christianam profitetur, & religioni, non quæ sic dicitur ac venditatur tantum,

tum, ſed quæ reapſe & κατ' ἀλήθειαν orthodoxa eſt, & omnia creditu & factu ad ſalutem neceſſaria continet, eſt addictus.

Nec (2) an quis agnitis ſuæ religionis erroribus, ad veram & puram religionem tranſire poſſit? hoc enim non modo licitum eſt, verum etiam neceſſarium: ſed, an, qui de veritate ſuæ religionis plane, nec per errorem perſuaſus eſt, nihilo tamen minus eam deſerere, & mutare poſſit cum illa, quam certo ſcit eſſe heterodoxam & periculoſam.

Nec (3) de honeſto ac pio mutandæ religionis ſcopo, quo quis, ſalutis impetrandæ cauſſa, veram falſæ præfert religionem, ſed de utili; nec vere, ſed apparenter utili, quum quis ſolius commodi temporalis gratia, ut nempe ſuaviorem in hoc mundo vitam, lautioremque fortunam, & vel honores, vel divitias, aut pariter honores ac divitias nanciſcatur, religionem ſuam cum alia commutat.

CAPUT II.

Reſponſionem continens.

POſito ſic ſtatu controverſiæ, reſpondemus negando, dicimusque, non poſſe ullum chriſtianum a religione, quam recte pro orthodoxa agnoſcit, ad aliam, eamque heterodoxam, commodi temporalis ergo, citra conſcientiæ ſuæ læſionem accedere.

I. Quia contra conſcientiam nihil quidquam eſt faciendum. Jam autem talis homo, uti ſupponimus, in conſcientia ſua convictus eſt, eam religionem, quam deſerit, veram, alteram vero, quam recipit, falſam eſſe. Quando igitur nihilominus ad hanc ſeſe applicat, directe agit contra conſcientiam, atque adeo elata quaſi manu peccat.

II. Quia talis homo peccat in ſpecie contra Deum, proximum, & ſe ipſum. Contra Deum; dum veram deſe-

rens

rens religionem, eundem deserit, atque fœdus in baptismo cum eo initum procaciter frangit. Inprimis autem violat præceptum ejus primum, quo prohibetur, *ne nobis sit ullus deorum alienorum ante faciem ipsius*, Exod. XX. 3. hoc est, ne amorem & fiduciam nostram collocemus in alio, quam in vero ac vivo Deo, Creatore cœli & terræ. At quid aliud facit ejusmodi vertumnus, quam ut fiduciam & amorem suum, quem collocare debebat in summo illo bono, ac largitore omnium beneficiorum, ponat in idolo commodi temporalis, atque adeo fiat idololatra? Illud enim ipsi est instar dei, sicut Paulus ait de omnibus illis, qui nihil aliud spectant, quam hujus vitæ commoda, id est, ut pace, ocio, & rebus omnibus abundantes, cum magna apud homines existimatione vivant, quod *eorum Deus sit venter.* ad Phil. III. 19. Contra proximum; dum ei turpissima inconstantia isthac scandalum præbet ad similem lapsum. Contra se ipsum denique; dum se reum facit pœnarum & temporalium, & æternarum. Ita enim docet Paulus, electum illud Christi organum; ita Christus, qui ipsa est veritas. Audiamus primo apostolum, deinde, qui ipse eum misit, Dominum. *Qui volunt ditescere*, ait Paulus, *incidunt in tentationem, & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, quæ demergunt homines in exitium & perniciem. Siquidem radix omnium malorum est amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrârunt a fide, & se ipsos undiquaque transfixerunt doloribus multis.* 1. ad Tim. VI, 9. 10. Et eundem Timotheum hortatur, ut *militet bonam militiam, retinens fidem, & bonam conscientiam*, atque subjungit: *qua* (scilicet bona conscientia) *expulsa, nonnulli naufragium fidei fecerunt.* Cap. I, 18. 19. *Ne errate, neque scortatores, neque idololatræ* (quales illos terræ filios, sive τὰς τὰ ἐπίγεια φρονοῦντας, esse demonstravimus) *neque mœchi, neque molles, neque qui concum-*

bunt cum masculis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque conviciatores, neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt. 1. ad Corinth. VI, 9. 10. *Eorum*, quorum Deus est venter, quique terrestria curant, *gloria*, quam sectantur in hoc mundo, *est ad ignominiam ipsorum, & finis*, seu merces ipsorum, *exitium.* ad Philipp. III, 19. Et Christus ait: *Qui non accipit crucem suam, ac pone me sequitur, non est me dignus. Qui invenerit* (*voluerit servare*) *animam*, seu vitam temporalem *suam, perdet eam*, reatum mortis æternæ contrahendo: *& qui perdiderit animam suam mea caussa*, & evangelii, *inveniet* seu *servabit eam*, id est, æternam vitam & salutem consequetur. *Quid enim prodest cuipiam, si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ? futurum est enim, ut filius hominis veniat cum gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique, secundum facta ipsius. Quisquis igitur agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Quisquis autem abnegaverit me*, seu *quemcunque puduerit mei ac sermonum meorum, abnegabo eum & ego coram Patre meo, qui est in cœlis*, seu *Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui, cum angelis illis sanctis*. Matth. X. & XVI. Marc. VIII. 35. 38.

III. Quia talis mutatio repugnat judicio & praxi veteris ecclesiæ christianæ. Notum est enim ex epist. I. ad Tim. I, 20. Hymenæum & Alexandrum, eo quod *naufragium fidei fecissent*, hoc est, doctrinam evangelicam, de qua tamen melius erant informati, abnegâssent (quamvis in specie dici non possit, quam ob caussam, sive quo scopo a fide christiana defecerint) ab Apostolo, magno illo Dei zelote, *satanæ traditos*, sive ex ecclesia ejectos, & excommunicatos, atque ita pro mancipiis diaboli, re-

gnique Christi extorribus, quamdiu non resipiscerent, declaratos, satanæque potestatem, eorum carnem seu corpora peculiariter affligendi, pro ea, qua pollebat Apostolus, auctoritate, datam esse. Notum quoque e Cæcilii Cypriani epist. LII. † & lib. de Lapsis, *traditores*, qui sacros codices tradiderant ethnicis, & * *libellaticos*, qui ære redemerant ab avaris Præfectis seu Præsidibus libellos, quasi sacrificâssent, *thurificatosque & sacrificatos*, qui revera idolis thus adoleverant, & sacrificaverant, sive id sponte fecissent, sive metu suppliciorum perculsi, pro *lapsis*, hoc est, magnis peccatoribus habitos, nec nisi post largam & plenam pœnitentiam in ecclesiæ gremium receptos. Jam si tales etiam homines, qui persecutionis impetu ita prostrati sunt, atque, ne durissimi judicis recrudescente sævitia jam fatigatum, jam lassum corpus, nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus

† Lib. de Lapsis.) Augustinus scriptum hoc citat sub nomine epistolæ, epist. sua 23. sed idem plura ejus scripta vocat epistolas, ut librum de Disciplina & habitu virginum, de Opere & Eleemosynis, de Mortalitate, de Patientia, qui vicissim epistolam, Pamelio 63tiam, librum vocat. Sed liber de Lapsis, non est epistola, quia salutatione & valedictione destituitur.

* *Libellaticos.*) Nonnulli sic censent dictos a libello judici porrecto, quo testarentur, se esse christianos, adeoque sibi non licere sacrificare; cui etiam adjunxerint præmium sive pecuniæ summam aliquam. Sed rectius alii sentiunt, eos dictos ab acceptis libellis. Cypr. ep. 31. *Adversus eos, qui se ipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quo non minus, quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso, quod ipsum testati fuerant, tenerentur.*

quuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, nunc gladius percuteret, nunc crux erigeret, nunc bestiæ laniarent, fidem Christi non sunt professi, eamve abnegârunt, conscientiam suam insigniter violâsse, maximumque reliquis christianis scandalum dedisse judicati sunt, qua conscientia, quæso, aliam quis amplectetur religionem, eamque heterodoxam, nullis adactus cruciamentis, nullis suppliciis, sed sola spe lautioris vitæ illectus, aut potius deceptus?

CAPUT III.

Objectiones duas proferens, ac diluens.

QVamvis vero hæc ita se habeant, & sole clariora sint, nihilo minus tamen reperias, qui, ad palliandam sententiam contrariam, unum atque alterum objiciant, & soli, quod ajunt, nebulas obducere, neutiquam vereantur. Ac primum quidem telum depromunt ex Genes. XXVIII. 20. 21. & 22. ubi apud Vulgatum sic legitur: *Vovit etiam* (Jacob) *votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, vestimentum ad induendum: reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Ita enim exinde argumentantur: Qui patriarcham Jacobum imitatur, is non facit male: Jacobus enim fuit vir sanctus, pius, & Deo inprimis charus. Jam vero qui ad aliam christianam religionem, commodi temporalis causa, transeunt, patriarcham Jacobum imitantur: nam & ille sub conditione hac, si Deus futurus esset secum, & custoditurus se in via, & daturus panem ac vesti-

vestitum, seque reducturus ad domum patris sui, promisit, se Deum culturum. Etenim expresse ait: *Si fuerit Deus mecum &c. erit mihi Dominus in Deum.* Ergo qui ad aliam christianam religionem, commodi temporalis causa, transeunt, non faciunt male, adeoque conscientiam suam minime lædunt, aut violant.

Respondemus: Quamvis propositio ita se habeat, ut non plane nihil in ea desiderari possit, tamen, novæ disputationis pelagus evitantes, & brevitati studentes, eam hac vice missam facimus. Quod vero subsumtionem attinet, ejusque probationem, varia ibi sunt ponderanda. Supponitur enim, verbis hisce, *& erit mihi Dominus in DEUM*, sive *pro DEO*, Jacobum 1. sese obligare. 2. ad cultum DEI specialem, & majorem, quam hactenus præstiterit, nempe, ut statim in seq. vers. exprimitur, ad sacelli exstructionem, & largitionem decimarum. 3. idque intuitu mercedis temporalis. Jam, ut ὕστερον πρότερον progrediamur, unde, quæso, probabitur intuitus mercedis, quo Jacobus votum fecerit? an ex particula אם *si*? ac si diceret: Si me custodiveris in via, & commeatu instruxeris, reducemque feceris, peculariter colam te ac venerabor, ut Dominum & Servatorem meum, domumque in tui honorem erigam, & decimas ad cultum sacrum præbebo. Sin; nihil istorum quidquam facturus sum. Quis enim adeo amentem, adeo impium credat cordatum illum piumque patriarcham? ecquis nescit, particulam אם *si* non semper esse stricte conditionalem, sed sæpe ut notam temporis indeterminati usurpari, atque in Latina lingua efferri per voces *quando*, *quum* & similes? ut Genes. XXXVIII. 9. Exod. XX. 25. Amos VII. 2. Quæ vocis acceptio etiam heic militare potest, absque ulla sensus detorsione, & absurditate, ita, ut dicamus, eam non finem aut mercedem significare, sed possibilitatem & modum, &, uti *Chytræus* annotat,

notat, hanc vim habere: *Si DEVS vitam mihi prorogabit & me proteget, ac defendet, tunc congregabo in hoc loco ecclesiam ad ſacrificium & concionem, ſicut dicitur: Non mortui laudabunt te, Domine. Si vero non dederit mihi panem &c. paratus ſum ad ferendam inopiam, exitia, & alias difficultates, ſicut David II. Sam. XV. inquit: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places, præſto ſum: faciat, quod bonum videtur ipſi.* Quanquam non negamus, homines pios ac fideles, etiam reſpectu temporalis felicitatis, cujus promiſſione toties in Scriptura utriusque fœderis, ad obedientiam Deo præſtandam excitamur atque allicimur, non quidem primario & adæquate (qua ratione Deus, ut Deus, colendus eſt) tamen ſecundario & minus adæquate, nec non cum reſervatione crucis & calamitatum, a paterna ſummi Numinis manu in humili patientia ſuſcipiendarum, Deum colere poſſe ac debere. Vnde autem porro probabitur, phraſin hanc, והיה יהוה לי לאלהים *erit mihi Dominus in Deum*, ſive *pro Deo*, uspiam adhiberi pro certo aliquo externo cultu? Sane nullus proferri poteſt locus Scripturæ, in quo ad eum modum ſumatur. Duo vero ſignificat phraſis illa, nimirum 1. *cultum generalem a nobis Deo præſtandum*, ut idem ſit, ac ſi diceretur: Dominum pro vero Deo agnoſcam, adorabo & colam, in eoque ſpem ac fiduciam unice reponam. 2. *Favorem & gratiam Dei erga nos*, hoc ſenſu: Dominus mihi ſingulariter favebit, eritque propitius, & auxilio, gratia, atque amore me proſequetur ſuo. Utraque hæc ſignificatio occurrit Geneſ. XVII. ubi Deus opt. max. Abrahamo ejusque poſteris terræ Cananææ poſſeſſionem largiſſime promittit: & prior quidem verſu 7. poſterior autem verſ. 8. juxta ipſius Cornelii Janſenii, epiſcopi Iprenſis, expoſitionem. Sic enim is ad verba verſiculi ſeptimi, *ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, ſive

te, ſive *ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te*, commentatur: *Id eſt, ut me ſolum habeatis & colatis Deum, obediendo ſcilicet voluntati & mandatis meis*: & verſiculum octavum, ubi Deus pergit dicere, *eroque Deus eorum*, vel, *eroque iis in Deum*, hoc modo illuſtrat: *Id eſt, viciſſim providentia, cura & favore oſtendam, me eſſe Deum eorum, & eos eſſe populum meum.* Cornelius a Lapide quoad rem non diſſentit ab hac explicatione, quamvis utramque in exponendis illis verſiculi ſeptimi verbis ſignificationem conjungat, ſcribens: *q. d. Ea lege & conditione pactum tecum, & cum tuis, o Abram, ineo, ut ſcilicet ſim tuus tuorumque Deus; nimirum ut a vobis ſolus adorer & colar, atque a me ſolo pendeatis; ego viciſſim vos quaſi peculium meum amem, curem, protegam, & benedicam. Ita Vatablus, & alii.* * Quum ergo tertia illa Jacobeæ phraſeos, *erit mihi Dominus in Deum*, ſignificatio de cultu peculiari & ceremoniali, ſit ἄγραφος, & purum putum cerebri humani figmentum, nec altera de cultu generali & morali, hoc quidem in loco, † ſuis careat difficultatibus, vel ab illis, qui priorem amplectuntur, in hoc Jacobi voto admittatur, aut toleretur; quid impedit, quo minus dicamus, phraſin illam *non ad obligationem voventis* referendam eſſe, uti quidem Vulgatus interpres, & qui eum ſequuntur, referunt, *ſed potius ad voti conditionem*? Sic enim omnia erunt plana, & perſpicua. Enim vero conditio voti, cui ſe mancipat vir ſanctiſſimus, quæque verſiculis continetur 20. & 21. quinque conſtat membris, quorum 1. eſt, *Si* (vel quum) *fuerit Dominus mecum.* 2. *Et ſervaverit me in via iſta, qua ego profectu-*

* Quanquam ego in Vatablo non reperio.

† Nec ſuis careat difficultatibus.) Sequitur enim inde, quaſi Jacob jam ante & hactenus Dominũ pro veró Deo non agnoviſſet nec niſi poſt impletionem voti agniturus eſſet; aut quaſi licitum ſit, ſub ratione temporalis felicitatis, DEum colere.

rus sum. 3. Dederitque mihi panem ad comedendum, & vestimentum ad induendum. 4. Reversusque fuero prospere ad domum patris mei. 5. Et fuerit mihi Dominus in Deum h. e. si omnibus modis mihi faverit, & cura, providentia auxilioque suo adfuerit, quemadmodum Abrahamo, avo meo, ejusque natis ac postnatis gratiosissime promisit. Ad illum enim locum Genes. XVII, 8. ubi eadem plane occurit phrasis, quæ vero, ut ostensum est, gratiam & favorem Dei singularem denotat, Jacobus in hoc suo voto videtur omnino respexisse. Et huic voti conditioni votum ipsum (cujus complementum vid. Gen. 35. 1. 3. 7.) subjungit, seu obligationem vers. ult. eamque bimembrem: *1. Hic lapis, quem disposui in statuam, erit domus Dei. 2. Et quicquid dederis mihi, ejus decimas omnino sum daturus tibi*, id est, & lapis, & locus, in quo lapis est, a me habebitur sanctus, tibique consecratus, ad hoc, ut te ibi per sacrificia tanquam in altari colam: & de reditibus meis, quos tua benedictio mihi indulgebit, decimam partem erogabo ad faciendum sacrificia, & alendum ministros sacros, eorumq; discipulos, ac pauperes. Eodem sensu votum Jacobi explicatur a Rabbi Salomone Jarchi, quem Hebræorum Magistri κατ' ἐξοχὴν & honoris causa appellant *Interpretem Legis*. Neque etiam huic adversantur LXX. Interpretes, qui sacri fontis literam presse heic & κατὰ πόδα sequuntur. Ita docet *Saubertus* in Operib. posth. pag. 150. Confer etiam *Tremellii* & *Junii* versionem, atque annot. in h. l. Cæterum si vel maxime probari posset, aut a nobis etiam concederetur tantisper, Jacobum verbis hisce, *erit mihi Dominus in Deum*, sese obligasse ad cultum; tamen, quum religionem suam non mutârit, quemadmodum Jansenius & Cornelius a Lapide recte fatentur, non video, qua ratione colligi possit, eum apostatis hujus vitæ commoda respicientibus ivisse præ, eosque illum imitari. Patet itaque

que jam ſatis ſuperque, falſiſſimam eſſe minorem argumenti propoſitionem, & tantum abeſſe, ut Jacobus voto ſuo apoſtaſiæ exemplum dederit, ut potius veris Dei cultoribus præluxerit, & hanc dederit doctrinam, quod videlicet tales permanere, & quo majoribus a Deo beneficiis afficiuntur, eo conſtantius atque alacrius Deum timere, adorare, colere, eique gratias agere debeant; tum & divitibus copioſisque hominibus, in quem uſum præcipue conferendæ ſint opes, nimirum ad conſervationem eccleſiæ cultuumque divinorum, ſive ut vera Dei notitia in terris propagetur, & eccleſiæ, ſcholæ, & pauperes alantur. Vid. *Lutheri*, *Gerb.* & *Calov.* Comment. in h. l.

Alterum, quod nobis objiciunt, petunt ex Joſuæ cap. ult. ℣. 15. ubi magnus ille & piiſſimus Iſraëlitarum Imperator, in poſtremis regni ſui, quæ in agro Sichemitarum celebravit, comitiis, Primoribus ac populo optionem dat, ex tribus religionibus eligendi unam, nimirum vel Chaldaicam, cui Abramus, nondum a Deo illuminatus, cum parente, fratre ac majoribus ſuis deditus fuerat, vel Cananæam, quam gentes extirpandæ obſervabant, vel illam, quæ Abrahamo revelata, & per Moſen illuſtrius fuerat tradita, atque, ut in hac electione commodum ſuum probe attendant, graviter monet, inquiens: *Quod ſi malum videtur in oculis veſtris* (ואם רע בעיניכם) *colere Jehovam, eligite vobis hodie, quem colatis; ſive deos, quos coluerunt majores noſtri, qui habitabant trans flumen illud* (ſcilicet Euphratem, in Ur, ſeu Orchöe, ut a Ptolemæo appellatur, urbe Chaldæorum, unde in Meſopotamiæ urbem Haran, ſeu Carras migrârunt, Gen. XI.) *ſive deos Emoræorum, in quorum terra habitatis.* Inde jam ſic contra nos argumentantur: Quicquid, intuitu temporalis commodi, liberum Iſraëlitis relinquitur a Joſua, viro prudente ac pio, Deoque valde charo, id per ſe non eſt malum, nec ullo modo vio-

lat conſcientiam. Sed optio, ſeu mutatio religionum, intuitu temporalis commodi, libera Iſraëlitis relinquitur a Joſua, viro prudente, ac pio, Deoque valde charo. Ergo. Sed facilis eſt reſponſio. Joſua Iſraëlitis triplicem quidem proponit religionem, ut eligant, quam velint, ne dicant poſtea, ſe ad religionem Moſaicam coactos fuiſſe; ſed non dicit, liberum eſſe *coram Deo*, ſequi, quam vellent e duabus illis gentilium: quin potius hoc intendit, veram religionem ſemel receptam, ſemper retinendam eſſe. Iſraëlitæ enim tum temporis Moſaicam, eamque veram religionem obſervabant, ſed ita, ut pariter colerent deos alienos. Ab hac igitur impietate eos ut abducat, beneficia a primo initio vocationis Abrahæ, Iſaaci, Jacobi &c. usque ad terræ patribus promiſſæ occupationem & diſtributionem, ipſis exhibita enumerat, atque inde hortatur, ut pie ac religioſe Dominum Deum ſuum colant, & legi ipſius reverenter obtemperent: ac omnem inobedientiam, inprimis vero idololatriam, quippe quæ cum veri Dei cultu conſiſtere non poſſit, toto pectore fugiant. Sic enim, recenſitis beneficiis illis, infert verſ. 14. *Quare nunc timete Jehovam, & colite eum integre & fideliter: & amovete deos, quos coluerunt majores veſtri in regione trans flumen illud, & in Ægypto, & colite Jehovam.* Atque in ſequente verſiculo, poſtquam eorum arbitrio dicam? an arbitrii abuſui commiſerat, num forte ad idololatricam Chaldæorum vel Cananæorum religionem applicare ſe vellent, ſuo ſuorumque exemplo ad veram eos provocare, ſeu potius in vera conſervare ſtudet, inquiens: *Ego vero & familia mea colemus Jehovam.* Et quum ſententiam ſuam dixiſſent, paratos videlicet ſe eſſe ad continuandam religionem veram, verſ. 19. eosdem ſic affatur: *Non poteſtis colere Johovam*, nempe deos alienos retinendo, & eorum cultum cultui Dei commiſcendo. Quod colligitur ex verſ. 23. Prædicit quoque, Deum ipſis, ſi perſtiterint

ſtiterint in religione vera, benefacturum cumulatiſſime, e contra vero graviſſime puniturum apoſtaſiam & inobedientiam. Hæc enim verba immediate ſubjungit: *Quia Deus ſanctiſſimus eſt, non feret defectionem veſtram, & peccata veſtra. Quum deſeretis Jehovam, & coletis deos alienigenarum, tum converſus malo afficiet vos, & conſumet vos, poſtquam benefecerit vobis.* Ille itaque prudentia, pietate, Deique gratia illuſtriſſimus Dux, optionem religionum, tanquam rem indifferentem, & decempeda boni præſentis menſurandam, Iſraëlitis minime conceſſit, quin potius eos ab apoſtaſia, aut mixtura religionum, quam potuit maxime, avocare, & vinculo veræ religionis, quam hactenus non plane, nec unice ſequebantur, arctius conſtringere voluit. Atque eodem modo præſentem locum expoſuit eruditiſſimus *Andr. Maſius*, cujus verba, quamvis pluſcula, exſcribere non pigrabimur. *Quæ coacti recipimus*, inquit ille, *ea nulla verecundia frangimus: quibus vero nos ultro obligavimus ipſi, quæque deliberato animo promiſimus, ea ſi temere violemus, impudentiſſimi ſimus. Ergo ut gentis animos ad fœdam religionem proclivisſimos arctiore nexu in probam alligaret prudentiſſimus Imperator, principio oſtendit, quænam fuiſſet majorum religio, cum in Meſopotamia illi habitarent, eamq; fuiſſe poſitam in cultu aliegenarum deorum dixit: deinde addidit, quibus auſpiciis illa cum cultu Jehovæ h. e. veri Dei fuiſſet commutata. His itaq; religionibus duabus propoſitis, jam illos quodammodo ſolvit utraq;, & velut manu emittit, optionemque dat, non ſolum, ut harum duarum, utram velint, ſuſcipiant, ſed tertiam etiam inſuper addit, eam nempe, quam tenent eæ gentes, inter quas nunc verſantur: a qua profecto vel maxime opus erat ut abalienarentur. Quamvis autem optionem iſtam illis velit liberrimam, ne olim cauſari posſint, ullis ſe ſuaſionibus eſſe deceptos, atq; idcirco nullo*

verbo adhuc aliorum deorum sacra cultusque culpaverit, tamen veritus, ut videtur, ne laxatis habenis gens fidei fluxa prono cursu ad Chananæorum deos se proriperet, adjungit, quid ipse cum sua familia sit facturus. Quare nullam quidem ipsis imponit necessitatem alterutrius optionis, sed profecto mirifica, ut mihi videtur, mentes omnium arte atq; efficacitate ad veram religionem vocat. Cur enim non statuant, ejus Imperatoris religionem sibi esse imitandam, cujus prudentiam summam in rebus omnibus, atq; insuper sanctitatem felicitatemq; incredibilem adhuc essent experti? Non obstant igitur objectiones allatæ, quo minus iterum aperte atque intrepide pronunciemus: Ab orthodoxa ad heterodoxam religionem, commodi temporalis causa, illæsa conscientia transire christianorum posse neminem.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Q*Vi sibi persuadent, licere externis ceremoniis simulare religionem heterodoxam, & dissimulare orthodoxam, eo quod Naaman Syrus, bona cum venia Elisæi prophetæ, idem fecerit, 2. Reg. V, 18. 19. illi egregie falluntur, nec mentem neophyti satis recte intelligunt. Sive enim is de præterito loquatur (uti exponit* Joh. Saubertus, ὁ μακαρίτης, *in Germanico libello, quem inscribit* Christlich *Præservativ*, Dannh. *in Colleg. Decal. p. 248. 397.* Lightfoot *in Lucæ c. IV. 27. &* Quensted *Disput. in hunc nostrum locum, de Petitione Naamanis Syri, §. 21.) sive de futuro (ceu placet* Jun. Tremell. & Hackspanio *Annot. in*

h. l. Dilh. Propheten-Schul *p. 176.* & Sebast. Schmidio *Disp. in h. l.) neutiquam tamen exinde impia illa atq; absurda sententia stabiliri potest; si ponatur etiam, Naamanem loqui non de incurvatione religiosa, sed servili & coacta, quæ deceat ministrum regium.*

II.

Quamvis nihil certi de auctore ministeriali & secundario libri Josuæ, utrum nempe Josua ipse eum scripserit, vel alius, & quis, nobis constet; per id tamen auctoritati & θεοπνευστίᾳ libri nihil quidquam detrahitur, quum & ipse prorsus gaudeat requisitis scripti canonici veteris Testamenti. Jac. Raupp. *in Prolegom. in librum Jos.*

III.

Cyprianus, genere illustris, patria Carthaginensis, dignitate ante conversionem Senator & Rhetor, post conversionem vero Presbyter, & dehinc Episcopus Carthaginensis fuit, prænomen a Cæcilio presbytero, qui ei fidem christianam persuasit, sortitus, & anno a Servatoris nativitate, si Joh. Gottfr. Oleario *in Abaco Patrolog. p. 123. credimus, CCLIIX., si* Centuriatoribus Magdeburgensibus *Cent. III p. 249. CCLIX. si* Baronio *in Annalibus, CCLXI. d. 14. Sept. martyrio coronatus. Eum autem ineunte ætate δαιμόνων θεραπευτὴν, seu magum & veneficum fuisse,* Gregorius *quidem* Nazianzenus *Orat. in laudem Cypriani, &* Prudentius *περὶ στεφαν. hymn. V. (quos etiam secutus est* Waldschmid. *in Python. Endor. p. 371. & qui ibidem citantur) memoriæ prodiderunt; sed observatum est a viris eruditis, eos nominum similitudine deceptos, Carthaginensem Cyprianum cum* Antio-

Antiocheno, qui sane ante conversionem magus fuit, deinde vero Episcopus Antiochenus, sive, ut alii volunt, Nicomediensis factus, itidem martyrium subiit, confudisse. Vid. Magdeburgenses *Cent. III. Cap. X. p. 242.* Baronius *ad ann. Christi 250. n. 5.* Billius *in Not. ad prædictam Nazianzeni orationem,* Gerh. *in Patrolog. p. 163.* Dannh. *Christeid. Act. 1. p. 378.* Olear. *in Abaco Patrolog. p. 124.* & Spizelius *in Addit. ad Literatum Feliciss. p. 173. nec non in libro peculiari, cui titulum fecit* Gebrochene Macht der Finsternis/ *p. 455. Noster autem non fuit magus ante conversionem, quia 1. rhetoricam, utpote liberalem artem tractavit, 2. nec Cyprianus ipse in descriptione suæ vitæ, lib. 2. ep. 2. magiæ talis meminit. 3. nec Pontianus, diaconus ejus, in vita Cypriani. 4. liber de Pœnitentia, unde hoc probare nituntur, pro apocrypho habetur a Gelasio c. Sancta Romana. dist. XV.*

IV.

Veritas alicujus religionis non est æstimanda ex opinione, vel professione eam sectantium, seu quod illi, qui religioni isti sunt addicti, putant, dicuntve, eam esse veram, Luc. 21, 15. sed ex requisitis religionis veræ. Est autem vera religio verus de Deo sensus, & verus Dei cultus. Joh. Olear. *in Continuat. Isagog. Carpzov. in Libb. Symbol. Eccles. Luther. p. 1741.*

❧(o)❧

DISSER-



DISSERTATIO V. DE MODERATIONE THEOLOGICA.



On heic nobis animus eſt, agere de Moderatione *Ethica*, quam Philoſophia Moralis ad affectus ſenſuum, aureo rectæ rationis freno moderandos, cuivis veræ & civilis εὐδαιμονίας candidato præſcribit; nec de moderatione *christiana*, quam ſacræ literæ omnibus ac ſingulis fidelibus graviter commendant ac præcipiunt, ut iræ æſtum moderentur, & appetitum carnis, virtute Spiritus ſancti, coërceant, modeſtiaque ac manſuetudine erga proximum utantur, atque adeo mediocritatem ſeu modum, qui omni in re eſt optimus, ſtudioſe obſervent, & ſolicite ſectentur: ſed de moderatione, quam ſibi commendatam habere debent *Theologi*, h. e. Doctores tam eccleſiaſtici, quam academici, qui in ſacris paginis interpretandis occupantur.

Quum autem moderatio hæc theologica variis modis accipi poſſit, ſciendum, nos per eam hoc loco intelli-

gere, non *intempestivam concertationum theologicarum moderationem*, quæ ex præpostero pacis studio, cum officii neglectu & damno veritatis, exercetur; contra quam VII. Dissertationes scripsit, & Wittebergæ habuit magnam inter Theologos famam adeptus, Sam. Pomarius: nec *dubitationem academicam*, quam ὁ θαυμάσιος Joh. Gerhardus in Meth. Stud. Theol. p. 181. ab adytis sacris longissime abesse jubet: *De rebus sacris*, inquiens, *non oportet topice, probabiliter, & in utramq; partem, sed scientifice, apodictice, &* ἐπιστημονικῶς *disputare, ne academica* ἐποχὴ *in Theologiam introducatur.* Augustinus l. XIX. de C. D. c. 18. scribit: Civitas Dei academicam dubitationem tanquam dementiam aversatur. *Hujus præcepti parum memores fuerunt Scholastici, qui topicis argumentationibus etiam ea, quæ immotæ ac certissimæ veritatis sunt, in dubium vocârunt &c.* Quo nomine & Judæi accusantur ab Hackspanio nostro in Addition. ad Lipm. p. 291.

Nec *moderationem in controversiis, quæ nobis intercedunt cum adversariis*: quem in finem Consilium de moderandis controversiis religionis olim scriptum est a communi Germaniæ præceptore, Philippo Melanchthone, ad Franciscum, Galliæ Regem, anno 1535. in quo vir optimus ostendere sategit, *facilem esse dijudicationem omnium controversiarum, de potestate Pontificia, de traditionibus & ordinationibus humanis rerum indifferentium, de justificatione, de cultu Sanctorum, de votis & cœlibatu Sacerdotum: tantum articulum de Missa habere aliquid difficultatis; quamvis sperandum sit, inter bonos & pios de omnibus conveniri posse, dummodo summi Reges animum applicent ad studium illustrandæ Ecclesiæ, & dent arbitros maximarum istarum rerum idoneos, h. e. pios, eruditos, moderatos.* Qui liber exstat in tomo IV. Operum Philippi p. 825. Et in epistola ad Regem christianissimum, quæ ei præmittitur, inter alia sic scribit: *Mihi*

quidem nullæ immoderatæ opiniones, aut quæ labefactârunt pulcherrimum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem, unquam placuerunt. Quo quidem nihil in terris charius, nihil antiquius esse omnibus debet.

Nec denique *moderationem animi, præcipue viris theologis convenientem, in perferendis ac dissimulandis aliorum injuriis:* qualem se omnino præstitit idem Melanchthon, ceu ipse refert sub finem Respons. ad criminat. Staphyli p. 822. *Objiciuntur nobis* (a Pontificiis) *& Flaciana dissidia, quæ mihi quidem propter publica incommoda magnum dolorem adferunt, ideoq; ne majores distractiones, & dogmatum certamina orirentur, tacui. Qua in re multorum prudentum exempla secutus sum. Nec recens hanc Socraticam philosophiam disco. Multas injurias mihi illatas inde usq; a triginta annis mediocri moderatione tuli, ut multi nôrunt.* Et, ne propria hæc viri laus sordere cuipiam videatur, sciendum, eam cum multos alios suo testimonio confirmâsse, tum inprimis clarissimum Academiæ Tubingensis quondam doctorem, & integrum veri arbitrum, Jac. Herbrandum. Ita enim ille in orat. pro Phil. Mel. *Fuit autem D. Philippus natura miti ingenio, studiosus pacis & concordiæ, amans tranquillitatis, abhorruit ab omnibus seditiosis & tribunitiis consiliis, moderatus, & vere ἠθικός.*

Sed *abstinentiam a quæstionibus non necessariis, & curiosis, quæ sine ædificatione discentium temere moventur, operose tractantur, atque audacter deciduntur.* Cui vitio imprimis dediti erant Scholastici, sicut non tantum illi, quos Adamus Tribbechovius in suo de Doctoribus Scholasticis libro singulari, eoque eximio, cap. 7. citat, sed etiam alii viri magni & docti observârunt, nempe Majores nostri in Apol. Aug. Conf. Libb. Normal. Norib. p. 261. 368. 380. 660. 662. 663. 681. 747. Thomas Didimus Faventinus (sub quo latet Philippus) in orat. pro Luthero, quæ legitur in

tomo II. Operum Melanchth. p.38. G. Calixt. in ep. ad Tit. c.III,9. p. 34. Titius in disp. de Virib. hum. & lib. arb. th. 12. Hildebr. in Theol. Dogm. I. §. 26. Henr. Müller in epist. dedic. Theologiæ ipsius Scholasticæ præmissa, &, qui primo fere loco nominandus erat, Joh. Gerhardus in Meth. Stud. Theol. p. 302. & seqq. ubi collectis in certas classes nugacibus illis quæstonibus, quas Desid. Erasmus in Adnot. ad 1. ad Tim. I, 6. confuse & sine ordine, sed nec sine stomacho, recitaverat, ita scribit: *Scholastici ut in principiis theologice differendi, ita quoq; in ipso disputationum objecto aberrant: proponunt enim quæstiones otiosas, curiosas, spinosas: inutiles, absurdas, superstitiosas, quandoq; etiam impias. — Sic* otiosæ *quæstiones sunt: An in statu innocentiæ fuisset æqualis numerus virorum ac fœminarum. An omnes nati fuissent in sexu masculino. An pueri in statu innocentiæ cum perfecto rationis usu fuissent nati. An generatio facta fuisset per coitum. An cum partu fuisset integritas.* Curiosæ *sunt: Qualis futurus sit ignis, quo mundus olim destruendus. Quam magnum, latum, altum sit cœlum empyreum. An in eo saltandum. An sit satis luminosum. Quid Deus egerit ante mundum conditum.* Spinosæ *sunt: An Deus possit aliqua distincte intelligere, si ad illa non habeat distinctas relationes rationis. An possit producere respectum sine fundamento & termino. An possit facere Angelum informare materiam. An possit producere naturam universalem sine singularibus.* Inutiles *sunt: An natura universi magis sit unibilis, quam natura humana. An homo incarnatus debuerit esse Adam. An conveniens fuerit eductio carnis Christi de viro & muliere. An convenientius de viro.* Absurdæ *sunt: An filius Dei naturam asini, serpentis, columbæ, debuerit ac potuerit assumere. An Deus loco Christi potuerit suppositare mulierem. An asinus bibat baptismum, si bibat aquam consecratam. An fuisset bona forma, si Christus baptismum instituisset in nomine*

buff

buff baff. Superstitiosæ *sunt: An mus arrodens hostiam consecratam, arrodat corpus Christi. An corpus Dominicum in ventre muris, qui in muscipula circumfertur, adorandum sit. Quid agendum cum mure isto, exenterandusne sit, & hostia consecrata, in eo reperta, fideli ad comedendum offerenda.* Impiæ *sunt: An possibilis sit propositio: Pater Deus odit Filium. An Deus loco Christi potuerit suppositare diabolum. Si Deus suppositâsset cucurbitam, quomodo illa fuisset concionatura, quomodo miraculum editura, quomodo crucifigenda. An efficax sit baptismus, si consecretur in nomine diaboli. An Pontifex Rom. abrogare possit, quod Apostolicis scriptis decretum. An sit simplex homo, an quasi Deus, & participet utramq; naturam cum Christo. An clementior sit, quam fuerit Christus, cum is non legatur quenquam a purgatoriis pœnis revocâsse. An possit novum articulum condere in fidei symbolo. An posfit præcipere Angelis. An posfit arbitratu suo cœlo excludere, etiam immerentes.*

Absit tamen, ut omnes propterea Scholasticos, omniaque eorum scripta, cum Schillingio, Amesio, Altingio, Ramo, Val. Weigelio, & Aventino, damnemus, &, quod proverbio dicitur, infantem cum sordibus, aurum cum scoriis projiciamus; quin potius mitiori de iis optimorum auctorum, qui a Tribbechovio in laudato libro p.160.& 161. allegantur, judicio subscribimus, & cum accuratissimo D. Hildebrando fatemur, *laudem in Scholasticis mereri* (1) *ingenii acumen, a quo in Apol. Aug. Conf. art. de Justificat.* magni & ingeniosi homines *dicuntur.* (2) *conservationem philosophiæ Aristotelicæ, quam ex Arabica lingua conversam habuerunt.* Addit laudatus vir tertio loco, atque in iis probat modestiam in disputando: *Etsi enim,* ait, *in diversissimas sectas subdivisi sint, in magno tamen dissensu sancta inter ipsos fuit concordia, & vix inter tot controversias levi scommate notatum adversarium invenies.* §. 39. Ita & Calixtus in epist. ad

 Tit.

Tit. III, 19. p. 34. Quamvis Erasmus eos a conviciis, injuriis ac condemnationibus dissentientium non absolvat, quando in Enchir. milit. christ. scribit, *eos frequenter usq; ad pallorem, usq; ad convitia, usq; ad sputa, nonnunquam & usq; ad pugnos invicem digladiari.* Et contra Latomum: *Scholastici non omnes idem sentiunt, nec omnes sunt liberi ab errore. Nam qui Thomam sequuntur, & a Scoto dissentiunt, eos pene pro hæreticis habent.*

Quanto magis igitur peccant, & quanto majorem merentur reprehensionem, qui abominabilem illam Scholasticorum curiositatem non modo imitantur, & vel in homiliis, vel prælectionibus aut disputationibus academicis, vel in scriptis publicis ad quæstiones non-necessarias atque inexplicabiles frequenter delabuntur, sed etiam pro fundamentalibus eas venditant, & alios, quibus hujusmodi olera non sunt ad palatum, nec contemnendas sententiæ suæ afferunt rationes, tanquam hostes fundamenti fidei impie non magis, quam stolide damnant, rejiciunt, atque anathematizant! Mala res est curiositas; sed, si temeritas affirmandi, & zelus, qui non est secundum scientiam, accedit, detestanda evadit, ac prorsus intolerabilis. Quo majus itaque hoc vitium est, quoque perniciosius, eo magis ab eo cavendum est. Et ne cœcitate judicii, quod inter quæstiones fundamentales, & juxta annatas, distinguere nescit, temerariæque furore condemnationis corripiamur, vanas & curiosas quæstiones, inanesque controversias missas faciamus, atque ita moderationi, Theologos & theologiæ alumnos decenti, studeamus, idque propterea, quia sic volunt, sic jubent (1) Scripturæ S. dicta, & exempla, (2) Rationum pondera, (3) Doctorum suffragia.

Atque ut a Scripturæ S. dictis exemplisque initium faciamus, Psaltes Regius in Ps. XXXI, 7. ait. *Odi eos, qui observant vanitates vanissimas*: Die halten auff Eitelkeit/ ut olim

olim reddidit Lutherus. Nam & quæstiones frivolæ inanes, frustraneæ atque ineptæ, merito appellari possunt הבלי שוא *vanitates vanitatis, seu nihili.* Idem vir magnus *negat* in Pf. CXXXI, 1. *se aggressum esse res magnas aut arduas supra, quam conveniat sibi.* Id quod cum Kimchi, teste in h. l. Geiero, licet etiam transferre ad res theologicas, quod in iisdem non extulerit se David, neq; scrutatus sit ea, quæ captum superarent suum. Et Pf. CXXXIX, 6. professione impecillitatis propriæ, quæ capiendis arduis infinitisq; scientiæ DEI objectis sit impar, ita concludit: *Mirabilior est scientia tua, quam ut fallam*, vel, quam ut assequi aut comprehendere possim: *edita est, non possum prævalere illi*, sive, ut Pagninus & Campensis reddunt: *non potero ad eam pertingere.* Adeoque exemplo suo docere voluit Rex humillimus, non esse indaganda, quæ instar montis inaccessi, nubiumve aut astrorum, altissime supra nos eminentium, omnem nostrum excludunt conatum, penitiusque scrutinium, aut indagationem. Salomo, mortalium sapientissimus, Eccles. c. VII, 16. præcipit: *Ne esto justus nimium, neq; sapere tibi videtor nimium.* Ubi τὸ *nimium* virtutibus, in medio positis & excessum respuentibus, adjectum, earum extrema denotat. Sermo heic est, judicio Geieri, *de fugiendo nimio studio sapientiæ, quo intempestivius omnia ad vivum resecare conamur, fastidientes prorsus simplicitatem christianam, vitamq; practicam, unice sectantes fastuosam præ aliis scientiam, magisq; occupati circa notitiam vanitatum, quam salutarem regni cœlestis investigationem, item magis intenti nostris commodis aut ambitioni, quam ædificationi aliorum.* Idem videtur velle Sponsus in Cant. Cant. II, 15. amicis, in vinea ecclesiæ laborantibus, dicens: *Prebendite nobis vulpes, vulpeculas corrumpentes vineas. Vulpes* sunt falsi doctores; *vulpeculæ* illi, qui nimium scrutantur, & propositiones non necessarias, præcipue

cipue in ſcholis, juſto plus urgent, animasque chriſtianas a pietate ad profanos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falſo nominatæ notitiæ, ſub ſalutaris ſpecie orthodoxiæ, abducunt. Conr. Berg. conc. 2. de Controv. fid. p. 70. Nec minus Siracides in ſaluberrimi libri ſui cap. III, 21. 22. temerariam curioſitatem prohibet, his utens verbis: *Difficiliora captu tuo ne quæras temere, & valentiora viribus tuis ne exquiras inſipienter: Non enim opus eſt tibi, ut occulta intuearis oculis.* Quaſi dicat, ita exponente hunc locum Corn. Janſenio: Neceſſariis rebus cognoſcendis tantum vacandum eſt. Conf. & Corn. a Lapide.

Et quoties Prophetæ in hos veræ doctrinæ æruſcatores invehuntur! Eſaias cap. I, 22. ait: *Argentum tuum abiit in ſcorias, merum tuum inſpurcatum eſt aqua.* Atque hoc dicto, uti Tibbechovius c. 7. p. 156. interpretatur, veram fidem traditionibus, & ſapientiam divinam humanis inventis commaculantes redarguit, DEI nomine, Propheta ſanctiſſimus. Idem cap. LIX, 4. & 5. ejusmodi nugivendulos perſtringit, inquiens: *Quisq; confidit rei inani, & loquitur vanum, concipit laborem, & parit mendacium. Ova hæmorrhoi, excludunt, & telas aranei texunt.* Sane *ova hæmorrhoi ſive baſiliſci excludunt*, qui doctrinas antichriſti proferunt, *& telas aranei texunt*, qui, ut Verulamius lib. I. de Augment. Scient. loquitur, telas quasdam doctrinæ conficiunt, tenuitate fili operisque admirabiles, ſed quoad uſum frivolas & inanes. Apud Jeremiam cap. IX, 23. ſic ait Jehova: *Ne gloriator ſapiens in ſapientia ſua.* Fit autem plerumque, ut, qui ſibi nimium ſapientes videntur, atque argutis & inextricabilibus quæſtionibus operam impendunt, proprii honoris & gloriæ cauſa id faciant, eoque nomine multum ſe efferant, tanquam illi, qui nôrunt, quid Jupiter in aurem dixerit Junoni.

Matth. X,16. Christus discipulos suos, eorumque fideles successores omnes jubet *esse prudentes*. Quæ prudentia ab illis abest longissime, qui sanctissimum verbum ejus vana curiositate corrumpunt, atque in ejusmodi materiis desudant, quæ auditoribus & discentibus obsunt magis, quam prosunt, aut certe non prosunt. Idem optimus atque incomparabilis Magister sciscitantibus discipulis suis, & dicentibus: *num hoc tempore restitues regnum Israëli?* respondit: *Non est vestrum scire tempora, sive opportunitates, quas Pater in sua ipsius potestate constituit*, ceu Lucas refert Act. I, 6. & 7. Quo ipso curiositatem eorum de rebus non-necessariis reprimere ac reprehendere voluit, prout Sanctius, & omnes fere alii hujus loci interpretes observant. Et in hac doctrina Magistrum suum κατὰ πόδα fidelissimeque sequitur S. Paulus apostolus, quippe qui in pluribus locis inutilem illam altiora & perscrutandi definiendique operam graviter reprehendit prohibetque. Sic enim scribit ad Romanos cap. XII,3. *Per gratiam, quæ mihi data est, edico cuivis versanti inter vos, ne supra modum sapiat ultra quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.* At quid curiosuli nostri? an ad sobrietatem sapiunt, vel potius supra modum, & ultra quam oportet sapere? In I. epist. ad Corinth. c. III, 12. ait, alios doctores *super fundamentum*, quod est Jesus Christus, sive doctrina de Jesu Christo, ejusque incarnatione, merito & satisfactione, *superædificare aurum, argentum,, lapides pretiosos: alios vero lignum, fœnum, stipulam.* Quem locum, in se satis difficilem, theologus clarissimus, G. Calixtus, in Expositione literali hisce illustrat verbis: *Tria materiæ pretiosæ & duraturæ nominat genera, quibus metaphorice non ipsam fundamentalem doctrinam, sed quæ circa illam oriri possunt quæstiones, aut potius modum do-*

cendi significatum ivit. Nempe qui quæstiones, quæ circa religionem christianam moveri solent, ad ipsam doctrinam plenius & perfectius intelligendam utiles & necessarias, recte, commode, & vere exponit, item modo utitur docendi, qui evangelio conveniat, remoto a curiosis argutiis & fastu verborum, hortatur, consolatur, quandocunque opus est, is superædificat super fundamentum, aurum & argentum & gemmas. Alius, qui otiosis quæstionibus indulget, & argutiis nihil ad rem facientibus ingenii acumen ostentat, aut grandiloquentia quadam & ambitiosis verborum phaleris doctrinam proponit, is superædificat ligna, fœnum & stipulam. Itidem tres vilis & perituræ materiæ species nominat, per quas similem doctrinam, inanem scilicet & otiosam significat. Non potest autem alia intelligi, quam quæ fundamentum salvum retineat, hoc est, doctrinam de redemptione per Christum non evertat: qui enim negat, Christum verum Dei Filium in mundum venisse, & nos sanguine suo redemisse, super fundamentum is non ædificat, sed penitus eo excidit, & plerunque aliud fundamentum ponit. Igitur, ut diximus, inconveniens Christianos docendi articulos modus, aliæq; inutiles, otiosæ & curiosæ quæstiones, lignis, fœno & stipula indicantur. Cum hac expositione convenit plane id, quod habet Apologia August. Confess. ad Artic. de Ecclesia pag. Libb. nostrorum Normalium 355. *Hæc Ecclesia proprie est columna veritatis. Retinet enim purum evangelium, &, ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem, & fidem, etsi sunt in his etiam*

multi

multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur.

Sed pergendum nobis est in recensendis reliquis dictis, quæ ad propositum nostrum faciunt. Nimirum ἐκ μέρους γινώσκομεν *ex parte*, respectu videlicet cognitionis futuræ atque intuitivæ, *cognoscimus*, scribit idem Apostolus in 1. ad Cor. XIII, 9. Quorsum ergo immoderata illa atque effrenis sciendi libido, temeritasque? Et Timotheo suo injungit, *ut denunciet nonnullis, ne attendant fabulis. & genealogiis nunquam finiendis.* 1.ep.I, 4. *Profanas & aniles fabulas aversare.* c.IV, 7. *Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri JEsu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones ac pugnas de verbis. Abscede ab eis, qui ejusmodi sunt.* c. VI, 4. *Aversare profanos illos de rebus inanibus clamores, oppositiones falso nominatæ notitiæ.* vers. 20. *Profanos illos de rebus inanibus clamores cobibe.* 2. epist. c.II, 16. *Stultas & ineruditas illas quæstiones aversare.* vers. 23. Et in epistola ad Titum: *Sunt enim multi subjici nescii, & vaniloqui. Quam ob causam eos redarguito præcise, ut sani sint in fide, non attenti Judaicis fabulis.* c.I, 10. 13. 14. *Stultas quæstiones & genealogias, & contentiones ac pugnas legales* περιΐστασο, *cohibe*, circumquaque quasi obsidendo, & omnes rimas occludendo, ne in ecclesiam irrepant. cap. III, 9. Ex horum dictorum diligente collatione liquet, non damnari ejusmodi fabulas, quæ doctrinam aliquam utilem, sive moralem sive speculativam, continent, sed illas, quæ vocantur profanæ & aniles. Qualibus Judæi non tantum erant illo tempore, sed etiam nunc sunt dediti. Unde in ep. ad Titum, c.I, 14. ἰουδαϊκοὺς μύθους Apostolus appellat. Vid. Synag. Judaic.

Buxtorfii, item Jüdische Lügenden Helvici. Et Benjamin Tudel. in Itinerario suo pag. 83. Judæorum Themæ & Tilimasis incolarum mentionem faciens, ipsorum principem ait esse Salomonem, cujus frater sit Annas princeps, qui sint e progenie beati Regis Davidis; *habent enim* (ita pergit ille) *librum genealogiæ, & extracta quæstionum penes Æchmalotarcham.* Ubi per משגרות שאלות h. e. *extracta quæstionum*, annotante Constantino L'Empereur, intelliguntur quæstiones genealogicæ, seu ea, quæ magna cnra Judæi pro more suo e genealogicis disputationibus excerpserant. Nec immerito disputationes illas genealogicas prudentissimus Christi Legatus proscripsit, & ab ecclesia christiana procul abesse jussit: Quemadmodum enim ante Christum magnus genealogiarum apud Judæos fuit usus, ad conservandam distinctionem agrorum & possessionum, atque ut nosci posset, quinam admittendi essent ad munia sacerdotalia, maxime vero e qua tribu nasciturus esset Messias, ita earum studium, Christo exhibito, antiquato sacerdotio, & politia Judaica a Romanis prostrata & abolita, inutile, otiosum, quin immo perniciosum evasit. Videsis J. M. Langii tract. pecul.

Rationes autem, ob quas subtiliores & curiosæ quæstiones omittendæ sint, depromere haud difficile est: nam & sana mens facile eas invenit, & sacræ paginæ in memoratis dictis abunde suppeditant. Enim vero omittendæ sunt (1) quia non pertinent ad objectum theologiæ, sive ad ea, circa quæ occupatum esse oportet theologum. Audiamus hac de re Gerhardum, sic scribentem in Meth. Studii Theol. p. 302. *Theologiam definit Apostolus* ad Tit. I, 1. ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, *agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem; ac proinde quicquid nec ad veritatem scitu necessariam, nec ad pietatem pertinet, pro theologico axiomate vel problemate haberi non debet.* Adde Cellar. disp. de Nat. Theolog. ph. 17. (2) Non proponuntur nisi a sciolis & audaculis, qui præ aliis sapere, nihil se nescire, digitisque suis cœlum

ipsum

ipſum metiri, & ſupera pariter ac infera omnia ſe monſtrare poſſe ſibi perſuadent. Graphice tales Icaros depingit & perſtringit Eraſmus, cum alibi, tum in Mor. encom. *Arcana*, inquiens, *myſteria ſuo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digeſtus ſit mundus: per quos canales labes illa peccati in poſteritatem derivata ſit: quibus modis, qua menſura, quantulo tempore in virginis utro ſit abſolutus Chriſtus: quemadmodum in ſynaxi accidentia ſubſiſtant ſine domicilio.* (3) Quia nullam pariunt utilitatem, nec homines vel doctiores reddunt, vel meliores. ad Tit. III, 9. Immo potius (4) lites ac diſputationes vanas & ſcandaloſas excitant: Unde probra nonnunquam, convicia, odia atque inimicitiæ naſcuntur. Quam rationem urget S. Apoſtolus Paulus in 1. ad Tim. I, 4. c. VI, 4. & 2. Tim. II, 23. (5) Quia ſunt mater errorum, & falſarum Scripturæ expoſitionum, ita cenſente D. Calovio in Proleg. ad Bibl. Illuſtr. p. 19. Nam *XIma cauſſa*, inquit, *falſarum interpretationum Biblicarum eſt cacoëthes multiplicandarum quæſtionum. Quum enim difficultates quærunt Interpretes, ubi nullæ ſunt, contradictiones fingunt, ubi nullæ occurrunt, & quæſtionibus ſine fine & numero excogitandis operam navant, quemadmodum Alphonſum Toſtatum Sixtus Senenſis celebrat, quod tot & tantis ſcholaſticis quæſtionibus expoſitionem proſequutus ſit, ut crebro in unius tantum vel brevis capituli explanatione ſupra 170. ſcholaſticas quæſtiones attulerit, ſæpe magis obſcurant, quam illuſtrant Scripturam, & nimium quantum a ſimplici ejus ſenſu & intelligentia divaricârunt.* Denique (6) quia earum tractatione bonæ horæ male perduntur. Cujus pretioſiſſimi theſauri improvidos decoctores, cum Seneca ex epiſt. 88. jure meritoque alta voce inclamaveris: *Tempori parcite!*

Ac tales ſubtiliores λεπτολεσχίας, ſive, ut Eraſmi verbis utar, *curioſas, ſpinoſasque argutias, & jejunas quæſtionum anxietates*, viri docti & prudentes omni ævo improbârunt ac deteſtati ſunt, moderationem vero theologicam ſecuti ſunt & commendarunt maxime. Nam Tertull. lib. de Pudicitia cap. 9. ait: *Malumus in Scripturis minus ſi forte ſapere quam contra.* Idem de præſcript. hær. c. 14. *Fides in regula,* (quam nos vocamus Symbolum Apoſtolicum) *poſita eſt. Habes legem & ſalutem de obſervatione legis. Exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Certe aut non obſtrepant, aut quieſcant. Adverſus regulam nihil ſcire, omnia ſcire eſt.* Et in lib. de Anima: *Certa ſemper in paucis, & amplius chriſtiano quærere non licet.* Levitici cap. VII. votivum aut voluntarium ſacrificium die primo & ſecundo comedi permittitur: die autem tertio in cibum adſumi ſevere prohibetur, & quod ſuperfuerit, igne comburi jubetur. Origenes more ſuo allegorice interpretatus, *primum diem* dicit eſſe Scripturam veteris, *ſecundum,* Scripturam novi Teſtamenti. Si quid autem fuerit, quod neutra Scriptura divina decernat vel exponat, non exſpectandam eſſe aliquam tertiam, *ſed igni*, inquit, *tradamus, quod ſupereſt, id eſt, Deo reſervemus. Neque enim in præſenti vita Deus ſcire nos omnia voluit, maxime quum id & Apoſtolus dicat:* Quia ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus: quum venerit autem, quod perfectum eſt, deſtruentur illa, quæ ex parte ſunt. 1. Cor. XIII, 9. 10. *Iſte eſt ergo ignis, cui quæ in tertium diem ſuperfuerint, ſervare debemus, & non temeritate præſumta aſſumamus*

nobis

nobis cunctorum scientiam, ut merito nobis dicatur ab eodem Apostolo : Nescientes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. I. Tim. I, 7. Lactant. Instit. l. 3. de falsa sapientia c. 20. *Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt? Nimirum multo sceleratiores, qui arcana mundi & hoc cœleste templum profanare impiis disputationibus quærunt, quam qui ædem Vestæ aut Bonæ Deæ, aut Cereris intraverint. — Quid si aliquid investigare possent? Sunt enim tam stulti in asseverando, quam improbi in quærendo: cum neque invenire quicquam possint, nec defendere, etiamsi invenerint. Nam si verum vel fortuito viderint, quod sæpius contingit, committunt, ut ab aliis id pro falso refellatur. Non enim descendit aliquis de cœlo, qui sententiam de singulorum opinionibus ferat: quapropter nemo dubitaverit, eos, qui ista conquirant, stultos, ineptos, insanos esse.* Socrates lib. 5. H. E. c. 22. de Arianis agens: *Contentiosæ quæstiones,* inquit, *quæ quotidie apud illos agitabantur, sermones illorum ad absurdas quasdam sententias perduxerunt.* Hilarius, Pictaviensis Episcopus, lib. 10. de Trinit. *Sicut Sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur, ne, si plus velimus spectare, minus quoque, quam possumus, consequamur: ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi; in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit; ne, si contenti indulgentiæ moderatione non sumus, amittamus indulta.* Et prope finem citati libri: *Non per difficiles nos Deus*

ad beatam vitam quæstiones vocat. — Nemo itaque ea, quæ ob ignorationem nostram dicta sunt, ad occasionem irreligiositatis usurpet. Adde l. 2. p. 19. Gregorius Nazianzenus (quem hoc nomiue laudat Valerius, episcopus quondam Veronensis, in prælect. tertia, Rhetoricæ eccles. subjuncta) in libro de Moderatione adhibenda in disputando, profitetur, *se malle esse ignarum, quam curiosum, & stupidum, quam audacem in pronunciando.* Et in Orat. XIV. quæ est tertia de Pace, ita expostulat: *Quid hæc, o viri, & quamdiu? non tandem aliquando resipiscemus? non expergiscemur? non erubescemus? non, si nihil aliud, hostium certe linguis, quæ falsa etiam crimina facile affingunt, occurremus? non immodico huic contentionis studio finem imponemus? non cognoscimus, quænam quæstiones a nobis percipi, & quatenus possint, quænam rursus vim nostram & facultatem superent? quænam hujus temporis sint ac terrenæ confusionis, menti nostræ tenebras offundentis, quænam rursus futuri seculi & cœlestis libertatis?* Ambrosius, aut qui autor est l. 1. de Vocat. Gent. cap. 7. *Quæ DEus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ manifesta fecit, non sunt neganda, ne in illis illicite curiosi, & in his damnabiliter inveniamur ingrati.*

Johannes, cognomento Chrysostomus, Homil. 87. in cap. 21. Joh. responsionem Christi, Petro de Johanne datam, *si eum volo manere, qui ad te?* ita interpretatur; *His verbis nos erudivit,* μὴ ἀχάλλειν, μηδὲ πολυπραγμονεῖν, *neque curiosius, præter divinam voluntatem investigandum. Nam cum Petrus semper in hujusmodi interrogationes ferventius*

tius prosileret, iterum ejus fervorem retundens, quod non sit ulterius inquirendum, in hunc modum respondit. Esaiæ cap. XLIIX, 17. juxta vulgatam legitur: *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* In hunc locum ita Hieronymus: *Utilia, non subtilia. Qui subtilia sectantur, similes sunt Protoplastis, qui cum haberent ante oculos tam arborem vitæ, quam arborem scientiæ boni & mali, adversus hanc manus extenderunt & ita malorum lernam sibi concitârunt.* Augustin. l. 2. de Gen. ad lit. c. 9. *Multi multum disputant de iis rebus, quas majores nostri majori prudentia omiserunt.* Et lib. 2. de peccat. merit. & remiss. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cobibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.* Idem in ep. 78. *Magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri.* Et in ep. 119. cap. 21. *Tantum absum ab eo, quod putasti, nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius; quia & apertissime falsum est, & miror, quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent; sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura, quam sciam.* Necnon in ep. 250. *Quid? Ipsa divina eloquia nonne palpantur potius, quam tractantur a nobis, dum in multo pluribus quærimus potius, quid sentiendum sit, quam definitum aliquid fixumque sentimus? Et ea cautio, cum sollicitudinis plena sit, multo melior est tamen, quam temeritas affirmandi.* Cyrillus Alexandrinus, proposita sibi a Monachis Ægyptiacis quæstione, num Maria esset θεοτόκος? in epistola ad

Acacium, hunc in modum respondet: *Præstaret sane ejusmodi quæstionibus omnino abstinere, & in ea, quæ abstrusioris considerationis sunt, nec aliter fere, nisi tanquam in speculo & ænigmate, vel ab iis, qui ingenii celeritate mentisque subtilitate pollent, perspici possunt, neutiquam inquirere: subtiliora enim theoremata simpliciorum captū excedunt.* Idem vetat in rebus sublimibus usurpare τὸ quomodo. De quo & similibus videantur Gessel. in Addend. ad part. II. Hist. Eccl. p. 825. & Salvianus lib. 3. de Gubernat. Dei pag. 67. editionis Rittershusianæ: *Homo sum*, inquit, *non intelligo secreta Dei, investigare non audeo, & ideo etiam attentare reformido: quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris.*

Bonaventura in lib. 2. Sentent. dist. 14. art. 1. q. 1. fol. 205. *Melius est pie dubitare, quam aliquid temere definire.* Bernhardus, Abbas Clarævallensis, Serm. 4. Omn. Sanct. *Quod nulli datum est experiri, nullus conetur effari.* Nicephorus Callistus in Dedicat. Histor. eccles. ad Andronicum Palæologum, Michaëlis filium, p. 6. eundem laudat, *quod disserere atque disputare moderatione justa, & timore multo adhibito, de rebus divinis explicate nôrit.* Thomas Kempisius de Christo imit. lib. 1. c. 3. interprete Sebastiano Castalione: *Quid prodest de occultis obscurisq; rebus arguta disceptatio, quarum ignoratio nobis fraudi futura non sit in Dei judicio?* I. Cor. II, 13. *Insignis sane stultitia est, quod neglectis utilibus & necessariis, ultro incumbimus curiosis & damnosis usque adeo, oculis præditi, tamen non videmus.* Matth. XIII, 23. Lutheri monitum est, *Deum absconditum esse deserendum, & revelatum unice adspi-*

adspiciendum. Idem, citante Baiero in Comp. Theol. 276. *Non facile*, ait, *est statuendum hoc, quod ignoramus.* Philippus Melanchthon, locos communes traditurus, in præfixa iis epistola ad D. Tilomanum Pletenerum, protestatur hunc in modum: *Non hoc ago, ut ad obscuras aliquas & impeditas disputationes a Scripturis avocem studiosos, sed ut, si quos queam, ad Scripturas invitem.* Et postquam Origenis, Ambrosii & Hieronymi mentionem fecerat, ita pergit: *Post hos fere quo quisque recentior est, eo est insincerior, degeneravitque tandem disciplina christiana in scholasticas nugas, de quibus dubites, impiæ magis sint, an stultæ.* Erasmus in Matth. c. V, 11. *Cum nobis permittamus, ut in his, in quibus totius religionis nostræ cardo est, impune simus impii blasphemique, dictu mirum, quas tragœdias excitemus, si quis ad commentitias quorundam propositiones audeat hiscere.* Martini Chemnitii T. 1. Loc. Theol. p. 17. hoc est effatum: *Filius Dei non ideo revelavit doctrinam cœlestem, ut seminaria spargeret disputationum, sed potius ut homines de vera Dei agnitione & omnibus ad salutem necessariis erudirentur.* Et ad can. I. Decreti Tridentini de Ritib. in administr. Sacram. p. 61. sic scribit: *In omnibus controversiis ea, quæ necessarium usum habent in exercitiis pœnitentiæ, fidei, & pietatis, discernenda sunt ab aliis disputationibus, in quibus opinionum diversitas, vel etiam levis quædam hallucinatio, non infert jacturam fidei & saluti.* Wolfg. Musculus, in LL. Theol. p. 12. *Decet christianum hominem ea modestia & cautio, ut nihil affirmet, nec si quis alius affirmaverit, inconsiderate*

ſiderate recipiat, quod non certo veritatis teſtimonio e ſacris literis deſumto confirmari queat. Druſ. l. 9. Præter. p. 389. proverbium, *Sus lota*, uſurpat de illis, qui ſe in luto ſophiſtico iterum volutant. Bochart. præf. in Phaleg: *Nihil ignorare, ſolius Dei eſt.* Acontius lib. 1. de Stratagem. Sat. p. 37. *De inanibus quidem quæſtionibus præceptum extat Pauli, non ut refutemus, quicquid aſſertum fuerit falſi; ſed eas ut vitemus. Quare id unum faciendum putem, ut avocentur animi a curioſis ejusmodi, nulliusque precii quæſtionibus.* Epiſcopius in Inſtit. Theol. p. 1. *Subtilitates theologicæ ſine periculo ignorari poſſunt, & tutius ſæpe ſatiusque eſt, eas non intellectas negligere, quam in iis intelligendis multam curam aut operam ponere. Nec ſcienti proſunt, nec ignoranti nocent.* Et in Part. II. Oper. in I. Joh. V, 20. p. 426. nec non diſp. IV. th. 21. p. 393. *Nobis illud Scaligeri placet:*

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Neſcire nos vult, erudita inſcitia eſt.

Petrus Molinæus in Geſſelii Hiſt. eccl. p. 593. *certum ſe eſſe,* ait, *omnes in religione errores veniſſe aut ex intemperantia ſciendi, aut habendi: id eſt, ex nimia curioſitate, avaritia, aut ambitione. Quod poſtremum malum corrupit eccleſiam Romanam. Sed ſathan conatur corrumpere noſtras* (nimirum Reformatas) *per primum. Quodſi nobis imperare poſſemus multarum rerum ignorantiam, & nobis ſatisfaceremus ad ſalutem neceſſariis, & in rebus non-neceſſariis ferre poſſemus eos, qui aliter ſentiunt, magnam abſolviſſemus partem in hac ad concordiam via.* Theod. Thummius in præfat.

præfat. ad Synopſ. præcip. articul. fidei hoc ſeculo controverſ. propoſiti ſui mentionem faciens, inter alia dicit: *ſe quæſtiones minus principales, ſecundarias &c. ſepoſuiſſe, ne primariæ (ut vitio noſtri ſeculi fieri ſolet) negligantur, & minus principalibus tempus deperdatur.* Meiſnerus part. 1. Phil. Sobriæ p. 241. negat, *de iis, quæ vel abſolute, vel certo reſpectu incognoſcibilia ſunt, diſputandum eſſe.* Dunte in Caſ. Conſc. p. 731. itidem fatetur: *Non de omnibus rebus theologicis eſſe diſputandum.* Vide & Druſ. l. 9. Præterit. Autor. Apol. pro Arndi doctr. in ep. dedicat. Part. II. Joh. Matthiæ, Epiſcopum Stregnenſem, in Conſilio de facienda inter Evangelicos concordia, G. Calixtum in Orat. ſelect. p. 100. Conc. Evang. p. 35. ac Deſid. & Stud. conc. eccl. th. 14. H. Grot. de Imper. Summ. Poteſt. circa ſacra p. 130. Hoornbeeck. diſſertat. de Controverſ. theolog. p. 26. Dreieri Gründliche Erörterung/ p. 461. Spizelii Infel. Literat. p. 816. ac ſeqq. & Speneri Pia Deſideria p. 21. & ſeqq.

Juvabit autem notaſſe illas quæſtiones, in quibus præcipue moderationem adhibere oportet, ita ut nec temere illas definiamus, nec audacius & ad contentionem aut condemnationem usq; propugnemus, immo potius ignorantiam noſtram & lubentes agnoſcamus, & ingenue confiteamur. Nec gravabimur, in gratiam Studioſorum, earum, quas in lectione meliorum auctorum ipſimet obſervavimus, aliquem ſyllabum ſuppeditare, & juxta ordinem locorum theologicorum, quo poſtea plures a Lectoribus, ſi placet, referri poterunt, diſponere atque digerere. Inter quas, ſi quæ ſunt, quæ tibi non videntur curioſæ ac dubiæ, ſed ſolubiles, nec ſuo deſtitutæ fundamento, ſcito, nos quidem tibi non repugnaturos, aut ſententiam tuam cenſoria notaturos virgula, quippe qui eas proponimus, aliunde, ut diximus, excerptas, non præfracte defendendi, ſed tibi, quantum in nobis eſt, gratificandi ſtudio: immo etiam ut appareat, in illis problematibus, in

quibus viri docti & DEO devoti a se invicem dissentiunt, utrinque prudentem piamque moderationem religiose adhibendam esse. En itaque promissum syllabum.

Ad L. de Deo. Quid sit *essentia divina* quoad definitionem rei, hoc nesciri dico. Mart. Chemnit. L. L. Theol. Part. 1. p. 39.

Deum esse ubique, totumq; esse in quavis parte orbis terrarum, novi, sed *quemadmodum* sit, nescio, Chrysost. Homil. 1. de Incomprehens. Dei nat. Episcop. Part. 2. Opp. Disp. 4. th. 21. p. 393.

Ratio *scientiæ divinæ* est incomprehensibilis; & hic, si uspiam alibi, meminisse oportet admonitionis Apostolicæ, ut sapiamus ad sobrietatem. Rom. XII, 3. Curcell. l. 2. Instit. Relig. Christ. p. 54. & Episcop. l. c. Disp. 5. th. 20. pag. 394..

Scholastici de futuris contingentibus disputantes irreverentius, quam par erat, quærere cœperunt de modo & medio, quo Deus ea in æternitate sua *præcognoscat*. Scherzer. Fascic. Disp. 2. §. 66. Calov. System. Theol. Tom. 2. p. 513.

de Trinitate. Modus *generationis divinæ* ἄῤῥητος. Rufin. in expos. Symb. Apostol. apud Cyprian. p. 385. Ambros. de Fid. ad Gratianum.

Quodnam discrimen sit inter *generationem & processionem*, hominum captum transcendit. Rauppius, (qui epitomator est cum aliorum nostratium, tum inprimis Joh. Gerhardi, & ob laborem improbum exantlatum, quem in evolvendis auctoribus probatissimis impendit, & nucleum a cortice sejunxit, a venerabili Collegio Theologico Jenensi commendatur, quemque in gratiam eorum, qui vastum Gerhardi opus non possident, sæpius heic allegabo) in Biblioth. Portat. L. de Trinit. p. 95.

An *persona & proprietas* in Deo sunt unum & idem? Difficile est certi aliquid de hac quæstione definire, & forte tu-

tius

tius apprehendi poteſt illud : Non liquet. Hutter. in L. L. Theol. p. 101.

Quomodo *differant perſonæ divinæ*, ſi non intelligo, ſufficit mihi Scriptura S. quæ dicit ac nominat Patrem, Filium, atque Spiritum S. Luther. in Pſ. 45. T. 3. Jen. Let. 491.

Modus *proceſſionis Spiritûs ſancti* non conſtat. Raupp. p. 85. Fabric. Syſtem. Theol. p. 144. Bajer. in Comp. p. 249.

Tutius eſt a quæſtione, An *Filius Dei & Spiritus S.* dici poſſint αὐτόθεος, plane abſtinere, quam eam negare. Breviar. Hülſem auct. 135.

Modus, quo *decreta* Deo inſunt, tuto ignoratur. Heidegg. in Medulla Theol. Chriſt. Part. I. 97.

Quid faciebat Dominus, antequam faciebat cœlum & terram ? Neſcio, quæ neſcio. Auguſtin. l. 11. Conf. c. 12. *de Creatione.*

Cur DEus non *prius* mundum condiderit, non conſtat. Raupp. L de Creatione p. 130.

Creationis dies cujusmodi ſint, aut perdifficile nobis, aut etiam impoſſibile eſt cogitare, quanto magis dicere. Auguſt. de C. D. l. 11. c. 6.

An tres perſonæ divinæ creantes ſunt *tres Creatores*? Phraſis hæc uſu loquendi a ſcriptoribus eccleſiaſticis nunquam fuit recepta, ac tutius agere videntur, qui ab ea prorſus abſtinent, etſi forſan illa ex vi & ſignificatione vocum defendi poſſe putetur. Joh. Muſæus in diſp. de Creat. Baier. p. 270.

An Angeli, aut quicquid aliud a Deo diſtinctum eſt, ſaltem poſſit eſſe *inſtrumentum creationis* ejus, qua aliquid fit ex nihilo ? incerta & curioſa quæſtio eſt. Baier. p. 271.

Qualis *lux* fuerit, die primo condita, difficile eſt dicere. Luther. Comment. Lat. in Gen. I, 1.

An in creatione mundi etiam *infernus*, & quidem die ſecundo ſit conditus, dici non poteſt. Raupp. p. 118.

Scrip-

Scriptura tacente, modum *productionis astrorum* neminem apodictice explicare posse arbitramur. Raupp. p. 122.
An *supra cœlos sidereos* sint veræ & naturales *aquæ*, dubitatur. Grauer. in Quæst. Illustr. disp. 8. Coroll. 1. p. 336. Jenens. Theol. Ausführliche Erklährung/ p. 200. & 262.
Quæstio de *tempore* conditi mundi in genere, & respectu universi mundi, paradisi, & cujusumque particularis regionis, otiosa est, quia quo tempore mundus cœpit, simul omnes quatuor tempestates in diversis ejusdem plagis extiterunt. Si vero ad cœli signum, in quo sol primo conspectus est, quæstio refertur, ex conjecturis quibusdam probabilibus a Scaligero & Usserio aliisque decisum est, mundum tempore autumnali, sole in libra versante, conditum esse. Heidegg. Medull. theol. christ. P. I. 125. Sturm. Phys. conciliatr. 180.
An *vermes, muscæ, & insecta*, quæ ex putredine nascuntur, cum reliquis die quinto hexaëmeri sint creata, curiosa magis, quam fructuosa est quæstio. Raupp. p. 124.
In quo loco, seu in qua parte terræ, Deus *Evam atque Adamum* produxerit, non definimus. Baier. p. 268.
Cur voluit Deus *ex Adamo dormiente Evam* formari? Acquiescere hic oportet in mera Dei εὐδοκίᾳ, potissimum cum Deus nuspiam nobis revelârit, cur maluerit ex Adamo dormiente, quam vigilante fœminam condere. Brochm. in Syst. Theol. L. de Homine primo p. 288.
Interpretes ultra id, quod scriptum est, sapere volentes, movent hic plurimas quæstiones, easque tales, quæ humano acumine non possunt certo decidi. Quærunt, an *costa*, e qua formata est Eva, e dextro, an sinistro latere educta sit? An fuerit una e costis veris, an nothis? Necessariane fuerit hæc costa, an vero supervacanea, cum adhuc ostendant Anatomici in unoquoque latere duodenas costas? Has & similes argutias mittimus, & illis excutiendas relinquimus,

quimus, qui non contenti verbo ſcripto, paſcunt & oble-ctant ſe hominum commentis. Brochm. ibid.
An *animæ poſterorum Adami* oriantur ex traduce, an vero de novo creentur, & inſerantur corporibus, non conſtat. Chytr. in c. 3. Apocal. p. 91. Strigel. in LL. Phil. T. 1. p. 441. Jenenſ. Ausführliche Erklährung / p. 208. & 300. & Auguſt. in epiſt. 7. 27. 28. 29. 157. 261. editionis Reinhartinæ.
Arborem ſcientiæ boni & mali quidam ſtatuunt fuiſſe vitem, propterea quod Chriſtus ex fructu vitis ſacramentum eucharistiæ inſtituerit: quidam ficum, quod ex ea primi parentes poſt lapſum ſubligacula ſibi parârint: quidam malum, propter locum Cant. 8. ℣. 5. Sed Scriptura tacente, quis loquetur? J. Gerh. in Iſag. Diſpp. L. X. c. 9. §. 20.
Quod *ſpatium horti (paradiſiaci)* quæ *ſedes illius*, cum Moſes amplius non definiverit, hoc certe nos divinare nec volumus, nec poſſumus, ſed in terminis (ut loquuntur) Scripturæ ultro religioſeque ſubſiſtimus. Tremell. & Jun. ad Gen. II, 1. & ad c. III, verſ. ult. Gerh. in L. cit. §. 18. Joſ. Antonius de Duplici viventium terra. p. 48.
An angeli *primo ſtatim die*, quo cœli cum luce facti, creati fuerint, id indeciſum relinquimus. Hildebr. Theol. Dogm. cap. IIX. §. 5. Brochm. L. de Angel. p. 238. *de Angelis.*
Ubi creati ſunt angeli? Etiam in hac quæſtione malumus manum ori imponere, quam temere quid ſtatuere. Raupp. L. de Ang. p. 143.
Qualis *interna* angelorum *forma* in ſe ipſa ſit, ab hominibus in hujus vitæ caligine perviderí nequit. Id. p. 144.
Quantum *ſpatium* unus occupet angelus, temerarium fuerit definire. Brochm. p. 239.
In qualinam *duratione* angelus moveatur, Scriptura S. nihil definit. Id ſaltem certum eſt, velociſſimum eſſe motum. Id. p. 240.

Quomodo cum Deo, & secum invicem *colloquantur*, in hujus vitæ imbecillitate exacte cognoscere non possumus. Raupp. p. 155.

Modus sive ratio, qua vel ad aurem forinsecus, vel ad animum hominis intus loquantur, (sive quomodo aliquid *animis hominum inspirent*) nec sciri, nec adfirmari potest. August. in Enchir. ad Laurent. c. 59. Titius in Thes. Theol. disp 3. §. 17.

An *corpora, in quibus apparuerunt* angeli, ex nihilo a Deo creata fuerint, an vero e præexistente materia ab ipsis angelis formata & assumta, præstat ἐπέχειν. Brochm. p. 237.

Esse *Thronos, Dominationes & Potestates* credo, sed quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Augustin. ad Oros. c. 10. Hildebr. §. 34. Raupp. p. 144. Curcell. p. 705.

An, quæ dicuntur de *matutina & vespertina* angelorum *cognitione*, ita se habeant, cum taceat Scriptura, non est quod operose disputetur. Hildebr. §. 10.

An angeli homines, absque ulla oculorum fascinatione, in lupos, feles, aliaque revera *immutare* possint, valde dubitamus. Id. §. 18.

An *plures sint, quam homines*, incertum est, Id. §. 6.

An quilibet homo angelum certum *sui custodem* habeat, dubium est. Id. §. 24. Scherz. in Breviculo Theol. p. 95.

Certum est, angelos quosdam *peccasse*: sed *quomodo* id factum sit, nescitur. Raupp. p. 197. J. Frid. König in Theol. Pos. Acroamat. §. 207. p. 50. Hildebr. §. 21.

Quæ *de ordine & processu* ἀποστασίας a nonnullis adduntur, ἄπερ γραφῆς dicuntur. J. Fr. König. p. 50.

Quanta *mora* inter angelorum κτίσιν & παράβασιν intercesserit, homo nullus certo definire potest. Raupp. 198. J. Fr. König p. 50.

In quo angelorum ordine fuerit is, *qui apostasiam fecit*, ex Scriptura perspicue sciri non potest. Raupp. p. 197.

Distin-

Distinctionem & ordinem malorum angelorum quod attinet, nos in vanis humani cerebri figmentis non immoramur. Id. p. 178.

Τὸ διότι, & qua ratione *boni angeli contra malos pugnent*, nullibi diserte exprimitur. Id. p. 154. Hecht in disp. Inaugur. de Michaëlis cum diabolo de corp. Mos. certam. posit. 4.

Q. an satanas, cum spiritus sit, corpus hominis penetrare, animæque ejusdem secundum substantiam præsens esse, eique *tentationes & malas cogitationes suggerere*, & sic non nisi moraliter ad hæc vel illa incitare possit? Fatendum est, nos rem quidem scire, modum autem ignorare. Bebel. in disp. de Davide peccante & pœnit. p. 7.

Cur diabolus in certis locis per *spectra* se videndum exhibet? Resp. Ejus rei certa ratio reddi non potest. Brochm. p. 259.

Quare Deus angelis peccantibus, non æque ac hominibus, *misericordia subvenire* decreverit, non constat. Raupp. p. 199.

Quemadmodum paradisum a beato seculi Autore conditum esse credimus, ubi autem, & quid proprie fuerit, ignoramus: sic homini imaginem concreatam fuisse, certo e sacris literis sumus persuasi, vere tamen (seu perfecte) *quid fuerit*, ignoramus. Quid enim mirum, si intellectum nostrum effugiat plena ejus cognitio, cujus jam dudum periit possessio? Hinc quamvis S. Scriptura, imaginis divinæ formam in justitia & sanctitate veritatis (ad Ephes. IV, 24.) collocet, ut & in externo super creaturas dominio, (Gen. I, 26. 28.) tamen quid illa justitia & sanctitas, quique ejus gradus fuerint, exacte definire non audemus. Id. L. de Imag. Dei c. 5. p. 216. *de Imagine Dei.*

Particularia de *imperio, quod fuisset inter homines* in statu integritatis, non constant. Hildebr. Th. Dogm. c. 9. §. 32.

Cœli beatorum quidditas, qualitas, situs in hujus vitæ infirmitate definiri non potest. Raupp. p. 307. J. Fr. König. p. 67. *de Beatitud. æterna.*

Quæstionem, an proprie, & oculis corporeis *DEum visuri sint* beati in futuro seculo, præstat eo differre. Raupp. p. 289. Curcell. p. 44.
An beati *libera Dei decreta & consilia visuri sint*, arbitramur, homini viatori esse incomprehensibile. Raupp. p. 286. Baierus tamen in Theol. Posit. p. 380. cum P. Musæo statuit, intellectum beatorum cognoscere illa posse, intercedente peculiari revelatione.
An beati Deum *externa voce, & qua lingua* sint glorificaturi, dici non potest. Raupp. p. 304.
Item, *an, & qua lingua usuri sint ad colloquendum* inter se ipsos: Id. ibid. & G. Calixt. de Bono perfecte summo p. 19. Dilh. T. 1. disp. 324.
Qui *motus corporum glorificatorum* futuri sint, temere definire non audeo. August. l. 22. de C. D. c. ult.
An *visiones & fruitiones beatificæ accidentali quadam ratione variaturæ sint*, divinæ providentiæ & dispositioni committimus, uti omnia. G. Calixt. in l. c. p. 31.
Quæ, & quot dotes corporis glorificati futuræ sint, in hac vita exacte scire ac definire nullus hominum potest. Raupp. p. 294.
Sufficere debet, quod scimus, ad summam felicitatem nemini fidelium quicquam illic defuturum. *Quo* autem *gradu* quisque nostrûm futurus sit, curiosum magis est quærere, quam fructuosum. Conr. Vorst. in I. Cor. XV, 39. p. 187.
Quæ de *gaudio gustus & olfactus* in vita æterna futuro dicuntur, ea decidenda in cœlestem Academiam reservamus. Hildebr. Th. Dogm. c. VI. §. 71.
de Damnatione æterna. Quæstio hæc, an *infantes* damnati, præter pœnam damni etiam pœnam sensus subituri sint, est curiosa magis, quam fructuosa. Theol. Jenens. in Ausführl. Erkl. p. 704.

De

De *pœnis organorum ſenſuum*, nimirum viſus, auditus guſtus & olfactus, nihil certi poteſt afferri. Gerh. L. de Inferno §. 71.

An τὸ πȣ̃ *inferni* ſit creatum, vel increatum, corporeum, vel ſpirituale, in hoc mundo vel extra hunc mundum, Scriptura tacente, quis dicat? Raupp. L. de Infern. p. 205. & 230.

In medio relinquimus, utrum *ignis infernalis* ſit revera corporeus, materialis ac viſibilis. Id. p. 218.

An *Nadab & Abibu*, item *filii Eli*, damnati ſint, noſtrum non eſt ſcrutari. Ceciderunt Domino ſuo. Raupp. ad Lev. X, 1. & I. Sam. II, 11.

De conditione & qualitate *infernarum manſionum* (*ubi animæ ante Chriſti deſcenſum fuerint*,) ſuperſtitioſe diſputare nihil conducit. Grabe in Append. Apol. ad Regii Form. caute loq. p. 251. *de Morte temporali.*

Quo in loco fuerint *animæ poſt exceſſum illorum hominum, qui vel a Prophetis, vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis reſuſcitati fuere*, definire non poſſumus. Caſp. Bertram. in enodat. Quæſt. Doctoral. quæ ſubjuncta eſt ejus Explicationi Pſ. II. p. 64.

Ubi ſit (*animus humanus a corpore ſeparatus*,) non refert ſcire. Satis eſt, eſſe in Dei manu, cui morientes pii ſpiritum ſuum commendant, recipiendum corpori in hora reſurrectionis. Raupp. ad Luc. VIII, 55.

Non ideo inanis fides noſtra, ſi, *quemadmodum* futura ſit (reſurrectio mortuorum,) comprehendere non valeamus. Auguſtin. l. 20. de C. D. c. 20. *de Reſurrectione Mortuorum.*

Quo diei *tempore* homines ſint reſurrecturi, non eſt ſcriptum & revelatum. Raupp. L. de IV. Noviſſ p. 109.

In qua *ſtatura* reſurrectura ſint corpora, non determinamus. Baier. p. 452.

Præſtat in his, (an *corpora*, quæ in hac vita fuerunt *manca & mutila*, reſurrectura ſint perfecta & integra, item an habitura ſint humores ſupervacaneos & excrementitios, ſemen, lac, & capillos) & ſimilibus tacere. Raupp. 87.

De *monſtroſis partubus*, de *abortivis*, de *ſuperfluitatibus corporis humani*, certi nihil definimus. Hutter. diſp. 22. §. 54. Raupp. 94.

de Judicio extremo. Modum ac determinatam rationem *ſignorum cœleſtium*, quibus Deus judicium appropinquans quodammodo cognoſcendum exhibet, ac ſpeciatim caſus ſiderum in terram, revelatum non habemus. Baier. 458.

Quodnam *ſignum Filii hominis* (Matth. XXIV.) ſit futurum, noſtrum non eſt definire. Hutter. in diſp. 22. §. 18. Baier. 459.

Quo *anno*, multo minus qua *die*, aut qua *hora* Chriſtus ad judicium venturus ſit, non conſtat. Chytr. in c. 3. Apocal. Joh. p. 91.

Neque etiam conſtat de *loco, ad quem*. Raupp. p. 144.

Quo modo ac *ordine* judicium ſit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet conſequi ad perfectum hominum intelligentia. Auguſtin. l. 20. de C. D. c. 30.

An *angeli* etiam ſint judicaturi, Scriptura tacente, affirmandum non eſt. Raupp. p. 134.

Quodnam futurum ſit *ſanctorum hominum judicium*, ingenue ſe neſcire profitetur Lombardus IV. Sent. diſt. 47.

Cauſſæ cognitio fiet per omniſcii Judicis φωνισμὸν, I. Cor. IV. 5. Qualem ? Non conſtat. Dannhauer. in Chriſtoſoph. p. 391.

Qualiter *hæretici* (e. g. æternam Chriſti generationem negantes) pro hoc ipſo falſæ opinionis errore, in die judicii puniendi ſint, nullus poteſt ſcire, niſi Judex. Salvian. l. 5. de Gubern. Dei, c. 143.

Qualis

Qualis *clangor tubæ archangeli* in consummatione mundi sit futurus, hominem exacte scire arbitramur neminem. Raupp. p. 81. *de Consummat. seculi.*

Cur Deus primum mundum diluvio perdiderit, *cœlos* autem *& terram igne sit consumturus*, præcise dici non potest. Raupp. p. 184.

Neque etiam liquet, *qualis ignis ille, & in qua mundi vel rerum parte* futurus sit. Id. ibid. Baier. Comp. 470.

An cœlum & terra substantialiter, vel tantum accidentaliter *transmutanda* sint, quæstio est speculativa & otiosa. Scheibl. in Manuali ad Theol. Pract. p. 604. Hutter. in disp. 22. §. 28.

Quæ *novi cœli & novæ terræ* Apoc. XXI, 1. futura sit *conditio*, curiosius indagare nec possumus, nec debemus. Hutter. l. c. §. 29.

Quando Adamus est lapsus? Nos in re incerta, tacentibus Scripturis, assensum suspendimus. Raupp. L. de Lapsu Hom. p. 325. Heidegger. de Libertat. a lege cibar. vet. p. 24. *de Peccato.*

Modo id ratum sit, quod reapse *Adam factus sit inobediens*: de cetero parum attinet altercari, quomodo adductus eo usque processerit, vecordia an contumacia, errore an consilio. Fabric. Syst. Theol. 311.

Qualis fuerit *fructus* ille, quem decerpendo peccavit Eva, dici non postet. Raupp. de Lapsu hom. 313.

An *peccata proximorum parentum* transeunt in liberos? Ut hæc quæstio est minus necessaria, ita & responsio incerta. Raupp. de Pecc orig. 366.

Quando in *infantibus rationis usus* incipiat, secundum quem peccata actualia proæretica ipsis attribui possint, Scripturis tacentibus, nos quoque taceamus, neque temere certum ætatis terminum constituamus. Hutter. LL. Theol. p. 348.

Non

Non opus eſt, nec fortaſſe conſultum, ut ſubtilius diſputetur: quomodo Deus lapſum protoplaſtorum, poſteris ipſorum nondum exiſtentibus, ita *imputare* potuerit, ut propterea etiam ipſos juſtitia originali deſtitutos & peccatores naſci oporteret. Baier. 510. & Cleric. ad c. 3. Gen.

Satis eſſe poteſt, ſcire, primos parentes lapſu ſuo meritos eſſe, ut quales ipſi erant poſt lapſum corpore & anima, tales procrearentur omnes poſtea. *Quomodo* autem *malum illud contrahat anima*, ſalva fide poteſt ignorari, quia Spiritus S. non voluit hoc certis & perſpicuis teſtimoniis patefacere. Mart. Chemnit. de Pecc. Orig. P. 1. LL. Comm. p. 236. Auguſtin. in ep. 29.

de Chriſto. In pace catholica pacifico ſtudio requiramus, parati corrigi, ſi fraterne ac recte reprehendimur, parati etiam, ſi ab inimico, vera tamen dicente, mordemur: *utrum indiſcrete Deus apparuerit Patribus noſtris, antequam Chriſtus veniret in carne, an aliqua ex Trinitate perſona, an ſingulatim quaſi per vices.* Auguſtin. l. 2. de Trinit. c. 9. & l. 3. c. 10. Origen. l. 6. contra Celſum; & Luth. in Gen. c. XIIX. p. 238. Tom. 6. Opp. Jenenſ.

Quare Filius, non Pater, nec Spiritus S. *carnem aſſumſerit*, nemo exprimere poteſt. Raupp. L. de Chriſto p. 108.

Cur non citius incarnatus ſit Filius Dei, ſi quæras, reſp. In eo fragilitatis humanæ non eſt, ſapientiæ Dei impervestigabili præſcribere limites ac tempus: Autor Operis novi Caſ. conſc. p. 117.

Num Chriſtus *ſecundum carnem ſit filius Dei naturalis vel adoptivus*, difficilis eſt quæſtio, & curioſa. G. Calixt. in Programm. feſti Natal. A. 1643. n. 44. 49.

Modum *conceptionis Chriſti* ſcrupuloſius ne ſcrutemur. Raupp. 110.

De modo *unionis duarum in Chriſto naturarum* non conſtat. Id. 150.

An

An *in uno momento* corpus Christi organicum plene efformatum, & anima illi unita fuerit, non disputamus. Baier. 574. Christi *ex utero materno egressio*, ruptone virginali claustro, an clauso facta fuerit, apodictice ex Scriptura non liquet. J. Frid. König. in Theol. Pos. p. 163. Dannhau. in Christosoph. p. 216.

Qualis fuerit *exinanitio* Christi, nec intelligi, nec cogitari potest. Raupp. p. 233.

Quomodo affectus fuerit Christus, quum largissime in horto *sudavit sanguinem*, non possum effari, nec percipere. Luth. in Conc. super art. 2. Symb. Apost. T. 6. Opp. Germ. Jen. pag. 81.

Problema hoc, an Christus *in triduo mortis homo*, vel non-homo, & an soluta tunc fuerit unio hypostatica? non movetur ad ædificandum, sed ad exagitandum, nec ex Scripturæ fontibus, sed ex turbidis Scholasticorum lacunis hauritur. Raupp. p. 240.

An Christus *pro finali etiam incredulitate & impœnitentia satisfecit*? Quæstio hæc magis est spinosa, quam fructuosa, magis excogitata pie doctos exagitandi, quam imperitos ædificandi caussa. Id. p. 228.

Ad *quem statum*, exinationisne vel exaltationis, *descensus Christi ad inferos* sit referendus, non liquet. Lib. conc. in Epit. art. p. 584. & Schröder. im Nützlichen Unterricht. p. 214.

Quomodo in infernum descenderit, nec concipi, nec verbis exprimi potest. Luth. in Conc. super 2. artic. Symb. Apost. Tom. 6. Jen. Germ. p. 81. 82. Form. Conc. l. c. & in Solid. Repetit. c. 9. p. 750.

Futiles quæstiones sunt: An *sola anima descenderit*? aut, an *Deitas* cum ea fuerit? *quid ibi* Christus fecerit? *quomodo* egerit cum diabolis? Luth. l. c. p. 82.

Quando descendit Christus ad inferos? Etiam hoc christianæ modestiæ relinquimus. Raupp. p. 245.

Quamdiu in inferno manſerit, Scriptura non revelat. Scherz. in Syſtem. Theol. p. 245.

An Chriſtus *reſurrexerit*, *ſepulcro* manente, vel non manente clauſo, Evangeliſtæ non diſtincte narrant. H. Nicol. de Med. relig. 13.

Quæri ſolet, cur Chriſtus *die præciſe tertio reſurrxerit*? Sed pia ſententia eſt, iſta in religionis myſteriis ignorare velle, quæ Spiritus Dei in SS. Scripturis non revelavit. Brochm. Syſt. Theol. P. 1. L. de JEſu Chriſto p. 913.

Qua motus ſpecie poſt ſubductionem ex oculis iverit in *aſcenſione* Chriſtus, quia nubes texit, Act. I, 9. non retegere poſſumus. Scherz. in Brevic. Theol. p. 84.

Ubi & quomodo ſit *in cœlo corpus dominicũ*, curioſiſſimum & ſupervacaneũ eſt quærere. Auguſt. lib. de Fide & Symb. c. 6.

Quod attinet diſputationem de *ubiquitate*, an corpus Chriſti, etiam extra cœnam, ubiq; & in omnibus locis ſit, eam tantisper ſeponimus, & remittimus ad academiam Chriſti cœleſtem. Corp. doctr. Jul. de Potioribus artic. qui h. t. in controverſ. vocantur, c. 1. p. 55.

An *Chriſti interceſſio*, quam obit in ſtatu exaltationis, verbalis ſit, an tantum realis, non neceſſe eſt definire. Theol. Jen. Ausführl. Erklähr. p. 535. 539.

de Regeneratione & Converſione. Quod Deus in converſione intellectum hominis illuminet, & voluntatem cum aliis animæ facultatibus inclinet, certum eſt, ſed *quomodo* id faciat, Nicodemianum eſt quærere. Dreier. Gründl. Erört. p. 489.

De *contritione* præcidimus illas otioſas & infinitas diſputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Apol. A. C. p. 371. libb. Normal. Norib.

Quæ ſit *ratio fidei infantum baptizatorum*, non ſatis eſt nobis cognitum, nec explicabile. M. Chemnit. in Exam. Conc. Trid. P. II. de Bapt. ad can. 13. Raupp. L. de Invocat. p. 264. & Loc. de Bapt. p. 156. Dürr. Iſagog. in LL. Norm. Norib. p. 127.

An

An Christus est causa Justificationis *sensu absoluto, vel comparato & ex hypothesi*, quia Deo sic placuit, per ipsum servare homines? Resp. De spinosa hac quæstione non est, ut multis soliciti simus. Raupp. L. de Justificat. p. 73. *de Justificatione.*

Quo modo *infantum baptizatorum ratio* comparata sit, exacte definire non valemus. Raupp. de Invocat. p. 264. *de Invocatione.*

Si quis *angelorum bonorum orationem* probabiliter colligere velit ex communione Ecclesiæ militantis & triumphantis, per me id colligat, licebit. Interim in angelos non competunt pleraque, quæ hoc in articulo de Invocatione in medium proferuntur. Raupp. p. 265.

Satius erit, *de materia cœlesti sacramenti in genere*, silere, quam dubia dicere. Baier 839. *de Sacramentis.*

Cur *solis masculis* præcepta fuit *circumcisio*? Nos dicimus principalem causam esse Dei voluntatem, cujus rationes intellectus nostri tenebris non sunt obviæ. Raupp. de Circumcis. p. 48.

Quare *agnus* ad sacramentum paschatis electus fuit? Hoc is novit, qui omnia. Id. p. 61.

Non necesse est, ut simus nimis scrupulosi *de modo operandi & conferendi gratiam, sacramentis proprio*, num scil. efficacia sacramentorum sit physica, an moralis. Baier. 846.

Johannem baptistam explicite in nomine trium personarum divinarum baptizasse, non liquet. Voss. in Dispp. de Baptis. p. 111.

Quæstio, num *baptismus Johannis* eandem vim habuerit cum baptismo Christi, *otiosa est*. G. Calixt. in Resp. Theol. Mogunt. Vindiciis oppos. n. CIV.

In quæstione *de materia cœlesti baptismi*, curiositas vitanda est. Baier. 877.

Apostolus 1. Cor. XV. 29. argumentum *de baptismo super mortuis*, adversariis suis objicit, etiamsi nos, quale id sit, certi nondum simus. G. Calixt. Exposit. lit. in h. l.

An *Christus ipse cum suis discipulis eucharistia usus fuit*? Resp. Ubi de re obscurissima quæritur, non adjuvantibus certis & perspicuis verbi oraculis, cohibere se debet humana præsumtio temere in alterutram partem aliquid definiendo. Raupp. L. de S. Cœna. p. 267.

Quali *mensa*, lignea an lapidea, Christus (in eucharistiæ institutione) fuerit usus, non perinde constat. Joh. Schröder. in Catech. p. 557.

Incertum est, *qua forma*, quove modo, Servator *panem fregerit*. Hutt. in LL. Theol. p. 691,

Incertum quoque, Christum panem fractum ita *distribuisse* inter Apostolos, ut cuilibet particulam in manum dederit. Id. ib.

Quæstiones de *instanti consecrationis* excludimus, nec Deo τὸ νῦν vel tempus præscribimus. Raupp. 285. Baier 919.

Modus præsentiæ Christi in S. Cœna est impervestigabilis. Luth. in epist. ad Helvet. de Concord. quæ extat Tom. 6. Jen. Germ. p. 543. M. Chemnit. de Fundam. S. Cœnæ c. 5. & c. 7. n. 8. nec non de Duab. Nat. in Christo c. 30. p. 206. Pomeranus in Hist. A.C. de art. X. contra Wolffium p. 85. M. Ant. de Domin. l. 7. de Rep. Eccl. c. 11. p. 200.

de Prædestinatione. An Deus *omnes* voluit *electos*? Resp. Quid prodest de universali electione catachrestica sive actuali sive possibili disputare, postquam ex infallibili Scripturæ revelatione Eph. I. 4. satis constat, Deum omnes quidem voluisse & velle salvos, elegisse tamen non nisi in Christum credentes? Olear. in continuat. Isag. Carpzov. in Libb. Symbol. p. 1681.

Non diffiteri possumus, stante benevola Dei voluntate de salvandis per fidem in Christum omnibus, stante catholico Christi merito, eidemque innixa intercessione mediatoria pro omnibus omnino hominibus, esse quædam in mediorum salutis dispensatione inter æquales sæpe inæqualia, arcano

arcano ac imperveſtigabili Dei judicio committenda. Rom. XI. 35. Joh. Fr. König in Theol. Poſ. p. 187. Cyr. Spangenb. e Rhegio, Luth. & Philippo in Reſp. ad Theol. Lipſ. & Witteb. 𝔊. & ſeqq.

Deciſio de *polygamia Patriarcharum* non eſt præciſe neceſſaria, cum poſſimus de ea citra reprehenſionem ἐπέχειν. Scherz. in Syſtem. p. 804. Gerhard. L. de Conj. §. 224. &, qui ab ipſo citantur, Chemnit. Exam. Conc. Trid. de Matrim. Seſſ. 24. can. 2. p. 422. Menzer. Tom. IV. Diſpp. Marpurg. XV. th. 72. & Meiſn. part. 1. Philoſ. Sobr. ſect. 2 c. 5. p. 412. & ſeqq. *de Conjugio.*

Sic & extra Locos Theologicos in lectione Scripturæ S. interpretum, aliorumve auctorum ſacrorum verſanti, occurrunt nonulla ſimilis monetæ, in quibus ſive interpretes, ſive ſcriptores, moderationem præ ſe ferunt, & vel ignorantiam ſuam fatentur, vel ita ſentiunt, *ut propterea cum diſſentientibus ſerram contentionis non audeant reciprocare*, multo minus anathematiſmi fulmine eos ferire. Talia ſunt ea, quæ ſub titulo VARIORUM lubet exhibere.

Quo *tempore Cainus ſit natus*, otioſe quæritur, tacenteque Scriptura, quis loquetur? Raupp. in Gen. IV. 1. *Varia.*

Quibus armis *Cain Abelem* interfecerit, otioſe quæritur. Raupp. in Gen. IV. 8.

An *Paradiſus* etiam nunc duret, vel per diluvium fuerit vaſtatus, non neceſſarium eſt quærere. Olear. in Gen. II. 8.

Quodnam *ſignum* poſuerit Dominus in *Cain*, ne occideretur, ignoratur. Id. ib. ad verſ. 15.

Cur *non* fuerit *ſupplicio capitali* propter homicidium punitus, cauſam ejus difficile eſt invenire. Judicio Dei id tribuendum. Id. ibid.

Quo fine ædificârit ille urbem, dubium eſt. Id. ad verſ. 17. Immo non ædificavit, ſed tantum ſtuduit ædificare, vi autem maledictionis divinæ intermittere opus coactus eſt, ſi credere volumus Junio in eundem loc.

Quo mortis genere vivis exemtus fuerit, ingenue fateor, me ignorare. Calemberg. in Decad. Aphorism. Histor.
An *urbes* ab initio mundi nostris similes, murisque cinctæ fuerint, aut pagorum potius formam habuerint, incertum est. Joh. Wülfer. in not. ad orat. inaugur. 64.
Quo translati sunt *Henoch & Elias*? Ignoro. Chrysost. hom. XXII. in c. XI. ad Hebr. T. 4. 158. Esr. Rudinger in Tunica funebr. 28. Grabe in Append. Apol. ad Regii form. caute loq. p. 209. Salian. T. 4. Annal. Eccl. p. 75. P. Martyr Vermil. in 2. Reg.
Modum & processum *translationis Henochi* nemo a nobis poscat. Neque enim eum exponere nostrarum est partium, nec, si foret, afferre certi quicquam possemus. Aug. Pfeiff. disp. de Henocho c. 3. §. 8.
Quid in qualibet contignatione *arcæ Noæ* fuerit collocatum, exacte definiri non potest. Raupp. ad Gen. VI. 16.
An Sem, Cham, Japhet, *filii Noachi*, hoc ipso ordine nati sint, an Japhet primogenitus sit, Cham minimus, res est dubia, & ab utraque parte suis subnixa argumentis. G. Calixt. in Gen. X, 1.
Infinitas alias quæstiones de *arca Noæ* amputabimus. Quali *aëre* in arca sint usi? Unde hauserint *aquam*, qua poti sunt? Quomodo potuerit *sentina* exhauriri, quæ graviter olet? Hæc & alia accidentia, quæ navigantium usus ostendit, præcidamus; alioqui nullus quæstionum finis erit. Luther. in Gen. c. VI. p. 100.
Quidnam *Ana invenerit* in deserto, thermasne, an mulos, aut gigantes, obscurum est. Ideo certi forte quid heic statui nequit. G. Calixt. in Gen. XXXVI. 24.
Qui fuerint IV. illi *Reges*, *bellum facientes Abramo*, Gen. XIV. & ubi regnaverint, in tanta antiquitate & defectu aliorum Scriptorum, non est clarum. Hist. Eccl. Goth. T. I. 50.

Quid-

Quidnam fuerint *dudaim*, ſive fuerint *faſciculus* fragrantium florum, vel amabilium *fructuum*, ſive *mandragoræ*, aut *poma* amoris, vel *violæ*, *ficusve Pharaonis*, alias dicti poma paradiſi, nec dicere poſſumus, nec ſcire intereſt. J. Olear. & Cleric. in Gen. XXX. 14.

Nos cauſam, quare convictum Hebræorum *Ægyptii* abominati fuerint, exacte ſcire non poſſumus. G. Calixt. in Gen. XLII. ult.

Quomodo afflixerit *Sara* Hagarem, non refertur. Seb. Schmid. in Gen. XVI. 7.

Quænam *plagæ* fuerint *Pharaonis*, quibus ille ob raptam Abrahami uxorem affectus fuit, certo determinari nequit. G. Calixt. in Gen. XII. 17.

Pellices quidem non eodem in honore cum juſtis uxoribus habitas fuiſſe, ex ſacris literis conſtat: ſed quodnam inter utraſque diſcrimen eſſet in aliis, non liquet. Cleric. in Gen. XXII. 24.

Cogitando complecti non poſſumus, quo modo eſſentia ſpiritualis & incorporea (ſcilicet *Deus*) *literas ſaxo* (tabulis decalogi) inſculpat. Chytr. in Comment. in Exod. 32, 16.

Qua ratione per *Urim & Thummim* in pectorali Sacerdotis ſummi peracta fuerit revelatio, incertum eſt. J. Muſæus in Introd. in Theol. p. 227. Dannh. T. 1. Theol. Conſc. p. 3.

Quis *Melchiſedek* fuerit, qui Abramo protulit panem & vinum in commeatum, tacente Scriptura, dicere non poſſumus. Glaſs. Phil. S. 971.

Quis *additamenta illa*, *quæ Moſis ævo poſteriora* ſunt, ac de ejus morte loquuntur, conſcripſerit, dici non poteſt, nullumque ſapiente ἐποχῇ tutius ac certius eſt perfugium. J. Cleric. Diſſert. III. Commentario in Gen. præmiſſa.

Quo

Quo modo *Rebecca Dominum consuluerit*, quoniam Scriptura non explicat, nos latet. G. Calixt. in Gen. XXV. 22.

Ubi sepultum sit corpus Mosis, quoniam Deus loco Israëlitis incognito sepelire ipse voluit, non constat. Hecht. in disp. inaug. de Michaël. archang. cum diab. de corp. Mos. certam. Posit. 5.

Moses, an Jobus *librum Jobi* scripserit, incertum. Seb. Schmid in Jobi c. 1. p. 4.

De *tempore, quo vixit Jobus*, cum Scriptura nihil definiat, nec nos definire possumus. Seb. Schmid l. c. p. 4.

Qua in parte terræ habitaverit, non constat. Id. p. 5.

Non juvat in *ratione nominum* (*propriorum*, ut Jeminah, Kezia, & Karan haphuch) curiosos esse. Id. in Job. c. 42. vers. ult.

Undenam corvi *cibos Eliæ* attulerint, ignoratur. Augustin. l. 2. de Mirabil. c. 15.

An ab initio statim hæ, quas habemus, *vocales Hebrææ* consonis additæ sint *& figura & numero*, in medio nunc relinquo. Hotting. in Thes. Philol. p. 401. Buxtorf. in Tiber. c. XI. p. 30.

Obscura plane est & explicatu difficilis *instrumentorum musicorum* veteris testamenti nomenclatura. Grellot. Prodrom. in Apocal. VI. 8.

Hebræorum Doctores differentiæ rationem inter שיר *Schir* & מזמור *Mismor*, nec non inter שיר מזמור *Schir Mismor*, & מזמור שיר *Mismor Schir*, se ignorare, ingenue agnoscunt. Vatabl. in Ps. 30.

Quale instrumentum fuerit נגינה *Neginah*, non facile definietur: tactu motas fuisse fides ipsius, probabiliter satis credi videtur. Geier. ad Ps. IV. 1.

Cum probabile sit, נחילה *Nechilah* esse instrumentum musicum, & quidem pneumaticum, tam diu ita statuimus, usque dum certiora monstrentur. Geier ad Ps. V. 1.

De

De Hessenis, quando originem habuerint, incertum. J. Druſ. de Haſid. p. 32.
Non multum refert, cucurbitane vel frutex fuerit קיקיון kikajon ille ſubito procreſcens, & aſcendens ſuper tugurium Jonæ, ad parandam ei umbram. Luth. in gloſſa marg. ad Jon. c. IV, 6. & Tarnov. in eund. loc.
An *Ethnicorum expiatio*, ἡ τελετή, reſponderit omni ex parte holocauſto Judæorum, non liquet. Fabric. Diſſert. de Cacozel. Gentil. in Dilh. Diſpp. T. II. 213.
Quo *anno aut die nata fuerit Maria*, mater Domini, certo ſtatuere non audemus. Hiſt. Eccleſ. Goth. 54.
Quî potuerunt paſtores *locum* dignoſcere, *ubi erat Jeſus recens natus cum matre?* R. Quod Scriptura ſiluit, ego libenter ignoro. Cauſaub. in Exerc. II. ad Annal. Eccl. Baron. p. 148.
An *ſtella*, quæ præluxit Magis, fuerit vera ſtella, vel angelus, non conſtat. Chytr. in c. III. Apoc. p. 91.
Quando, & quomodo *reſponſum Spiritûs ſancti*, cujus mentio fit Luc. II. 26. acceperit Simeon, textus non dicit. Finck. in Tom. IV. Diſpp. Gieſſ. p. 459.
De *Magorum*, ad recens natum Chriſtum venientium, *nominibus, dignitate, numero, patria, loco ſepulturæ*, multa incerta & curioſa afferuntur. Cauſaub. in Exerc. II. p. 164.
Quot infantes Herodes occiderit, incertum eſt. Raupp. in Matth. II, 16.
Quot annis ante paſſionem Chriſti primum aparuerit *virtus miraculoſa piſcinæ Betheſdæ*, non effantur oracula ſacra. A quanam igitur epocha ſit hiſtoria ejus inchoanda, audacius foret determinare. Lightf. ad Joh. V. 4.
Quousq; duraverit, etiam incertum. Id. ibid.
An *ſæpius*, an vero *ſemel* tantum quotannis (ſanatio illa in lacu Betheſdæ) contigerit, & an in feſto, aut alias, nihil eſt certi. Gomar. in Joh. V. 2. p. 384. G. Calixt. in Concord. Evang. p. 111.

An *Petrus* singulari Dei impulsu *se præcipitârit in mare*, non constat. Olear. in Joh. XXI, 7.
Quænam fuerit mulier illa *peccatrix* Luc. VII, 37. Spiritu S. tacente, dici non potest. Olear. in h. l.
Quo tempore corruerit *turris in Siloam*, incertum. Lightf. in Luc. XIII, 4.
Nostrî non interest, scire, quis *mons* fuerit, *in quo transfiguratus est Christus*: nam tacente Scriptura, tacet fides. Olear. in Marc. IX 2.
Qualis fuerit, & quomodo per potentiam divinam facta *apparitio Mosis & Eliæ*, quum in monte Christus transfiguraretur, & specimen quoddam futuræ suæ gloriæ præberet, sublimius sine dubio est mysterium, quam ut omnia illius arcana mente nostra valeamus penetrare. G. Calixt. disp. de Statu anim. separ. th. 4.
Quinam fuerint *duo illi discipuli*, *quos Christus misit in vicum*, ad adducendum asinam, ejusque pullum, dici non potest. Raupp. & Jansen. in Matth. XXI, 1.
Neque etiam, quis fuerit ille *vicus*. Raupp. ad v. 2. cit. cap.
Cur Christus *Judam admiserit ad S. cœnam*, cum tamen sciret, eum accedere indigne, id ejus sapientiæ solum notum est. Dedek. Consil. Theol. vol. 1. p. 689.
Curiosi lectoris est, quærere, unde aut a quo discipulo *lavandi* fecerit initium. Maldon. in Joh. XIII, 5.
Quid passa fuerit *Pilati uxor* in somnio, Christi causa, non constat. Jansen. in Matth. XVII, 19.
An Christus in *flagellatione* certum plagarum numerum acceperit, asserere non possumus. Henr. Müller in Christo patiente, p. 105.
An *columna*, cui Christus flagellandus alligabatur, marmorea fuerit, vel lignea, profundum in historia passionali est silentium. Id. ibid.

Cum

Cum ruborum multæ ſint ſpecies, inanis & inutilis labor fuerit, velle quærere, quæ potiſſimum ſpecies ad hanc *coronam*, quæ Chriſti capiti impoſita fuit, ſit adhibita. H. Müller in Chriſto pat. p. 114.
De *hora crucifixionis* juxta Marcum c. XV, 25. & Joh. XIX, 14. nihil certi conſtat. Id. p. 145. & G. Calixt. Conc. Evang. lib. 6. c. 7. p. 395.
Quomodo *ſpongia aceto plena hyſſopo circumpoſita* fuerit, in medio relinquendum eſt. Camerar. apud Eraſm. Schmid. in Joh. XIX. 29.
Utrum *latus Chriſti* lancea fuerit vulneratum, non liquet. Er. Schmid. in Joh. XIX. 34.
Quis fuerit ille *juvenis*, qui ſindone tectus, Chriſtum captum ſecutus, quærere, curioſum & vanum eſt. Caſaub. in Exercit. ad A. 34. n. 68. p. 523. Olear. in Marc. XIV. 15.
Qua hora, vel quo momento temporis matutini Chriſtus *ſurrexerit*, definire nemo poteſt. G. Calixt. in Conc. Evang. l. 7. c. 1. p. 408.
Quis ille fuerit *mons*, in quem Chriſtus juſſit abire diſcipulos poſt reſurrectionem ſuam, certum non eſt; quamvis plerique probabiliter putent, fuiſſe Thaborem. Janſen. in Matth. XXVIII, 16.
Cur *Thomas* dicatur geminus, non poſſumus exacte ſcire. Dilherr. in Poſtill. Emblem. T. II. p. 650.
Stephano defuncto melius ceſſiſſe, h. e. funus ei paratum eſſe, verba verſ. 2. cap. 8. Act. ſatis evincunt. At vero an illud ex indulgentia Synedrii erga damnatum, an quod damnatus non fuerit a Synedrio, judicent alii. Lightf. in Act. VIII. 2.
An Paulus (ut refert in 1. Cor. XV. 32.) proprie *pugnârit Epheſi cum beſtiis*, an per θηρία intelligat feroces quosdam homines, cum quibus ei decertandum fuerit, incertum eſt. Et in horum ingnoratione nihil damni patietur religio. Er. Schmid. ad h. l.

An *complacentia Regis Agrippæ* Act. XXVI. 28. fuerit actus simplicis complacentiæ, adeoque animalis, vel spiritualis, incertum est. Theol. Jen. Ausführl. Erkl. 406.

Qualis *Lycaonica lingua* fuerit, expiscetur, cui est animus & facultas: nos talia nec audemus nec possumus. Lightf. ad Act. XIV. 11.

Quis *auctor epistolæ ad Hebræos*, ignotum est. Luther. in præfat. in illam.

Ubi, & quando quinquies acceperit *Paulus plagas* a Judæis, ex historiis non satis constat. Raupp. ad 2. ad Cor. XI, 24.

Similiter ubi, & quando ter *virgis cæsus* fuerit. Id. ad v. 25.

An inter *aulicos Cæsaris Neronis* (de quibus Paulus ad Phil. IV. 22.) etiam Seneca præceptor Neronis fuerit, affirmari certo non potest. Er. Schmid. ad l. c.

Modus *conversionis Judæorum futuræ* nos latet. Spener. in Piis Desid. p. 73. Niemann. in disp. de Myster. Israel. salvandi, Rom. XI, 25. th. 45. Gerh. L. de Extr. Judic. §. 3. p. 96.

Quid hoc sit, propter quod mulier debet habere *potestatem in capite propter angelos*, nondum mihi liquet. Beza in not. ad 1. Cor. XI. 10.

Quando incipiant *anni mille, quibus satanas ligabitur*, non adeo est in propatulo. Meminerimus, hic esse modeste agendum: visiones enim cœlestes ex eventu demum plenissime cognoscuntur. Feurb. in Append. disp. de Ultimo Christi Adv. contra Phil. Cæs. Tom. VII. Dispp. Gissens. p. 299.

An *Origenes* salvatus sit, vana & inanis est quæstio. Petr. Dan. Huetius l. 2. Origenic. c. 4. n. 9.

Quis *autor* sit pericoparum *evangel. & epistolicarum*, de eo dubitatur. Hildebr. disp. de Veter. Concion. §. 36.

At quid tandem, inquies, remanebit nobis in theologia tractandum vel explicandum, si tot quæstiones in numero

earum censendæ sunt, quæ pro otiosis, aut certe non-necessariis haberi, ac moderationi theologicæ locum relinquere debent? Facilis ad hæc est responsio. Enim vero non magis metuendum est nobis, ne, omissis, vel certe, quum non omnia unius & ejusdem sint farinæ, parce sobrieque tractatis curiosioribus ejusmodi ζητήμασι, omnisq; nostra opera, omnisq; labor frigeat pereatque, quam œconomis, si, neglectis præteritisq; cibis ineptis atq; inutilibus, de iis conquirendis & promendis sint solliciti., qui ad familiam alendam sunt necessarii, eique convenientes. Vastissimum & inexhaustum mare est theologia, etiamsi repurgetur a spuma & immunditie curiosorum & inexplicabilium problematum. An desunt nobis in sermone divino, quæ vel ad morum probitatem, vel ad fidei veritatem referenda sunt, & in quibus laudabile nos exercitium facere possumus ac debemus? Annon sunt etiam alia in Scripturis, ut de epistolis Paulinis Petrus 2. ep. c. III, 16. loquitur, δυσνόητα, sive explicatu difficiliora, *ad domandam labore superbiam, & intellectum a fastidio removendum, cui facile investigata plerumq; vilescunt? Nam magnifice & salutariter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret*, ut optime scribit Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. c. 6. Et apposite Gregorius, cognomento Magnus: *Divinus sermo in mysteriis prudentes exercet, & plerumq; in superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* in epist. præfixa Moral. c. 4. In hisce igitur difficilioribus evolvendis curiosi esse possumus ac seduli, dummodo rursus observemus, ut ne quid nimis,

nec curiositas nostra tendat ad nudam & vanam speculationem, aut ingenii ostentationem, propriæque famæ aucupium, sed ad nostrum pariter & aliorum profectum. Vide Rechenbergii Bigam Dissertationum de Male-sana & sana in Theol. Curiosit.

Et quidem ad recuperandam conservandamve hac in parte moderationem theologicam maxime conducent, atque inprimis salutaria erunt sequentia φάρμακα sive remedia. I. Ne ambiamus plus scire, quam Deus revelavit. II. Ne inquiramus ubique τὸ *Quomodo* : Ubi enim nullæ causæ præceptionum divinarum, aut rerum in scriptura propositarum occurrunt, acquiescendum est in divina voluntate, cui ejusmodi præcepta visum fuit promulgare. Deo citra controversiam constat ratio suorum præceptorum. Nobis, si nullam perspicere possumus, sufficiat, Deum præcepisse: si vero aliquam assequi nobis videmur, ne arroganter nos geramus, nec sententiam nostram aliis, quibus forte non arridet, odiose obtrudamus. G. Calixt. in ep. ad Tit. c. III. 9. p. 34. III. Ut subinde agnoscamus & profiteamur inscitiam nostram. IV. Ut videamus, num ζήτημα conducat ad vitam æternam, aut ædificationem. V. In Scripturæ interpretatione ne immoremur multum cuiq; verbo. VI. Ut sinamus unumquemque, qui fundamentum fidei non evertit, suo abundare sensu. VII. Ut solidam & perfectam eruditionem nobis comparemus. IIX. Ut indocti & curiosi jubeantur in simplicitate fidei acquiescere, & in vicem disputationum, officiis pietatis & charitatis operam dare. IX. Divini libri sobrie legendi, & jugiter meditandi. Ludovic. Crocius præfat. in Apologet. A. C. Hisce remediis si Theologorum vulgus usum fuerit, ***non erit profecto tanta digladiatio de nihili quæstiunculis***, fatentibus genuinis theologiæ filiis, ***esse omnino quædam, quæ citra pietatis dispendium ignorari possint***, sicut eleganter scribit Erasmus ὁ ἱεράσμιος ad Adag. Quot homi-

homines, tot ſententiæ, p. 99. Cujus ſummi viri aliis verbis, quibus commentationem ſuam de curioſis Theologorum quæſtionibus ad 1. ad Tim. 1. ℣. 4. obſignat, colophonem etiam huic diſſertationi imponimus: *His* (inutilibus nempe & frivolis quæſtionibus) *ſerio occupantur Theologorum ſcholæ. His ætas rerum omnium fugaciſſima conteritur, cum pleraque ſint ejus generis, ut doctius neſciantur, quam ſciantur, ut ridicule quærantur, temere definiantur. Breve tempus eſt, & arduum eſt negotium, agere vere chriſtianum. Quin igitur omiſſis rebus ſupervacaneis, ea potiſſimum ſpectamus, quæ Chriſtus nos ſcire voluit, quæ prodiderunt Apoſtoli, quæ proprie ad charitatem faciunt, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quam unam Paulus appellat finem & perfectionem totius legis. Tot jam annis cavillamur in ſcholis, quibus verbis ſit loquendum de Chriſto. Quin illud potius agimus, quibus rebus transformemur in Chriſtum!*

DIS-



DISSERTATIO VI. DE SCYLLA THEOLOGICA.

Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.

TAles ſunt ſimiles inſitoribus, qui, docente Baſilio epiſt. 41. ad Maximum, quum incurvum tenelli arboris ſtatum corrigere ſtudent, nimia attractione in alteram partem, peccant: vel, ut Scaliger ſcribit Exercit. 307. ſect. 28. iis, qui in limo utrumque crus impactum habent; quo namque ſeſe alterutro expedire enixius curant, eo fortius ac profundius alterum defigunt.

* * * * * * * * *

Exempla errantium, & in alteram partem nimis deflectentium heic propoſita, ſunt *Tertullianus*, *Stephanus* Papa, *Dionyſius Alexandrinus*, *Arius*, *Marcellus*, *Jovinianus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Pelagius*, *Fauſtus Rhegienſis*, *Eutyches*, *Berengarius*, *Amsdorfius*, *Flacius*, *Stancarus*.

CA-

CAPUT I.
De
TERTULLIANO.
Sec. III.



Ertullianus, Patrum Latinorū facile princeps, cum Hermogenē, Afrum natione, ſed vafrū & ſubdolū, inque ſectandis gentilium Philoſophorum deliriis valde induſtrium, acrius inſectaretur, atque nuganti, *materiam neque natam neque factam, nec initium habentem omnino nec finem, adeoq; æterno coæternam DEO,* fervido nimis zelo demonſtrare conaretur, *DEO coæternum eſſe nihil poſſe;* usque adeo progrediebatur in contraria, ut & filium Patri coævum eſſe negaret, dicendo: *Nam nec Pater poteſt eſſe ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & Filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Adv. Hermog. *c. 3. B. p. 234.* edit. Pariſ. *A. 1664.* Nonne hoc æternitatem Filii deſtruit? nonne vox hæc congruit cum illa Arianorum, ἦν, ὅτε οὐκ ἦν? Et in ſequentibus *p. 139. D.* utitur loco Prov. IIX, 22. *Dominus,* inquiens, *condidit me initium viarum ſuarum, ante opera ſua.* Pergit deinde: *Agnoſcat Hermogenes, idcirco etiam ſophiam DEI, natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter DEUM credatur. Ita & hoc nomine materiam DEO præponit Hermogenes, præponendo eam Filio.* Vide, ſimul quæ adv. Prax. c. *6.* &. p. 503. adducat Quis neſcit, Arium impia ſua dogmata ex hoc loco defendiſſe? Sancti equidem Patres Nicæni diſtinguebant inter Sapientiam creatam & increatam. Verum gnarus linguæ ſanctæ facile comperiet, & piiſſimos Patres, linguarum origina-

lium maximam partem ignaros, hoc in loco hallucinatos fuiſſe; non enim בראני ſed קנני loc. cit. legimus, adeoque & Targum בראני & verſio, ut vulgo credunt, LXX Interpp. ἔκτισε, ſive, ut alii legunt, ἔκτισέ με, ſi de creatione proprie dicta intelligi velint, explodatur. A vero tamen alienum haud eſt, Chaldæum hunc Interpretem verbum ברא nec non Græc. Interpp. verbum κτίζειν, licet in notione ſua & uſu antiquisſimo productionem deſignet, uti tamen alias ſæpe, ſic & hic de generatione accipere, utpote cujus modus & ratio ex circumſtantiis, reique, de qua ſermo eſt, natura dijudicari debeat. Rectius ergo Tertullianus, quam Socinus, qui ſapientiam in genere, aut Corn. a Lapide, Corn. Janſenius, Ferdin. Quirinus a Salazar, aliique DD. Pontif. apud Quenſted. Syſt. Theol. *p. 383.* qui ſapientiam DEI eſſentialem intelligunt, *ſapientiam* ὑποστατικὴν agnovit, cum id actiones ejusdem, utpote *clamor, vox, ℣. 1. 3. loquela, apertio labiorum, palatum, oris eloquia ℣. 6 7 8. abominatio, odium, dilectio, ℣. 7. 14. 17. eſſe apud DEUM, ludere coram eo, ℣. 30. delectari cum filiis hominum, ℣. 31.* clariſſime teſtentur. Quod autem alios interpretes ſecutus creationem loco poſſeſſionis ſubſtituerit, aut, ut liquet, exinde, quod genitus ſit Filius DEI, præexiſtentiam aliquam deducere allaborârit, non tam ridendum, quam erraſſe ſtrenuum hunc veritatis defenſorem, dolendum eſt. Fatetur enim, textu ſacro id in terminis aſſerente, generationem antemundanam. Ex antemundana autem προϋπάρξει, phraſi Scripturæ perpetua, æternitas demonſtratur. Non ergo generationem hanc derivatione aut transfuſione, nec actione aut ſucceſſione, quæ incipiat aut deſinat, ſed *æterna communione*, cui ſimile nihil habeatur in rerum natura, fieri poſſe, colligere debuiſſet.

Simili occaſioni natales debet alius Tertulliani error, dum & ante nativitatem Chriſtum veram habuiſſe carnem affir-

affirmat. Cum enim adversus Apellem, & complices ejus demonstrare vellet, *carnem Christi*, quam postea ex virgine accepit, *non phantasticam fuisse, sed veram & solidam*; eo usq; in fervore disputationis progressus est, ut affirmare non erubuerit: *Atqui tunc quoque inter angelos illos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine nativitate, cum carne --- in carnis habitu, non natæ adhuc, quia nondum morituræ.* De Carne Christi cap. *6. p. 311.* & iterum, adv. Marc. *l. 3. c. 9. Ideoque & ipse tunc cum angelis apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ, quia nondum morituræ.* & alibi passim, adv. Jud. *c. 9. p. 194.* adv. Marc. *l. 2. c. 27. p. 395.* adv. Prax. *c. 9. 14. 15. 16. &. p. 570.* Hinc illa præcipitantia nata fuit, qua, demonstraturus Praxeæ, Filium aliam a Patre personam esse, distinxit inter Patrem & Filium, tanquam *visibilem & invisibilem*, adv. Prax. *c. 14. 15. p. 570. terricolam & cœlicoam, ib. c. 23. p. 514. Dominum & DEUM, c. 13. p. 507. minorem & majorem ratione generationis, c. 9. p. 504.* &c. Cum tamen manifestum sit, monente Gerhardo, in Meth. Stud. Theol. *p. 285.* Christum, qua Deus est, a Patre non distingui. Id equidem Tertullianus congrue dixerit (vel ex solo illo fundamento: Ubi ubi Pater, ibi etiam Filius & Spiritus S.) in loco Genes. 18. Christum intelligi, cum *id universus Patrum chorus, excepto Augustino* (vid. Quenst. de Angel. *p. 497. b,*) & statuat, & probet: exinde tamen neutiquam concludere debuisset, Filium DEI in sensibili quodam signo, intra hypostasin suam assumto, atque cum illa vere & realiter unito, adeoque in carne quadam substantiali apparuisse; *cum deitas*, juxta tritissimam antiquitatis regulam, *id nunquam deposuerit, quod semel intra hypostasin suam assumsit*: deponere autem assumtam hanc carnem aliquando debuisset, si humanam assumere carnem voluisset. Idem ergo est, ac si collegisset: Varia DEO sub veteri fœdere offerebantur

holocausta; ergo extractis extis tauros DEUS & animalia devoravit. Aut si exinde, quod DEUS in forma senis solio insidentis apparuit, concludere voluisset: Ergo certo cœli loco tanquam ergastulo inclusus, candente præditus barba, talari indutus stola, gratiarum actiones, hymnos, atque lugubres hominum supplicationes exaudit.

Verum & ab isto Anthropomorphitarũ errore non procul abfuit venerandus Pater: cum enim deliria Praxeæ, statuentis, unam esse Patris & Filii ὑπόστασιν, profligare simul, atque distinctas evincere conaretur subsistentias, haud dubitavit erroneam de *DEO corporeo* mentem solenni testificatione prodere, dicendo: *Quis negabit DEUM corpus esse, etsi DEUS spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed & invisibilia illa, quæcunque sunt, habent apud DEUM & suum corpus, & suam formam &c.* adv. Prax. *c. 7. p. 504.* Prolixe quidem Pamelius Parad. Tertullian. *15.* eundem ex Augustino defendere sustinet, atque demonstrare, quomodo Tertullianus se ipsum explicet, corpus opponendo non spiritui, sed nihilo: fateri tamen uterque cogitur, *tremenda hæc esse, non ridenda.* Adde τȣ̃ νῦν ἐν ἁγίοις Fabricii hac de re sententiam, dicentis in Prælect. Theol. *p. 53. Cum spiritualite DEI subsistere non potest sententia Tertulliani, DEUM corporeum dicentis: licet enim ita eam moderetur, ut neget effigiata membra habere DEUM, ac corpus saltem invisibile ipsi tribuat, nec aliter id accipiat, quam pro substantia, inque oppositione ad φάντασμα & nihilum, hoc unum intendens, DEUM habere esse verum & reale & non umbratile -- improprie tamen & abusive eo pacto locutus est, vocabulorum notiones confundens.*

Sed esto, Tertullianum hac in re abusive locutum esse; illud tamen nemo sacrarum literarum gnarus excusabit, quod, delatus in alteram foveam, damnârit, quod Christus approbavit, & sub dispendio æternæ felicitatis

exige-

exegerit, quod Christus & Apostoli non exegerunt, sed suaserunt. *Erasm. in Præf. ad Hieron.* Cum enim disertissimus iste castitatis præco uxorem suam ad castitatem hortari, atque illibatam sugillantes virginitatem refutare conaretur, licet ante *Ad uxor. c. 2. p. 162. A.* non abnuisset, conjunctionem viri & fœminæ benedictam a DEO, ut seminarium generis humani, & replendo orbi, & instruendo seculo, excogitatam, atque exinde permissam esse: zelo tamen, eoque non secundum scientiam, postea abreptus, secundas nuptias non solum *contumeliam*, Ad uxor. *c. 4. p. 163. C. detestabiles*, ib. *c. 5. p. 164.* & variis in locis *stuprum* atque *dedecus voluptuosum* appellare; sed & variis argumentis, Montani deliria secutus, vel in uno de Exhortatione ad castitatem libro, *secundas nuptias impugnans, primas etiam illicitas & fœdam carnis commixtionem* dicere non erubuit.

Non ingratum fore arbitror, si ante, quam vesana & dolenda Tertulliani deliria profligem, monuero, quænam causa fuerit, cur in principio nascentis Ecclesiæ, virginitas atque cœlibatus tantos habuerit admiratores. Infensissimus ille veritatis latro & invidiæ satelles, dæmon, ut invisam vel hoc nomine & exosam gentibus redderet christianitatem, non acquiescebat tetra libidinum monstra in castis Ecclesiæ cœtibus excitasse. Nicolaus enim (unus e septem Diaconis, de quo vide *Act. 6, 5.* Apoc. 2, 6. Euseb. lib. *3 c. 23. p. 73. 74.* G. Calixt. de. Conj. Cleric. p. 137. &c. quamvis Epiphanius aliter aliquanto, quam cæteri veterum, historiam enarret Hær. 15. & Chemnit. LL. Th. t. 2. *p. 206.*) ob honestam & liberali facie suavissimam conjugem, ab Apostolis de zelotypia notatus, ut omnem a se removeret suspicionem, cum ex intempestivo nimis & inconsiderato fervore eandem in medium produxisset, simul atque omnibus, qui eam ducere cuperent, ducendam permisisset: illico dictum & factum hominis, contra ipsius animi sententiam,

alio nonnulli, quam quo ſpectabat, detorſerunt, promiſcui uſus conjugii ac impudentis atque effuſæ fornicationis exinde ſumentes occaſionem. Tetram hanc libidinum confuſionẽ poſt Apoſtolorum tempora ingente cum legentium horrore Valentiniani, nec non fœdum Carpocratis gynæceũ propagârunt. Hi enim ſolennes Chriſtianorũ ἀγάπας, miſellis ob metum Tyrannorum nocturno tempore inſtitutas, æmulantes, ad nocturnas & ipſi concœnationes promiſcue viri & mulieres conveniebant, &, amotis poſt cœnam luminibus, nefanda quæque dictu exercebant. Talia teterrimus ille perditorum de caſtiſſimis Chriſtianorum cœtibus in vulgus ſpargere, cœnulas ipſorum, tanquam ſceleris infames & prodigas, ſugillare, & pudiciſſimas quasque mentes de promiſcua Venere, de ſtupris, de inceſtu & aliis libidinibus, a quibus etiam honeſtiores Ethnici abhorrebant, in publicis judiciis accuſare geſtiebat. Conf. Tertull. in Apol. c. 39. & Chemnit. LL. Th. t. 2. de Caſt. p. 185. Hæreticis ergo ante citatis, ut & aliis, ſimul atque gentilium cavillis cum ſeſe venerandi Eccleſiarũ Patres omnibus conatibus opponerent, factũ eſt, ut indies magis atq; magis amare & admirari omnes, alii tamẽ aliis moderatius aut vehementius, continentiam aut cœlibatum cœperint. Accedebant hinc inde varia Tyrannorum agmina, quæ ingentibus undique calamitatibus Eccleſiam obruebant, & omne nubendi deſiderium, quaſi in herba, corrumpebant. Ceſſantibus his, gravitas ſacerdotalis, obicem matrimonio ponere judicabatur, *Calixt. l. c. p. 199.* utpote cui indignum videbatur, amare, jocari, ambire feſtivas nuptiarum nugas, & totum illud procari, quod ſine aliquibus ineptiis non ſolet tranſigi. Non ergo mirandum, ſi & religioſiſſimus ipſe Tertullianus e regia via nimium quantum exorbitavit.

Jam ergo diligentius accurata, ſi Diis placet, argumenta Tertulliani rimemur. Notandum autem in ante-

ceſſum

cessum, uno ictu omnia fere repelli posse: quicquid enim ad devovendas secundas nuptias profert, pari jure & adversus primas adduci potest, quas tamen, ceu propagando humano generi summe necessarias, sapientissimus rerum Arbiter Gen. I. & II. non solum instituit atque præcepit, varisque insuper encomiis, teste Scriptura passim, condecoravit: sed nec Cataphryges, nec Novatiani, nec ipse disertissimus earum adstipulator, Tertullianus, teste Augustino apud Pamel. in Parad. Tertull. 25. turpes ausus est dicere. Videamus ergo, quæ vis argumentis insit. I. dicit de Exhort. Cast. *c. 1. & 2. p. 519. secundas nuptias iterandas ideo non esse, quia primam DEUS abstulerit uxorem, atque eo ipso alteram ducere prohibuerit.* Ratio est: *Si voluisset te habere uxorem, non abstulisset.* Idem, ac si collegisset: DEUS Jobum omnibus orbavit liberis. Ergo noluit alios eundem progignere: si enim voluisset, non abstulisset. Aut: Omnem DEUS in Ægypto occidit primogenituram, ergo nullam in illa DEUS habet complacentiam: si enim haberet, non abstulisset. Nec non: DEUS primum hominem, ut & sacerdotem Israelis Aaronem, regemque Saulum fato fungi permisit: ergo noluit alios existere homines, alios succedere prioribus reges atque sacerdotes: si enim voluisset, primos non abstulisset. Vides, ab auferre ad odio habere, quam frigida sit consequentia! Nemo certe sana ratione præditus, mortuam, sed *aliam eamque vivam* thalamo sibi jungi desiderabit uxorem: cum id Christus parti innocenti Matth. 5. 32. *c. 19, 9. c. 22. 29* & Apostolus omnibus æque permiserit 1. Cor. 7, *8. 9. 39.* Rom. 7, *2. 3. 1.* Tim. *5, 14.* atque exempla veteris & novi fœderis clarissime demonstrent. Genes. 25, *1.* Ruth. *4, 11.* Matth. *12, 46. &c.* Sed *permissionem Pauli non fieri ex tota voluntate DEI,* Tertullianus II. affirmare non dubitat, dicens, de exh. cast. *c. 3. p. 520. alte & impresse recogitandam esse DEI voluntatem*

tem, quid etiam IN OCCULTO velit. Quæ enim in manifesto, nos omnes scire -- Si tamen, inquit porro, *alia istis præposuit, utique quæ magis vult, dubiumne est, ea nobis sectanda esse, quæ mavult: quum quæ minus vult, quia alia magis vult, perinde habenda sint, atque si nolit? Omnem insuper indulgentiam nuptiarum Apostolus de humano sensu, non de divino præscripto induxit.* Tria dicit Tertullianus: (1) *Diversam in DEO esse voluntatem, occultam unam*, secundum quam improbet, *& manifestam alteram*, secundum quam approbet matrimonium. Sed nonne hoc est, hypocritam ex Deo facere, quod ne acerrimi quidem voluntatis signi & beneplaciti defensores affirmare audent? Voluntas occulta non potest se habere ad manifestam opposite: quicquid enim in verbo suo Deus manifestavit, illud est signum voluntatis occultæ. Signum autem refertur ad rem signatam. Quale itaque signum est, talis etiam est res signata, seu voluntas occulta. Dum ergo successiva connubia Deus in verbo suo, tanquam voluntate manifestata, permittit, non potest non & occulta voluntate, velut inevitabili sibi consentire harmonia. Nec rem conficit, dum (2.) Tertullianus ex ℣. 38. c. 7. 1. ad Cor. colligit, *minus velle, idem esse, ac nolle.* Impossibile enim est, verbis hisce, καλῶς ποιεῖ, κρεῖσσον ποιεῖ, ceu clarissimis, talem inesse figuram, quæ Paulum contradictionis coarguere possit, utpote qui secundas nuptias ℣. præced. 9. & ℣. statim subsequente, libertati christianæ convenientes dixerat. Repugnat insuper huic interpretamento perpetua phrasis Scripturæ: an enim, quia κρείττων Filius DEI factus angelis, isti mali fuerunt? Hebr. 1, 4. anne, quia κρεῖττον erit perversis, non agnovisse viam justitiæ, malum est, eandem agnoscere? 2. Petr. 2, 21. Anne denique, quia κρείττονος testamenti mediator est Christus, & κρείττοσιν ἐπαγγελίαις sancitum est novum, vetus illud malum, & promissiones ejus malæ dicendæ

cendæ ſunt? Hebr. IIX, 6. Ex ipſo idcirco Paulo demon-
ſtrandum erit, cur iterato nubentes bene facere dixerit, non
renubentes vero melius. Nimirum διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην
℣. 26. quoniam undique tyrannorum agminibus circum-
vallati erant, præſentiſſima morte excruciabantur, & non
niſi calamitates, luctus & triſtiſſima quævis expectare tene-
bantur. (3.) dicit Tertull. *Non Deum, ſed Apoſtolum, adeoq́*
hominem iteratas nuptias indulſiſſe. Poſito ergo, mi Tertul-
liane, hominem iſtum de ſuo quicquam verbo Dei ſuper-
addidiſſe, anne tamen major tibi fides, quam homini iſti,
habenda erit? anne, qui ſe Spiritum Dei habere ℣. ult. ade-
oque θεόπνευστον profitetur, falli ſe, aut fallere pretioſo ſangui-
ne redemtos cœtus voluit? Vide, quo te fervor deduxe-
rit! Opponere equidem v. 8. & 10. præceptum Domini
præcepto ſuo videtur Apoſtolus, ſed non contradictorie:
verum tanquam expreſſum, & non expreſſum: Nullam
enim Matth. XIX, 9. & V, 32. mentionem fecerat Chriſtus
eorum, quæ in ſequentibus, occaſione quæſtionum Corin-
thiacarum ℣. ult. inculcat Apoſtolus. Sed pergit III. Ter-
tull. ib. c. 3. p. 520. C. D *Dum Apoſtolus 1. ad Cor. VII. 9.*
dicat: Melius eſt nubere, quam uri; *non eo ipſo bonum*
appellare connubium; *ſed genus mali inferioris, quod a*
ſuperiore malo obſcuratum, ad nomen boni impellatur,
--- atque ſic accipiendum eſſe, quomodo melius ſit, uno oculo
carere, quam duobus, ubi ſi a comparatione diſcedas, non eſſe
melius, unum oculum habere, quia nec bonum. Verum hanc
Tertulliani interpretationem, ceu ex proprio deſumtam
cerebro, infirmo valde ſtare talo, gnarus regularum her-
menevticarum facile comperiet. Ambabus equidem lar-
giior manibus, *comparativam particulam aliquando pro ad-*
verbio negativo poni, ut docet Glaſſ. Gram. S. p. 726. adeoque,
melius eſt nubere, quam uri, ſeu flammis libidinum ſuccum-
bere: quis tamen exinde colligere audebit, & nubere non
bonum eſſe, niſi ex ſimilibus Scripturæ locis ridicule idem

 inferre

inferre vellet: Malum eſt, ſperare in homine. Ergo etiam in Deo. Pſal. CXIIX, 8. Malum eſt, dejici & humiliari coram Principibus. Ergo etiam exaltari. Prov. XXV, 7. Malum eſt, ſi patiaris malefaciens. Ergo etiam, ſi benefaciens. 1. Pet. III, 17. (Conf. Jon. IV, 3. Matth. XIIX, 8.) & hoc exinde, quia prius bonum a ſuperiore malo obſcuratum, ad nomen demum boni, licet alias malum ſit, impellatur? IV. Denique eo usque in fervore ſuo progreditur Tertull. ut ſecundum ſimul atque primum matrimonium *ſpeciem ſtupri* vocare non vereatur, ib. c. 9. p. 522. 523. ideo, quia Dominus dixerit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, jam ſtupravit eam in corde ſuo.* Pergit ergo: *Qui autem eam ad ducendum viderit, minusne, an amplius fecit? quid ſi etiam duxerit? quod non faceret, niſi & ad ducendum concupiſſet, & ad concupiſcendum vidiſſet --- omnis mulier etiam cœlibi alia eſt, quam diu aliena; nec per aliud tamen fit marita, niſi per quod & adultera. Leges videntur matrimonii & ſtupri differentiam facere per diverſitatem illiciti, non per conditionem rei ipſius. Alioquin quæ res & viris & fœminis omnibus adeſt ad matrimonium & ſtuprum? Commixtio carnis ſcilicet, cujus concupiſcentiam Dominus ſtupro adæquavit. Ergo, inquis, jam & primas, id eſt, unas nuptias deſtruis? Nec immerito: quoniam & ipſæ ex eo conſtant, quo & ſtuprum.* Adeo videlicet callidus dæmon piiſſimis alioquin Patribus impoſuit, ut crederent, inter commixtionem in conſuetudine conjugali & in fornicatione plane nullam eſſe differentiam, ſed ab ipſo excogitatum illud diſcrimen, ut nimirum turpiſſima ſcortorum mancipia, ſub ſpecioſo matrimonii prætextu, nefaria quævis facinora patrare poſſent. Sed nonne hæc eſt διδασκαλία illa δαιμονίων, 1. Tim. IV, 1. 2. 3. contra expreſſum Spiritus S. mandatum c. præc. v. 2. 4. 5. 12. totidem verbis inculcatum? Fruſtra Tertullianus veſanæ huic oris impudentis contumeliæ gratiam fœnerari conatur

tur ex effato Christi Matth. V, 28. cum Salvatori de libidinosa desponsatæ mulieris concupiscentia, adeoque non virginis aut viduæ, in thalamum, sacra Dei autoritate Hebr. XIII. 4. &c. sanctificatum, ducendæ, sermo sit, uti verba clarissime testantur. Sed satis forte, imo plus satis de Tertulliano.

CAPUT II.

De

STEPHANO I. EPISCOPO ROMANO.

Sec. III.

NOndum Ecclesiæ Christi jura dare, nondum Imperatoribus regna distribuere conabantur Episcopi Romani, cum dira persecutionum mole pressi, tormentisque tyrannorum immane, quantum excruciati, pro unius omnium Ecclesiarum Episcopi gloria carissimam evomere gestirent animam. Angusta Christi & Apostolorum sorte contenti, pauperibus ipsi pauperes benefaciebant, atque æqualibus aut majoribus fraternas jungendo manus Episcopis, ingruentibus undique erroribus, canales obstruebant. Sed infausto id sidere tentabat Stephanus, Episcopus Romanus, qui vixit Sec. III. Cum enim Cypriano, ab hæresi venientes rebaptizanti, acrius resisteret, in contrarium ipse errorem improvidus incidit. Cyprianus siquidem æmulatione accensus, cum Montanistæ & Novatiani omnes illos, qui ad se transibant, rebaptizarent, ne videretur ipse deterioris conditionis, illos similiter, qui ad se ex illis veniebant, rebaptizabat, Fabric. Præl. Acad. p. 462. & Micræl. Synt. H. D. p. 243. adeoque fidem rectam in baptizante ad baptismi integritatem maxime requiri, ac proinde baptismum ab illis, qui fidei sinceritate & unitate veræ

Ecclesiæ non erant conjuncti, ceu ab hæreticis collatum inefficacem, ideoque iterandum esse censebat. Cujus erroris Agrippinum, antecessorem Cypriani, primum auctorem fuisse, testatur Augustinus de Bapt. l. 7. Laudabili ergo conamine Stephanus malum hoc acerrimi alias disciplinæ christianæ propugnatoris & gloriosissimi testis Dei, radices agere vetuisset, nisi in tantum dura ejusdem obstinatio prorupisset, ut, postquam amantissimum charitatis christianæ Cyprianum, *pseudochristum, pseudoapostolum & dolosum operarium*, apud Firmil. in Epist. ad Cypr. inserta operibus Cypriani Parisiis editis An. 1666. p. 150. virulenta satis lingua appellasset, atque sic pacem ecclesiasticam rupisset, *simul etiam a quacunque hæresi venientes baptizari vetuisset, adeoque de Marcionis baptismo & Valentini & Apellis cæterorumque blasphemantium in Deum Patrem & Dominum Deum Christum, ceu legitimo, filios Deo nasci, remissionem peccatorum dari, insolenter, arroganter, & contumaciter contendisset, idque propter traditionem, & quod ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Cypr. ep. ad Pomp. p. 129. 131. Magdeb. Cent. 3. c. 7. p. 171. Hist. Eccl. Goth. p. 261. Verum merito quærit Cyprianus loc. cit. p. 130. *ubinam contineatur illa traditio, quæ divinæ traditioni, hæreticos aversari jubenti, eosdemque perversos, a semetipsis damnatos & Antichristos nominanti, contradicat? quænam illa obstinatio sit, quæve præsumtio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari & irasci Deum, quotiens divina præcepta solvit & præterit humana traditio? Sicut per Esaiam clamet: Sine causa me colunt, mandata & doctrinas hominum docentes. Item Dominus in Evang. increpans similiter, & objurgans, dicat: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. -- Anne vero ad hoc malum devoluta sit Sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectetur,*

tur, ut ad celebranda sacramenta cœlestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani, quod Antichristiani faciunt? &c.

Hactenus equidem orthodoxe Cyprianus contra Stephanum disseruit, atque hoc unicum duntaxat in tanto reprehendimus viro, cum Fabric. in Præl. Theol. p. 460. quod discrimen haud observârit inter hæreticos illos, qui servata materia a Christo præscripta, substantialia baptismi non immutant, & inter illos, qui hæc opugnant, atque loco aquæ aliud quippiam usurpant, vel mysterium S. Trinitatis præfracte & directe negant, nec in Patris, Filii & Spiritus S. nomine baptismum administrant. Prioris generis hæreticos dum rebaptizari voluit Cyprianus, ideo, quia *Spiritus S. accipi non possit, nisi prius fuerit, qui accipiat*, loc. cit. p. 131. seu, quia efficacia baptismi dependeat a qualitate baptizantis, idem est, ac si contendisset: Medicum vario morborum genere laborantem, non posse salutaria præscribere morbido pharmaca, quia ipse æger sit: Aut rusticum, nebulonem, vel adulterum, agrum colere haud posse, uberrimosque frugum proventus colligere, ideo, quia malus sit. Minister enim in prædicando verbo & administrandis sacramentis non suum, sed Dei verbum annunciat, non sua, sed Christi sacramenta dispensat: adeoque vis omnis & efficacia ab autore primario & causa principe, utpote a quo dependet, speranda est. Ita fere Fabric. loc. cit. Posterioris vero generis hæreticos dum baptizari (nec enim rebaptizari possunt, cum verum nunquam acceperint baptismum) vetuit Stephanus, idem est, ut eodem fere simili rem illustremus, ac si dixisset: Medicum curare posse ægrum, etsi salutaris loco medicaminis, cicutam exhibeat ebibendam: Rusticumque largos metere posse proventus, etsi loco frumenti cineres simul atque lapillos in agrum seminet, vel in aqua sementem faciat. Qui enim

ab illis, qui vel unicam in Deo agnoſcebant perſonam, vel perſonas cum Patripaſſianis confundebant, omniaque contraria ſacræ veritati docebant, uti Hermogenianos, Praxeanos, Cataphrygas, Quintilianiſtas, Marcionitas, Valentinianos &c. horum ævo feciſſe teſtatur Tertullianus de Præſcr. c. 12. & de Baptiſmo c. 15. quî, inquam, verum ab his adminiſtratum fuiſſe baptiſmum dicere, adeoque judicare auderemus, per id dari remiſſionem peccatorum, per quod blaſphematur nomen Domini? Nonne hoc eſſet, fidem in perfidia, ſpem in deſperatione, rationem in errore, in morte immortalitatem, in mendacio veritatem, & in tenebris denique lucem quærere?

Æqualem ergo, ſi non majorem Cypriano, Stephanum, ex nimio contradicendi ſtudio, errâſſe errorem, quis non videt? Cyprianum equidem candidiſſimi pectoris nævum ubere charitatis cooperuiſſe, teſtis eſt Auguſtinus epiſt. 48. Sed an iſtum, re male geſta, erroris poſtea pœnituerit, non conſtat. Id certum eſt, utrumque poſtmodum martyrio fuiſſe Chriſto adunatum, atque ita compeſcuiſſe Dominum ſervorum ſuorum diſcordiam, in exequendis ipſius mandatis, etſi per diverſa currendi ſpatia, ſtrenue concordem.

CAPUT III.

De GREGORIO THAUMATURGO, EPISCOPO NEOCÆSARIENSI.

Sec. III.

LIcet variis tormentorum generibus ethnici Chriſtianos excruciarent, non tamen eosdem inviſos hoc nomine Deo hominibusque reddere poterant. Alio igitur rem ſtrata-

ſtratagemate cacodæmon aggrediebatur, divulgando, Chriſtianos plurium Deorum cultores eſſe, exinde, quia Trinitatem colerent perſonarum. Strenuum hoc in opere præconem ſe offerebat Ælianus, quem cum acrius inſultantem Gregorius noſter mendacii coarguere allaboraret, e regia nimium quantum exorbitabat via, grata hæreſi Sabellianæ arma ſuppeditando: Non enim in commentario ſuo de Expſitione Fidei, ſatis ipſi erat demonſtraſſe, Trinitatem perſonarum in unitate eſſentiæ nos colere; ſed & *unitatem hypoſtaſium, utpote quæ mentis ſolum cogitatione differant*, aſſerere dubitavit nullus.

Laborat quidem Baſilius epiſt. 64. p. 49. edit. Baſil. A. 1565. ut a Sabellianiſmi ſuſpicione eundem defendat, dicens: *Hoc non dogmatice, ſed contentioſe, in diſputatione adverſus Ælianum, dictum eſſe, intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi ſubtilitatem beatos ſeſe reputant. In qua diſputatione multi ſunt eorum, quæ deſcripta ſunt, lapſus. --- Quandoquidem ſane qui Græcum infidelem ad credendum perſuadere nititur, is non putat, ſibi circa verba exactius diſceptandum eſſe, ſed alicubi conſuetudini ejus, quem ad fidem inducit, nonnihil condonat, dummodo principalibus ac neceſſariis non reluctetur. Quapropter etiam multas iſthic invenias voces, quæ nunc maximum robur hæreticis præbent: velut ſunt* creatura & factura, *& ſi quid aliud ejusmodi eſt.* Sed utinam ipſa Expoſitio fidei Gregorii nobis ad manus eſſet! Illam enim, quam edidit Voſſius, dubiæ fidei eſſe, quis non videt ex primis ſtatim lineis, nec non ex omiſſione illorum, quæ Baſilius citat, aliorumque? Vid. Gerh. Patrol. p. 159. Ne ergo tela in ventos effundere videar, errorem hunc ad examen revocare ſuperſedebo, cum Baſilius hac ipſa epiſtola ſatis aperte declaret, Gregorium ſententiam ſuam adverſus Sabellium probe teſtatam reli-

quiſſe

quiſſe. Qua vero felicitate Dionyſius Sabellium aggrediendo, Arianis arma parârit, jam videamus.

CAPUT IV.
De
DIONYSIO EPISCOPO ALEXANDRINO.
Sec. III.

CUm immanis Æmiliani tyrannis ingruensque undique lues Ægyptum vexaret, ne quid infelicitati deeſſet afflictionum, & moleſtiarum, ecce, Sabellius, hæreſi ſua, ex infauſtis veterum hereſiarcharum lacunis eruta, (quæ in ſancta Trinitate, uti unam duntaxat οὐσίαν, ſic & unam pariter prædicabat hypoſtaſin, adeoque omnem perſonarum diſtinctionem atque proprietatem penitus auferebat,) fidem, charitatem, verbi divini propagationem, omnemque adeo tranquillitatem Eccleſiæ perturbabat. Dionyſius ergo Alexandrinus, muneris ſui haud immemor, eruditis lucubrationibus deliria ſubditi ſibi hominis, utpote Lybici, cum refellere, penitusque confutare geſtiret, ***non tantum diſtinxiſſe, ſed & diviſiſſe perſonas ad invicem*** Baſilio Magno videbatur, qui his verbis Dionyſii ſcripta Maximo Philoſopho commendat, epiſt. 41. p. 24. ***Non omnia ejus viri laudamus. Immo ſunt, quæ penitus etiam damnamus. Nam ipſe, quantum nobis liquet, primus hominibus impietatis iſtius Anomianæ,*** (qua nempe Chriſtus ἀνόμοιος Patri, i. e. non ſimilis ſecundum eſſentiam dicitur) ***quæ jam paſſim obſtrepit, ſeminaria objecit. Cauſam vero hujus non puto animi malitiam eſſe, ſed quod vebementer voluit reſiſtere Sabellio. Soleo itaque illum aſſimilare plantatori cuipiam, novellæ plantæ torturam corrigenti, deinde ob immoderatam retractionem***

ame-

a medio aberranti, & germen ad contrariam partem abducenti. Tale quid etiam circa hunc virum factum esse comperimus, Dum enim vehementer resistit Libyanæ impietati, non animadvertit, se ipsum ad contrarium malum nimio contendendi studio deferri. Cui sane tantum satis fuisset, ostendere, quod non idem est subjecto Pater & Filius, & hæc habere contra blasphemum victoriæ signa. Ille vero unum admodum evidenter ex abundanti obtinet, & non solum substantiarum diversitatem ponit, sed etiam essentiæ differentiam, & potentiæ diminutionem, & gloriæ ac majestatis variationem. Quare ex hoc contigit, ut ipse malum malo permutârit, a rectitudine vero doctrinæ aberrârit. Quapropter etiam varius est in scriptis, nunc quidem destruens ὁμοούσιον, *propterea quod in substantiarum digestione & concinnatione, quibus male utitur, delinquit: nunc vero admittens in Apologia ad cognominem* (Dionysium videl. Episcopum Romanum.) *Ad hæc etiam de Spiritu emisit voces, Spiritui minime convenientes* &c.

Baronius equidem asserere non dubitat, Annal. t. 2. A. C. 263. §. 45. *licet excuset Basilius, liberius tamen eum aliquanto locutum fuisse*, audetque porro verba ejusdem interpolare, atque ex prioribus epistolæ verbis, *Quæ de rebus Dionysii sciscitaris, pervenerunt quidem ad nos admodum illius multa: libri vero nondum adsunt: atque ideo nihil dum misimus*, affirmare, l. c. §. XLIV. *Basilium Apologiam ejus ad cognominem Episcopum Romanum nunquam vidisse*: cum tamen expressis verbis (quæ quidem, ut dixi, Baronius interpolavit) id ipse in hac testetur epistola. Mirus porro artifex est ingeniosissimus ille Papatus Rom. defensor in demonstrando supremo tribunali Romæ erecto, ad quod e remotissimis etiam orbis partibus causæ principaliores deferri debuerint, exinde, quod Dionysius aliquot epistolas ad Dionysium Romanum scripserit: quapropter & Basilium suggillare non erubescit, quod nullam supremi hujus tri-

bunalis mentionem injecerit, cum tamen quivis, *nisi spontanea affectus cœcitate*, ib. §. L. id videre potuerit. Verum, si Romæ supremum ideo tribunal erectum fuit, quia Dionysius quasdam epistolas apologeticas gentili suo, quem *fratrem* appellat, transmisit, sequetur, etiam Berenices, Loadiceæ, Pentapoleos, Antiochiæ &c. supremum fuisse tribunal; quia ad harum quoque Ecclesiarum Episcopos Dionysius literas dedit: immo, quod maximum, & in Alexandria ipsa, quia Dionysius Romanus Episcopus ipse huic Dionysio, teste Athanasio, citato ab ipso Baronio l. c. §. 33. literas misit. Sed hæc obiter.

Id vero congrue monuit Baronius l. c. §. XLII. *Ruffinum Aquilejensem deceptum fuisse, dum existimavit, Dionysii Alexandrini qui videantur errores, non fuisse ab eo conscriptos, sed ab Arianis additos: cum Athanasius pro eo scribens, Apologiam nequicquam hujus causetur.* Licet enim Dionysius in Apologia sua palinodiam cecinerit, suamque de Trinitate mentem adversus subsequentes Arianos optime testatam fecerit, Christum consubstantialem Patri, nec non tres personas coæternas, coæquales & simul omnipotentes nominando, Magdeb. cent. 3. c. 10. p. 228. 229. nihil tamen id prohibet, quin Sabellianos oppugnando minus congrue locutus fuerit. Quis autem fidem non desideret, atq; justam curam & circumspectionem in Sandio, qui in Nucleo Hist. Eccl. p. 42. qui spuriam Dionysii Alex. Apologiam & confictam pronunciare, simulatq; citantium eandem, Athanasii videlicet & Basilii, quin & Eusebii atque Hieronymi, silentium urgere non veretur? Vid. Reuchlini Dissert. de Arianis. p. 68. Nolo tamen Dionysium in pariete mihi depingere, atque hoc modo cum eo confligtari, ne absque oleo pinxisse videar: Illum potius, qui in errore perstitit, Arium puta, suis depingere coloribus allaborabo.

CA-

CAPUT V.
De
ARIO.
Sec. IV.

SÆvi illi & Rhadamantei judices non amplius metuendi erant, desierantque sævire hostes christiani nominis, sanguinariæ illæ bestiæ: ὀρθοδοξότατος enim & θεοφιλέστατος CONSTANTINVS, primus orbis christiani Imperator, alcedonia Ecclesiæ, Episcopis uberrimos honorum & divitiarum proventus, omnibusque exoptatissimos in tranquillitate concedebat annos. Pax erat, nisi ambitio, æmulationes & rixandi libido novas procellas, novaque mala in Ecclesiam induxissent. Non enim amplius igneos torrentes evomebat, furensque omnibus modis sæviebat formidandus ille draco; sed angelum lucis mentiebatur, & sub amica scientiarum atque eruditionis larva fallebat. Acer ille, sed infaustus disputator Arius, Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter, quum ingenio haud infelici, fastuoso tamen ac turbulento, & ad quævis audenda parato præditus esset, promtissimum fraudum & technarum illarum ministrum, sed & eloquentis blandiq; oris satellitem se offerebat.

Etenim cum Alexander, qui Achillæ in Episcopatu Alexandrino successerat, aliquando præsentibus suis Presbyteris una cum reliquo Clero, subtilius curiosiusque de mysterio S. Trinitatis philosophans, ἐν τριάδι μονάδα εἶναι, h. e. *in Trinitate unitatem esse* doceret; Arius ratus, Episcopum Sabellii Libyci dogma inducere, ad opinionem, quæ cum Sabellii dogmate ex adverso pugnat, contentionis studio deflexit, iisque, quæ ab Episcopo dicta fuerunt, acerbius occurrit, dicens: *Si Pater genuit Filium, existendi initium habet is, qui genitus est. Ex quo manifeste liquet, fuisse ali-*

quando tempus, cum non eſſet Filius : & neceſſario conficitur, eundem ἐξ οὐκ ὄντων *ex nihilo ſubſiſtere*: ceu totidem fere verbis memoriæ prodit Socrates H. E. l 1. c. 5.

Quod cauſam & originem hujus controverſiæ attinet, fatendum eſt, in diverſas opiniones trahi ſcriptores eccleſiaſticos. Alii enim eam τῇ φιλοτιμίᾳ *& nimiæ curioſitati Alexandri imputant, uti Socrates H. E. l. 1. c. 5. & Conſtantinus Imp. in aurea epiſt ad Alex. & Arium apud Socr. l. 1. c. 7. Alii, ut idem Socrates, & Sozomenus l. 1. c. 15.* τῇ φιλονεικίᾳ *Arii : Alii, ut Theodoretus l. 1. c. 5. ejusdem erga Alexandrum, quem ſibi in epiſcopatu prælatum eſſe ægre ferebat, livori & invidiæ. Epiphanius autem aſſerit, illam ipſam Alexandri diſputationem eo fine inſtitutam fuiſſe, ut ſuſpectus delatusq; Arius detegeretur. Idem tamen in re dictos auctores ſentire, licet verbis aliquantum diſſentire videantur, adeoq; id ipſum, quod clariſſime omnium affirmat Socrates, (cujus ſententiæ evidentiam animadvertens Vigilius Afer, Arium & Sabellium, quaſi præſentes, in certamine committit) omnes vel præſupponere, vel aliis circumſtantiis involvere, vel deniq; de ipſa ſcena tragici hujus actus magis ſollicitos, negligere prologum, facile alienus a ſtudio partium deprehendet.*

Adeoque negavit, Filium Patri eſſe coæternum, eo, quod ab ipſo ſit genitus. Et huic aſſerto, tanquam fundamento, ſuperſtruxit reliqua ſua commenta omnia, nimirum inter Patris exiſtentiam & generationem Filii aliquod, quantumvis exiguum, ſpatium interceſſiſſe; Filium ex non entibus hypoſtaſin ſuam habere; nec Patri ὁμοούσιον eſſe, ſed eo minorem atque inferiorem &c. At enim vero, everſo τῷ πρώτῳ ψεύδει, tanquam fundamento, quæcunque ei ſuperædificata ſunt, ſua ſponte corruent. Id autem perfacile eſt. Immanis quippe eſt, ac viro artis dialecticæ minime

nime ignaro (quod quidem elogium Ario Socrates l. c. tribuit) pudenda μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, cum τῷ αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ conjuncta, nihil discriminis facere generationem divinam inter & naturalem vel humanam, hujusque decempeda illam metiri. In humana generatione notamus (1) Productionem, atque adeo transitum à non esse ad esse. (2) Generantem genito priorem esse. (3) In illo generandi potentiam activam, in hoc passivam. (4) In utroque mutationem aliquam. (5) In generante actum generandi voluntarium, & (6) Materiam ac semen ex quo gignat. (7) In actu generandi initium & finem. (8) In genito dependentiam a generante, tanquam causa existentiæ suæ. Sed hæc omnia cum imperfectionem involvant, divinæ non sunt tribuenda generationi, sed potius ab ea longissime removenda. Nam in deitate est existentia necessaria & æterna: Cum qua pugnat (1) Non esse, & incipere esse. (2) Alio posteriorem esse. (3) Producere tantum ὁμοιούσιον posse. (4) Mutari. (5) Voluntario actu produci posse. (6) Ex materia generare, aut generari. (7) Initium aut terminus generationis activæ aut passivæ. (8) Ab alio essentiam aut existentiam accipere, ac dependere.

Hinc Theologi divinam generationem non appellant vel physicam vel metaphysicam seu hyperphysicam, eamque ajunt ita concipiendam esse, ut abstrahatur ab omni imperfectione, quæ humanæ adhærere solet, & dicatur æterna divinæ naturæ communicatio, seu, si mavis, communio. Quemadmodum itaque inter homines filius non habet eodem momento existentiæ suæ initium, quo pater, sed eo aliquot annis est posterior, ita per crassissimum errorem idem de divina illa generatione judicium tulit Arius, sic argumentans: Si Filius a Patre est genitus, tunc ei non est coæternus, quia nullus filius existere incipit eo tempore, quo pater. Ita sane sese res habet in humanis,

at non in divinis. Quod si autem Arius, aut mali corvi malum ovum, curiosulus quidam, deque modo sublimissimæ hujus generationis plus justo solicitus Eunomianus instet, atque interroget: *Quî ergo tandem genitus est ille Dei Filius?* responsionem e S. Gregorio Nazianzeno Orat. 4. de Theol. dabimus hancce: *Non magnum quid esset hæc generatio, si abs te perciperetur, qui ne propriam quidem generationem cognitam habes, vel paululum quiddam hujus percepisti, quantumque te pudet dicere -- Quodsi propterea, quod abs te non est percepta generatio, Filius non est genitus: tempus est, ut multa in rerum universitate deleas, quæ tu non percepisti, & quidem ante omnia Deum ipsum -- Dei generationem cum silentio veneremur. Magnum quid tibi sit intelligere, quod sit genitus. Quo autem modo, id ne Angelis quidem cogitandum: tantum abest, ut tibi permittamus. Vis dicam tibi, quo pacto? Sicut Patri cognitum est, qui genuit; & Filio, qui genitus est. Quod supra hoc est, nube tegitur; oculorumque tuorum hebetudinem fugit.* Facessat ergo insana subtilitas, & subtilis curiositas! *Miremur tremenda DEI mysteria,* (monente Bernhardo ad Eugenium de Mysterio Incarn.) *non rimemur: nec proponantur disputanda, sed veneranda: non scrutanda, sed credenda*, & ubi de existentiæ certitudine confirmamur, ne confundamus eandem cum evidentia essentiæ: cum & de existentia mentis nostræ certi simus, sed quis mihi distinctam ejus dabit ideam? Pudeat nos mysteria divina scrupulosiore mentis indagine perpendere, & verbo revelato fidem denegare, dum in ruborem a natura dati, fateri cogimur, nostras cogitationes nobis mysteria esse, videlicet talia, quæ quidem ob sensum interiorem negare non possumus, interim tamen ob sublimitatem nec explicare.

Reliquas Arii argutias discussas nobis exhibet non tantum citatus modo Gregorius, sed & alii Ecclesiæ Patres,

tres, Athanasius nempe, Hilarius, Epiphanius, Ambrosius, Idacius Clarus, Augustinus, Cerealis, & Fulgentius, quorum omnium grata συνῳδὴ traditur a Reinharto in Primit. Eccles. Armis Victr. p. 124. & seqq. Adde Fabricium Præl. Theol. p. 134. &c. & Abbadii Tractatum Gallicana lingua consignatum, de la Divinité de nôtre Seigneur Jesus Christ, atque in Actis Erud. Lips. ad Cal. Decemb. A. 1689. pro merito laudatum.

CAPUT VI.
De
MARCELLO.
Sec. IV.

CAllidissimus ille furiarum emissor diabolus, ad tuenda regni sui palatia, nullis felicius armis usus fuit, quam mundum ad disputationes & dissidia theologica pelliciendo: Ubi enim semel in hominibus temere magnoque cum supercilio in mysteria divina prosiliendi libidinem accendit, factum est, ut etiam *sellulariis opificibus*, teste Procopio Gothicorum I. citato a Grot. de Verit. Relig. Christ. p. 360. *effluerent mysteria, foraque omnia, ambulacra & theatra personarent theologia*, ut tot tandem symbola fierent, quot professores, tot fides, quot homines, illamque in ore potius, quam in animo volverent, crescerent insuper articuli, decresceret sinceritas, effervesceret contentio, refrigesceret charitas, & doctrina Christi, quæ prius nesciebat λογομαχίαν, inciperet a philosophiæ præsidiis pendere; donec tandem impostorum nequissimus atque crudelissimus, Mahumed, & qui ab ipso descendunt veritatis Christianæ hostes sanguinarii, concertationibus & dissidiis istis durissimo servitutis jugo finem imponerent, eaque acinace deciderent.

derent. Adeo nunquam Ecclesia plus accepit dispendii, quam cum in eruditione scholastica, in arguta disputandi ratione, in curiosa mysteriorum divinorum explicatione quam maxime promovisse sibi videretur. Non quidem inficior, execrandam esse hæreticorum pervicaciam, si sanari non possit, eaque, ut sanetur, omnibus viribus curandum; sed illud interim cavendum, ut optime inter alia cum temperamento legenda, in Præf. ad Hilarium monet Erasmus, *ne erroris unius odio devolvamur in alium errorem: eamque servemus animi moderationem, ne simultas nobis persuadeat, esse parvum, quod rectum est; esse dulce, quod amarum est, & contra.*

Quanto stomacho Marcellus, Ecclesiæ Ancyranæ in Galatia Episcopus, sæviebat in Asterium, Sophistam e Cappadocia, Arii dogma confirmantem! Sed cum se eidem contentiose nimis opposuisset, in contrarium omnino errorem imprudens labi plerisque Patribus Ecclesiæ (vide inter cæteros Socr. l. 1. c. 36. Sozom. l. 2. c. 33. Basilium ep. 74. & 78.) visus est. Epiphanius equidem animo nunc huc, nunc illuc fluctuat, atque Marcellum modo accusat, modo defendit, modo nil certi de ipso affirmare audet, soli Deo cognita fuisse dicens, quæ occulto sub pectore foverit. Vide, quæ a p. 833. usq; ad 845. Hæres. LII. sive LXXII. differit. Postquam tamen libellum ejusdem apologeticum (de quo Baronius A. C. 341. §. L. immerito dubitat. Vide omnino Petavium in Animadvers. in hanc hæres. p. 304.) ad *collegam* Julium (hic enim erat illis temporibus Paparum titulus) recitâsset, hæc subjungit: *Licet nihil in ipso libello non castum ac sincerum sit, vel ex ipso nihilominus argumento, qui hunc legunt aut audiunt, cogitare debent, nec temere ad hanc illum defendendi sui necessitatem venturum fuisse, nisi nonnulla protulisset, quæ turbarum aliquid excitâssent, & eo hominem adduxissent, ut dictorum reddenda ratio*

vide-

videretur. Etenim fieri illud potuit, ut post errorem per libellum sese excusaret, ac corrigeret, aut ut eodem illo libello ita sermonibus suis fucum faceret, ut, quæ antea dixisset, consulto dissimularet. Licet autem illustrissimus Annalium conditor ad A. C. 336. §. 31. operosius demonstrare satagat, Marcellum oppugnantem Asterium, in tam profundum hæreseos barathrum delabi non potuisse, *cum ante fidei Nicenæ propagator fuerit acerrimus*, adeoque eundem in synodo Romana & concilio Sardicensi merito absolutum, Socratem vero ex falsis Arianorum actis nonnulla mutuatum esse: ipse tamen deinde ad A. C. 347. §. LV. LVIII. LIXL. XI. concilium haud levem passum esse jacturam, Marcellum utique hæreticum fuisse, Basilium & Hieronymum in ipsum declamâsse, Chrysostomum eum cum Photino & Sophronio, divinitatem ab humanitate separantibus, conjunxisse, Theodoretum & omnes denique recentiores eandem ipsi hæresin impegisse, lubens fatetur. Quid multis? Clarissimum est ex Athanasio, Sulpitio, aliisque, Marcellum quidem errori suo colorem aliquandiu induxisse, atque sub ὀρθοδοξίας larva latuisse, eique accessisse studium partium innocentum, quod eosdem illos judices, a quibus fuerat condemnatus, hæreticos esse nemo dubitârit. Sulpit. l. 2. c. 36. p. 144. Interjecto autem tempore, cum ab Athanasio, ob parum sanam fidem a communione suspensus esset, & ipse quidem tantum haberet frontis, ut tanti viri judicio notatus, sponte concederet, visus fuit jam tum nocens fuisse, cum de eo judicatum fuerat, ut in terminis testatur Sulpitius loc. cit. c. 37. Conf. H. E. Goth. p. 312.

An vero in Sabellii vel Samosateni errorem incautus inciderit, denuo dissentiunt autores: asserunt enim nonnulli, Marcellum Sabellianæ hæreseos assertorem

 fuisse,

fuisse, adeoque Patrem, Filium & Spiritum S. unius substantiæ diversas tantummodo nomenclaturas esse, contendisse. Atque vel hoc modo in contrarium Arianis errorem incidisse Marcellum, pateret: cum Ariani Filium a Patre adeo diversum statuerint, ut eum κτίσμα seu creaturam dicerent. Sed rectius forte alii Marcellum in Somosateni hæresin incidisse perhibent. Et huic opinioni consentaneum est, quod discipulum habuit Photinum, qui ipsissimum Samosateni errorem recoxit, statuens, *Christum non ante extitisse, quam ex Maria nasceretur.* Contrarius sane hoc ipso Arianis, qui Christum creaturam quidem, sed ante mundum tamen ex nihilo conditam esse putabant. Idem de Marcello & Epiphanius sentire videtur, licet aliud ante dixerit, ex Acacio referens, l. c. p. 841. *Marcellum Filium appellâsse Deum* ὀνόματι μόνῳ, seu, ut moderni hæretici loquuntur, nuncupatitium : *immo solum hominem, diversi generis a Patre & sola adoptione Filium, cujusmodi in illis locis exprimatur* : Filios genui & exaltavi : *item*, Accepistis Spiritum adoptionis : *item*, Afferte Domino filii DEI. Hinc & Chrysostomus, citatus a Baron. ad A. C. 347. §. LXI. nec non Magdeburgenses Cent. 4. cap. V. p. 368. semper Marcellum & Photinum, ceu easdem inflantes tibias, conjungunt.

CAPUT VII.
De
IOVINIANO.
Sec. IV.

Sed

SEd & in occidente arenæ disputatoriæ pulverem excitabant Ecclesiarum hodegi, adeo quidem, ut cum immodica cœlibatus admiratio nonnullos inescâsset, virginitatem cum ignominia conjugii, depravatione verbi divini, & superstitiosa meritorum opinione, in veneranda ecclesiæ adyta invehendam esse, autumarent. Equidem, ut ingenue fatear id, quod res est, aurea virginitatis gloria temporibus illis longe alia erat ab hac, quam hodie præ se ferunt, jactantque nonnulli: immo, ut Erasmi verba, quæ exstant in vita Hieronymi, mea faciam, *quibus maxime libertas cordi erat, hi monachi professionem suscipiebant.* Primum enim *res manebat integra, si quis ita censuisset: manebat commigrandi remigrandiq;, quo vellent, libertas: manebat dulcissimum ac liberrimum ocium: ad studium, jejunia, psalmos, vigilias, aut suopte incitabantur animo, aut exemplis invitabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis: non ferreis, ut hodie, cancellis, ceu feræ indomitæ, tenebantur inclusi, nec virginum integritas claustris ferreis & murorum repagulis extorquebatur; sed ultro a volentibus Christo offerebatur religio. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuiq; arbitrio sumptus: non qui prodigiosa novitate faceret insignem & digito notandum, sed qui simplicitatem christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cujusque pure christiani. Denique si quem forte sui instituti pœnitentia cepisset, tota demum pœna erat inconstantiæ nota.*

Ubi ergo Siricius Episcopus Romanus, vir exigui judicii, & ad gubernandam Ecclesiam Christi non admodum instructus, judice Calixt. de Conj. Cler. p. 243. conjugium Presbyterorum Diaconorumque non sine contumelia conjugii primus improbaret & abrogaret, simul atque illos, qui propter publicum aliquod crimen, sive datum publice scandalum, pœnitentiam publicam subiissent,

peracta etiam hac & abſolutione impetrata, matrimonium tamen contrahere vetaret: atque adeo conſilium a ſe petitum in imperium verteret, & *Eccleſiarum Præſules*, (ut cum Hieronymo ex epiſt. 65. loquar) *poſt quadringentos fere annos docere niteretur, quod ante neſciverant, proferret in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerant, & ſine quo mundus chriſtianus in illum usq; diem fuerat*: poſteriorem illam ſanctionem Eccleſia univerſalis, ſubſecutique deinde Pontifices, ceu iniquam & abſurdam, non ſolum reprobârunt, irritamque & nullam declarârunt; ſed & illo adhuc tempore Jovinianus, inter alios, ſanctionibus prioribus adeo irritatus fuit, ut publice Siricio ſeſe opponere nullus dubitaret.

Cæterum *hic quoq;, ut eſt infelicitas nonnullorum ingeniorum*, ceu loquitur Calixtus loc. cit. p. 254. *modum tenere neſcivit, & quum media via incedere debuiſſet, in aliam ad contraria evagantem deflexit.* Haud enim matrimonio priſtinam reſtituiſſe gloriam ipſi ſat erat, niſi caſtam inſimul virginitatem ſuo merito, ſua laude, ſua denique defraudâſſet utilitate, dicendo: *Virginitatis nullam eſſe gratiam, pari omnes æſtimari pretio, caſtimoniam nullius eſſe utilitatis, nullum eſſe præmium virginitatis, nullum honorem caſtitatis.* Ambroſ. lib. 10. epiſt. 82. Uti vero fœcundus eſſe ſolet error, *& veluti lapis in lacunam ſemel conjectus, tot circumfluctus continua ſerie excitat, ut cum ad extremam usq; ripam pervenerint, infiniti propomodum ſint, turbentq; omnino lucidiſſimum illud æquor & puriſſimum ſpeculum, in quo repercuſſæ rerum imagines, quæ perfectiſſime ſeſe antea oculis exhibebant, nunc non niſi confuſe ſe offerunt:* ut ſcribit Saavedra in Symb. Polit. LXV. p. 525. ita & error Joviniani, ubi ſemel in penetralia cordis immiſſus erat, confuſo jam & conturbato judicio, excitatisque voluntatis fluctibus, ut intelligentiæ facultas veritatem ſatis percipere non poſſet, alios indentidem

dem ex fonte hoc ſcaturire faciebat errores, eo grandiores quidem, quo a primo diſtabant longius, non ſecus ac fluctus a centro, unde excitantur, remotiores. Quia enim ſemel virginitati nullam conceſſerat laudem atque prærogativam, ſed omnes, ſive virgines, ſive viduæ, ſive maritatæ fuerint, ejusdem eſſe conditionis aſſeveraverat, & *ſanctiſſimæ virginis Mariæ virginitatem deſtruebat, dicens, eam pariendo fuiſſe corruptam*, Auguſt. ad Quodvultd. hær. 82. omnes inſuper virtutes & omnia peccata, Stoicorum more, paria eſſe dicebat, adeoque omnium, qui ſuum baptiſma ſervârint, in regno cœlorum parem eſſe remunerationem: eos vero, qui ſemel plena fide in baptiſmate renati ſunt, a diabolo non poſſe ſubverti, teſte Hier. adv. Jov. l. 1. c. 2. & Aug. l. c.

Uti vero Siricius merito ſtatim adverſus hos errores inſurrexit, Jovinianumque cum aſſeclis damnavit & communione privavit: ita id etiam obſervatu dignisſimum judicat Calixtus loc. cit. p. 255. Jovinianum citra controverſiam adſeruiſſe: *Presbyteros & Diaconos matrimonio non recte probiberi, legemque illam Siricii nulla ratione niti*: nemo enim illo nomine eum erroris arguere vel hæreſeos accuſare auſus eſt, ne ipſe quidem Siricius, nec qui ſumma vehementia adverſus ipſum ſcripſit Hieronymus. Dicere itaque, *non recte fieri, ſi miniſtri ſacrorum ad abſtinentiam & cœlibatum latis legibus compellantur*, error eo tempore nondum fuit. Proinde ſanctiones Siricii obtinere nondum poterant: licuit eas improbare: & ſacrorum miniſtri, qui in Latina ſeu Occidentali erant Eccleſia, Siriciana lege non obſtante, (nam Græcos ad eam nunquam attendiſſe, alias notum eſt matrimonia ſua retinuerunt.

Caput VIII.

De HIERONYMO.

Sec. IV.

Mirabere forte, mi Lector, quod in præcedentibus sub ferulam haud revocârim Joviniani sphalmata, adeoq; fidem in præfatione tibi datam non liberârim. Verum præstitit id Ambrosius, præstitit Hieronymus, tanta quidem animi vehementia, ut idem, quod Joviniano acciderat, his etiã Eccesiæ luminibus evenisse fateri oporteat, nisi benigna admodum interpretatione eosdem sublevare velis. Uti enim Ambrosius in refutatione sua lib. X. epist. 82. de meritis virginitatis & jejuniorum longe magnificentius, quam evangelium & honor soli Christo debitus ferebat, rhetoricatus est, ita & Hieronymus, æque ut in pugna adversus Helvidium, amplificis in cœlum usque virginitatem evehendo laudibus, contumelia sacrum thori fœdus affecit: atque in hanc rem argumenta in Tertulliano damnata, & quem ipse alias hæreticum appellaverat, Comm. in c. 1. Epist. ad Titum in v. 6. tantum non exscripsit, dicendo: *Ideo melius est nubere, quia pejus est uri. Tolle ardorem libidinis, & non dicet,* melius est nubere. *Melius enim semper ad conditionem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni. Velut si diceret: Melius est, unum oculum habere quam nullum: melius est, uno inniti pede, & alteram partem corporis baculo sustentare, quam fractis cruribus repere.* Advers. Jovin. l. 1. c. 5. Confer, quæso, illa, quæ superius c. 1. ex Tertulliano adduxi, & illico videbis, unde sua Hieronymus hauserit. Quin etiam plura de suo superaddit: *Si bonum est,* inquiens l. cit. c. 4. *mulierẽ non tangere, malũ ergo est, tangere: nihil enim bono contrariũ est, nisi malum. Si autem malum est,*

& ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat -- Oro te, quale illud bonum est, quod orare probibet? quod corpus Christi accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo christiani. Vid. Calixt. p. 262. Quæ rationes quanti ponderis sint, superius vidimus. Omnia deinceps Scripturæ loca de carne & spiritu, de emundatione, de sanctificatione & renovatione veteris hominis, aliaque huc torquet, & dicta apostolica de studio peccandi & manifestis criminibus agentia, conjugio applicat. Vide omnino integros contra Jovinianum tractatus, maxime antem. lib. 1. c. 12. Quæ commode & constanter excusare, aut defendere, quis sustinebit?

Hieronymum vero hæc præmediate, nec nimio disputationis ardore abreptum protulisse, tantum abest, ut potius ipsemet, quantum poterat, in Apologetico suo ad Pamach. c. 2. & 3. se defenderit, & excusârit, ac tandẽ errorem suum fassus sit tamen, scribens: *Quicquid de laude dixerint nuptiarũ, libenter audimus - Igitur cum toties crebro lectorem admonuerim -- me ita recipere nuptias, ut eis continentes, viduas, virginesq; præferrem, debuerat prudens & benignus lector etiam ea, quæ videntur dura, æstimare de cæteris, & non in uno atq; eodem libro criminari, me diversas sententias protulisse. -- Nunc vero cum diserti homines, & liberalibus studiis eruditi, magis velint lædere, quam intelligere, breviter a me responsum habeant, corrigere eos peccata debere, non reprehendere. -- Delicata doctrina est, pugnanti ictus dictare de muro, & cum ipse unguentis delibutus sis, cruentum militem accusare formidinis. Nec hoc dicens statim jactantiæ reus sum, quod cæteris dormientibus solus certaverim. Sed hoc dico, cautius eos posse pugnare, qui me viderint vulneratum.* Quid autem est vulneratum esse, nisi fervore disputationis modum excessisse, & reprehensioni obnoxium factum esse? Lubenter equidem Hieronymi verba in meliorem

orem interpretarer ſenſum, ſed qua ratione id commode fieri poſſit, fateor me non videre, niſi quæ paucis interjectis ipſe offert, in ſubſidium venire patiar, videlicet: *Aliud eſſe* γυμναςικῶς *ſcribere, aliud* δογατικῶς. *In priori vagam eſſe diſputationem, & adverſario reſpondentem, nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari, ut libet, aliquid loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere. In ſequenti autem apertam frontem & ingenuitatem neceſſariam eſſe.* Hoc ergo gymnaſtico ſcribendi genere, & fervore diſputationis, vel quacunque alia ratione commoda, hallucinationes & hyperbolas Hieronymi excuſemus: aut certe ſi quas excuſare non poſſumus, cæteris multis & præclaris viri hujus in eccleſiam meritis condonemus, *cum,* ut optume Scaliger, citatus a Calixto l. p. 266. *paucis erroribus Hieronymi mille benefacta ejus, quæ illis opponamus, habeamus. In illis hominem Hieronymum, in iſtis ſupra multos homines eum fuiſſe meminerimus: cui uni plus debent eccleſiaſticæ literæ, quam aliis multis, quamvis ſummis viris.*

Illud tamen qua fronte diſſimulemus, quod in hac ipſa apologia ſua Paulum quoque Apoſtolum involvere, & ſecum in eundem gregem compingere, ſive paris in diſputando artificii arguere non erubeſcit? Poſtquam enim varios ſcriptores, adverſarios ſuos ſimili ſcribendi genere confutantes, quo ſuum felicius emolliret errorem, in medium produxiſſet, tandem ſubjicere audet: *Taceo de Latinis ſcriptoribus --- Paulum Apoſtolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas ejus, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt: & videbitis eum in teſtimoniis, quæ ſumit de Veteri Teſtamento, quam artifex, quam prudens, quam diſſimulator ſit ejus, quod agit. Videntur quædam verba ſimplicia & quaſi innocentis hominis & ruſticani, & qui nec facere, nec declinare noverit inſidias: ſed,*

sed, quocunq; respexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne, quod tetigit: tergum vertit, ut superet: fugam simulat, ut occidat. Vide, quid non sui defendendi ergo homines moliantur! Immo, quod miraberis, & ipsius Salvatoris exemplo se tueri conatur. Verum, an & hi ab adversariis vulnerati sunt, ut nos cautius pugnare possimus? num & horum peccata corrigere debemus, sed non reprehendere? anne & ipsi γυμναστικῶς locuti fuere? vagamne cum adversariis inivere disputationem? respondentes nunc hæc, nunc illa proposuere? aliud locuti fuerunt, aliud egere? panem ostenderunt, lapidem tenuere? Sed reprimo me, istosque beati viri errores pallio charitatis ac reverentiæ obtego.

CAPUT IX.
De AVGVSTINO.
Sec. V.

NImia disciplinæ externæ & virium naturalium admiratio nova paradoxa in Ecclesiam invehere videbatur. Cum enim Euchitæ ficta quadam sanctitate hominibus imponere, recte quidem motus spirituales soli Spiritui sancto attribuere, sed male eundem non nisi per speculationem somniorum, vel per simulationem orationum illabi, persvadere conarentur: Manichæi vero semina Marcionitarum & Valentinianorum resuscitantes, coæternam Deo materiam, eamque duplicem, bonam videlicet & malam, fingerent; carnis concupiscentiam, non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab æternitate malam, ceu ex mala prognatam materia, vituperarent; homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali, & humanam creatu-

ram, nuptias, legemque a summo & vero Deo institutas esse negarent: tota purior Antiquitas hisce deliriis se opponebat, tanto quidem fervore, ut multi Patrum ea in terminis assererent, quæ sequentibus temporibus in Pelagio fuere damnata.

Varia in hanc rem exempla producere possem, nisi verendum esset, ne in nimiam dissertatio molem excrescat. Vel unus id jam probet Augustinus, qui ut, Arianos cum refutaret, visus fuit favere Sabellio, cum Sabellium, Ario, cum Pelagium, Manichæis; ita etiam ipse fatetur in 1. Retr. c.9.10.15.22. de Prædest. Sanct. l.1. c.3. & alibi, se Manichæorum deliria tanta vehementia exagitâsse, ut arma Pelagianis suppeditasse, & liberum in spiritualibus arbitrium ipsissimis verbis adseruisse videatur, dum inter alia dicit contra Adimantum, Manichæi discipulum, c. 26. 27. *Voluntatem in melius mutare, & bonum operari, in nostra potestate positum est. --- In nostra potestate est, ut vel inseri bonitati Dei, vel excidi severitate mereamur.* Et de Lib. Arb. l. 1. c. 12. *Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto & tam vere bono: quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntus sita est? quam quisq; cum habeat bonam, id certe habet, quod terrenis omnibus regnis voluptatibusq; omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret perfecta illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illa voluntas per se ipsam daret.* Et in lib. de Duab. anim. cont. Manich. c. 13. *Propterea corpora diligendo peccamus, quia spiritualia diligere & justitia jubemur, & natura possumus.* Vide, quæ fervido huic disputatori non exciderunt, modo suam adversus Manichæos causam tueri, illisque demonstrare posset, primum hominem ex libero voluntatis arbitrio lapsum fuisse! Adde, quod & peccatum originale negare videa-

tur,

tur, dum in ſimili neceſſitate conſtitutus dicit: *Nusquam niſi in voluntate eſt peccatum.* Et alibi: *Nulli naturæ nocent peccata, niſi ſua.* Item: *Nullum eſt malum naturale.* Videatur Chemnitius in LL. Th. t. 1. p. 241. Totus equidem in libris ſuis Retractionum in eo eſt Auguſtinus, ut commodum ex his & ſimilibus locutionibus ſenſum eruere poſſit; at quam longe ſæpe petititæ ſunt illæ interpretationes, utpote quæ manifeſte cum ipſis ſcriptoris verbis pugnant!

Sed injurius eſſem in beatum Doctorem, ſi prolixam in enumerandis ejus erroribus, qui quidem pauciſſimi ſunt, operam navare vellem, cum non ſibi fuerit adeo Suffenus, ut autoritatem ſuam, ceu ἀναμάρτητον, phraſes, quaſi ex tripode dictas, interpretationes Scripturarum, ut oracula, diſcipulis ſuis, aut aliis Eccleſiæ Doctoribus obtruſerit, ut potius ſolenni teſtificatione alios, talem affectantes dominatum, damnârit ac rejecerit. Verba ipſius, utpote ſcopo noſtro mirifice inſervientia, licet prolixa, adjicere non pigrabor: *Ego proinde fateor*, inquit, *me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi quid vel incautius, vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio, nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Quanto enim melius & utilius, ut, ubi ipſe erraverit, alii non errent, quorum admonitu errore careat! Quod ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat. Si enim mihi DEUS, quod volo, præſtiterit, ut omnium librorum meorum, quæcunque mihi rectiſſime diſplicent, opere aliquo ad hoc ipſum inſtituto colligam atque demonſtrem, tunc videbunt omnes ho-*

mines, quam non sim acceptor personæ meæ. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea, me ipso judice, superamini: quoniam non mihi placet, cum a charissimis meis talis æstimor, qualis non sum. Profecto enim non me, sed alium pro me sub alio nomine diligunt, si non, quod sum, sed quod non sum, diligunt. — Romani maximus autor Tullius eloquii, nullum unquam verbum, inquit, quod revocare vellet, emisit. Quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto. Nam & illi, quos vulgo moriones vocant, quanto magis a sensu communi dissonant, magis absurdi & insulsi sunt, tanto magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint, quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere utique cordatorum est. Tom. 2. epist. 7. His adde, quæ *Veielius* in Indice suo Augustiniano præfatur.

Caput X. *De* PELAGIO. Sec. V.

Eandem cum Augustino rem longe infelicius gerebat Pelagius. Licet anim ardentissimo zelo accenderetur adversus eos, qui, cum in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potius humanam accusantes, per illam se excusare conantur: ut Augnst. lopuitur lib. de Nat. & Grat. c. 1. licet violentos insuper Enthusiastarum raptus maxime improbaret: & denique Manichæis, omnem culpam in concrea-

concreatum hominibus malum devolventibus, summo studio se opponeret: scelus tamen zelo, qui, teste Augustino l. cit. non erat secundum scientiam, ingessit, & cum Manichæorum deliria tanto conamine profligare vellet, extra orbitas ipse currens, contrarium orbi christiano monstrum produxit. Cum enim hi carnis concupiscentiam, non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab æterno malam, vituperarent; ipse eam tanquam nullum vitium, sed naturale bonum, laudabat. Cum hi negarent, homini primo ex libero arbitrio fuisse initium mali; ipse dicebat, etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum præceptum bonum. Cum hi nimis a DEO exorbitantes, mali naturam semper malam, DEOque coæternam, exque ea simul, & bona, humanum genus primos accepisse natales crederent, adeoque sanctos Patriarchas & Prophetas, quantis poterant, execrationibus insectarentur; ipse recte quidem hominem primum in summa perfectione conditum fuisse defendebat, sed pessime, natos ab ipso peccatum hæreditario jure accepisse, negabat. Et quæ alia. Vide August. cont. duas Epist. Pelag. l. 2. c. 2. l. 3. c. 9.

Sed ex Hieronymo forte, aut, qui hæc solidissime tractat, Vossio Hist. Pel. l. 1. c. 3. p. 4. & seqq. dices: Pelagium ex Origenis, Ruffini, Evagrii & Joviniani scriptis, tanquam ex lacunis, suos hausisse errores. Fateor sane, immo & hoc superaddo, Pelagium omnia Patrum, v. g. Tertulliani, Cypriani, Chrysostomi, Basilii, Hieronymi, atque ipsius Augustini dicta in speciem sibi faventia corrasisse, & sine judicio arripuisse. Sed quid prohibet, quin cum Augustino De Nat. & Grat. c. 1. Chemnitio LL. Th. part. 1. p. 203. ac laudato illo antiquitatis indagatore Vossio l. c. p. 298. 299. 197. dicam? Pelagium ipsis illis testimoniis adversus Manichæos usum, tandem, cum er-

rorem in penetralia cordis ſui ſemel admiſiſſet, iisdem glaucoma objicere ſimplicioribus voluiſſe. Sane qui Auguſtini ſcripta contra Pelagium accuratius aliquanto perpenderit, vel invitus tandem agnoſcet, Pelagium tantummodo Manichæis reſiſtere voluiſſe, & quia diſciplinæ chriſtianæ tenax valde erat, nec flagitioſam inter chriſtianos ignaviam probare poterat, hanc hypotheſin, ceu commodam admodum ad excutiendam ex animis hominum deſidiam, arripuiſſe.

Πρῶτον ergo ψεῦδος Pelagii erat *ſumma naturæ humanæ perfectio*, vel, quod ſecundum rem idem eſt, omnimoda peccati originalis inficiatio, ut refert Æg. Strauch. in Diſſert. de Prædeſtinatianis, §. 7. Hanc enim tueudam eſſe arbitrabatur, ne Manichæis, hominem natura malum eſſe ſtatuentibus, aut Ethnicis, fati neceſſitatem urgentibus, pollicem premeret. Sed, ut vere dicitur apud Rabbinos, שבשתא דעל על & in noſtris ſcholis, *dato uno inconveniente dantur plura*; ita ex iſto Pelagii errore plures alii prodierunt, videlicet, *in ea perfectione unumquemq; procreari, in quo Adam fuerit ante lapſum, eo tantum diſcrimine, quod ille perfecta creatus ſit ætate, nos ea gignamur, quæ ratione necdum uti ſciat: Nullum idcirco eſſe originalem naturæ defectum: multo minus Adami peccatum poſteritati imputari, aut propter id ipſum mortem in humanum genus redundâſſe, cum Adam ipſe moriturus fuiſſet, etſi non peccaſſet: adeoq; mortem temporalem eſſe ex naturæ neceſſitate.* Clarum ergo putabat eſſe, illos, qui naturam dicant eſſe corruptam, cum Manichæis ſapere atque ſtatuere *diabolum naſcentium conditorem: damnare nuptias: negare in baptiſmo dimitti univerſa peccata: Deum crimine iniquitatis arguere: atque deſperationem perfectionis ingerere.* His jam aliisque inde fluentibus præſuppoſitis, arcem, ut dicitur, ex cloaca facere, & roſam cum anemone conferre facili negotio poterat,

ſcili-

ſcilicet: *Poſſe hominem ex viribus naturalibus DEUM diligere: legem implere: & graviſſimas vincere tentationes*; ſeu, ut Hericus in vita S. Germani canit,

Quod ſatis ad propriam poſſit conferre ſalutem
Arbitra libertas, etiamſi gratia deſit.

Pelagium tamen de Gratia nec idem ſemper ſenſiſſe, nec dixiſſe, Chemnitius l. c. p. 203. & prolixe Voſſius l. 3. p. 294. & ſeqq. oſtendunt. Tam callide enim amphibolico loquendi genere errorem ſuum tegere tandem cœpit, ut Auguſtinus affirmaret, *ſine ſcrupulo illa accipi poſſe, ſi non ab illis, quorum ſenſus notus erat, dicerentur*. Quicquid autem Pelagius ad confirmandum dogma ſuum ex Scriptura ſacra protulit, illud vel de libero arbitrio ſive in malo, ſive in rebus & operibus externis; vel de hominibus renatis, de quibus tamen non erat quæſtio; vel de præceptis, a quibus ad hominis voluntatem aut facultatem male argumentabatur; vel de libertate naturæ integræ ante lapſum; vel denique de libertate gloriæ in vita æterna intelligendum eſt, adeo, ut hiſce obſervatis, omnia Pelagii ſtratagemata, quibus orthodoxos circumvenire ſtudebat, facile animadverti, & caveri eludique poſſint.

Hominem autem in peccatis naſci, adeoque ex viribus naturalibus æternam beatitatem conſequi non poſſe, Scriptura tam clare teſtatur, ut ſæpe admiratio animum meum ſubierit, quî vaferrimus humani generis hoſtis mortales etiamnum adeo excœcare poſſit, ut contra clariſſimum hunc gratioſiſſimumque veritatis ſolem loqui non erubeſcant. Aſt, ubi accuratius aliquanto perpendi deplorandam illam φιλαυτίαν, qua DEI loco nos ipſos, ceu ultimos actionum noſtrarum fines, veneramur, deſii mirari. Verum animales homines hoc ipſo, dum noſtris freti viribus, cœlum petere conamur, miſeriam noſtram prodimus, atque teſtamur pariter, impoſſibile eſſe homi-

homini ſibi relicto, Autorem illum gratiæ cognoſcere. *Alte* enim *illuminati* nobis videmur, adeoque illum negligimus, qui oculos mentis aperire, lumenque illud divinum animabus noſtris ingerere ſolet, ſimiles hoc ipſo phreneticis, qui modo prophetas, modo philoſophos, modo duces, modo hoſtium ſuorum domitores ſe admirantur, ſuam vero nunquam agnoſcunt miſeriam; ſed aliorum potius inſaniam deflent, & Medico medicinam parant, convalituri, ſi medicamina ipſi admitterent. Cur, quæſo, miſericors ille Pater medicum nobis Chriſtum miſiſſet, ſi noſtris viribus æternam ſalutem promereri poſſemus? Poſſemus autem promereri, ſi cum ſumma animarum noſtrarum perfectione naſceremur. Naſceremur autem cum ſumma animarum noſtrarum perfectione, ſi parentes noſtri in concreata ſibi perfectione perſtitiſſent. Cum ergo verbum DEI, immo ipſe Pelagius χερσίν τε ποσίν τε omne id, quo DEVS cauſa vel autor peccati conſtituitur, a DEO removeat; num DEVM, vel Adamum potius adhærentis nobis mali, cujus effectus tota die experimur, cauſam vel autorem dicemus? Si DEVM: injurius certe is eſſet in creaturas ſuas, ſi id ab illis præſtandum exigeret, ad quod ſufficientes ipſis vires denegavit; tyrannus, ſi homines æternis cruciatibus ideo afficeret, quod non fecerint, quæ non ſua, ſed Creatoris ſui culpa facere non poterant. Et cum idem DEI verbum de ſufficientiſſima Chriſti pro peccatis mundi ſatisfactione ne Pyrrhonem quidem hæſitare ſinat, hominem vero primum in ſumma perfectione conditum affirmet, (adeo ut I.A.Oſiander in Colleg. MS. Controv. illuſtr. inde colligat, eum, comedendo fructum arboris vetitæ, multo majore cum difficultate peccâſſe, quam qui hodie inceſtum, ſodomiam, parricidium, aut aliud enorme flagitium perpetrant) qua mediante æternam ſibi promereri beatitatem

potuiſſet

potuisset: nostram vero conversionem ad DEVM, omnipotentiæ divinæ attribuat, eamque comparet cum creatione, resurrectione, regeneratione, cordis immutatione ex lapideo in carneum &c. quid aliud, quæso, restat, quam ut ineffabile illud gaudium soli DEO acceptum feramus? Sed pergendum.

CAPUT XI.
De
FAVSTO REGIENSI EPISCOPO.
Sec. V.

REfutavit illa Pelagii deliria felicissimo successu magnus ille Præsul Hipponensis, Augustinus. Sed cum multa ἐριστικῶς vel ἀγωνιστικῶς tradidisset, atque in contrariam partem, ac si gratiæ divinæ determinationem adderet, deflexisse visus fuisset, illico fuere, qui incommode, vel ex abundanti potius, aut ex occasione dicta, oraculorum & dogmatum instar, reciperent, atque gratiæ adeo omnia tribuerent, ut arbitrii libertatem tollerent, Deum, sine respectu peccati vel fidei, ad interitum, aut salutem homines condidisse dicentes, atque sic de prædestinatione differentes, ut negarent, reprobis pie viventibus prodesse bona opera, & electis impie viventibus obesse mala: quasi omnes pendeamus ab absoluto prædestinationis decreto. Et ita docebant, seu potius delirabant Monachi Adrumetini. Licet autem adversus eos ipse Augustinus duos scripserit commentarios, unum de Gratia, ac libero arbitrio, alterum de Corrept. & gratia, atque diserte mentem suam exposuerit, simul & Prosper Aquitanicus contra insidiosas Cassiani machinationes, erudita refutatione, suppresso ejus nomine,

Auguſtinum vindicârit, Lucidus tamen in Monachorum illorum ſomniis, non quod pueri in faba, ſe invenire arbitratus, ſequentibus inde temporibus Prædeſtinatianorum dux peſſimus, peſſimos fecit comites. Vide Æg. Strauch. de Prædeſtinat.

Omnibus ergo conatibus id agebat Fauſtus, ut Lucidum hunc in regiam deduceret vitam: ſed utinam ipſe ab ea non aberrâſſet! Videlicet adeo difficilis eſt, teſte Auguſtino de Grat. Dei contra Pel. l. 1. c. 47. & lib. 4. contra Julian. c. 8. ad diſcernendum quæſtio de libero arbitrio, *ut quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur: quando autem aſſeritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Sed cum ſtrenue alioqui ſe geſſiſſet elegantis & acris ingenii vir Fauſtus in Prædeſtinatianorum errore refellendo, & lib. arbitrio defendendo, non ſolum viſus eſt negare Dei gratiam, ſed revera negavit: *Sic enim,* referente Voſſio in Hiſt. Pel. l. c. p. 38. *Prædeſtinatos* (qui & *Prædeſtinatiani* dicebantur) *refellit, ut in contrarium lapſus errorem, non obſcure Semipelagianam defenderit opinionem.* Et cum Lucidum eo usque perduxiſſet, ut damnaret cum Orthodoxis ſenſum illum, qui dicit: *Poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum: Quod Chriſtus & Salvator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit: Quod præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt: Alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos &c.* adeo etiam in contrariam ſeduxit opinionem, ut & illos anathemate percelleret, qui dicerent: *Ab Adam usq; ad Chriſtum nullum ex gentibus per primam DEI gratiam, id eſt, per legem naturæ, in adventum Chriſti fuiſſe ſalvatum, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint;* paulo poſt ſubjungens: *ſe aſſerere per rationem & ordinem ſeculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moſis, alios lege naturæ,*

quam Deus omnium cordibus inſcripſerit, in ſpe adventus Chriſti ſalvatos; tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis, non abſolutos. Quæ & alia a Baronio ad A. C. 490. §. XXVII. annotata, Pelagianiſmum ſapere, quis non videt? Et licet Petavius iſta vindicare conetur atque excuſare; jejuna tamen illa eſſe, dudum oſtendit Æg. Strauch. l. cit. §. 20. Sed quia alienis hic oculis cernere cogor, nequa ipſa Fauſti opera nanciſci poſſum, ad alia potius pergam, ne in pariete adverſarium depinxiſſe, atque ita cum illo in arenam deſcendiſſe videar. Eadem de cauſa Viclefum, Johannem Erigenam Britannum, de quibus videatur Chemnit. LL. Theol. t. 1. p. 206. & Quenſted. Syſt. part. 3. de Prædeſt. p. 27. aliosque prætererire cogor.

CAPUT XII.
De
EVTYCHE.
Sec. V.

PVlchrum ſane eſt, multa ſcire, & rerum non modo naturalium cauſas inveſtigare; ſed & ipſa Spiritus ſancti eloquia magna cum admiratione audientium explicare, adverſariosque ſolidiſſime falſitatis convincere poſſe: at doctiores hac equidem ratione evadimus, ſed meliores non niſi rariſſime. Ad Theologiam accedere, ut te potius aliosque delectare, tibique obnitentes refellere poſſis, adeoque animum ſcientia rerum divinarum ſaginatum, corruptis vero moribus oppletum geras, idem eſt, ac vaſi putrido generoſiſſimos infundere liquores, ut aceſcant. Verum enim vero, bone DEVS, quam inverſa hæc fuere apud multos veteris Eccleſiæ hodegos! Sordebat illis ſim-

plicitas illa, quæ eſt in Chriſto, 2. Cor. XI, 3. in iis etiam, quæ humanum captum non dicam tranſcendunt, ſed penitus abſorbent: ferox animus ſapientiam ſibi polliceri conabatur.

Sed utinam, quam affectabat, rerum divinarum ſcientiam felix homileta, ſed, ut ajunt, tumidus valde atque ſuperbus hypocrita Neſtorius, idemque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ non Rector, ſed diſſipator, non Paſtor, ſed prædator, adeptus etiam fuiſſet, neque, ut præceptores ejus, Theodorus, Mopsveſtiæ in Cicilia Epiſcopus, & Diodorus Tarſenſis (hi enim, quum teſte Cyrillo de Incarn. Unig. & in Epiſt. ad Succeſſ. atque Leontio de Sect. act. 4. citati a Baron. loc. cit. Appollinaris, Chriſto non integram humanitatem tribuentis, ſed eum, loco animæ vel mentis, divinitatem habuiſſe docentis, perfidiam impugnarent, in alteram reciderunt ægritudinis qualitatem, atque ſenſere: *alterum eſſe Filium ſeorſum, qui de ſemine David & S. virgine natus, & alterum proprie Filium DEI Patris*) Sponſæ Chriſti lacrymas excuſſiſſet, negando, *duas in Chriſto naturas perſonaliter unitas fuiſſe*, & e contra affirmando, Filium DEI Filio Mariæ conjunctum eſſe his circiter modis: (1) gratia inhabitante, uti DEVS cum ſanctis unitur. (2) conjunctione operationum, quatenus Filius ſit inſtrumentum Filii DEI in producendis miraculis. (3) communicatione excellentiæ, quatenus honor Filio DEI debitus, ob convenientiam quandam filio hominis pariter exhibeatur. (4) unione affectus, voluntatis & dilectionis, quatenus idem ſit utriusque velle, idem nolle; hac ſimul voce addita: *Ego illum bimeſtrem aut trimeſtrem DEVM non appellaverim*

Utinam & Eutyches, cum in deſolationem Neſtorianæ hæreſeos impelleretur, rapido curſui terminum imponere, & ſibi juſtas moderationis habenas injicere

ſcivisſ-

ſciviſſet, neque tam improvide irruiſſet in hoſtem, atque pugnando adverſus hunc perduellem, ipſe infeliciter novus divinæ veritatis inſurrexiſſet impugnator! Quum enim laudabili contra Neſtorium odio, labores indefeſſo ſtudio exantlâſſet, eo usque proſiliit, *ut non duas in Chriſto duntaxat perſonas, ſed & duas naturas negaret:* atque illas poſt unionem vel per converſionem deitatis in carnem, vel carnis in deitatem, vel per commixtionem duarum naturarum in unam tertiam concreviſſe affirmaret, atque diceret: Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ. *Confiteor Dominum noſtrum, antequam divinitas cum humanitate conjungeretur, ex duabus fuiſſe naturis: at poſt conjunctionem, unam ſolum naturam confiteor.* Evagr. l. 1. c. 9. ac l. 2. c. 4. & 16. Inverſo plane ordine, cum contrarium veritas divina totidem verbis inculet.

Fontem utriusque erroris illum extitiſſe Fabricius noſter optime monet Præl. p. 167. *quod neuter, nec Eutyches, nec Neſtorius, diſcernere potuerit inter naturam & perſonam, quaſi fieri impoſſibile ſit, ut perſona & natura numero diſcrepent: Nam,* ſcribente Boëthio, *ſicut Neſtorius arbitratus, non poſſe eſſe naturam duplicem, quin perſona fieret duplex, atque ita cum in Chriſto naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit eſſe perſonam: ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem eſſe ſine duplicatione perſonæ; & cum non confiteretur, duplicem eſſe perſonam, arbitratus eſt conſequens, ut una videretur eſſe natura. Itaque Neſtorius recte tenens, duplicem in Chriſto eſſe naturam, ſacrilege confitetur, duas eſſe perſonas: Eutyches vero recte tenens, unam eſſe perſonam, impie credit, unam quoque eſſe naturam.*

Prælucere potuiſſet utrique myſterium, quod admittebant, S. Trinitatis, ceu iterum monet & docet Fabri-

 cius.

cius. Immo vel ipsa corporis & animæ nostræ conjunctio (quod simile, ut plerumque fit, claudicat quidem, nihil tamen veritati rei præjudicat) sciolorum horum argutiam in ruborem agit. Animæ siquidem naturam a natura corporis toto cœlo differre, nemo negabit: nihilominus adeo mens immaterialis ad corpus animale alligata est, ut vel ea percipere queat, quæ corpori contingunt, & corpus ordinarie nutu & imperio suo gubernare possit, adeoque unam ambo personam constituant. Hoc certe commercium, hæc conjunctio inter ea, quorum alterum omnium partium expers est, & per naturam suam a corpore materiato attingi non posse videtur, omnem captum humanum excedit. An tamen ideo, quia nihil quicquam habemus, quod in contrarium solide afferre possimus, Nestorii vestigiis insistemus, atque aliam corpus, animam iterum aliam constituere personam, tricabimur? aut cum Eutyche unam quidem personam hominis largiemur, sed & unam naturam, seu corpus & animam per commixtionem in tertiam quandam concrevisse, atque ita hominem constituisse, nugabimur? Sed non immorabor hisce refellendis, cum id erudite præter alios Fabricius noster l. c. præstiterit.

Caput XIII.
De
BERENGARIO.
Sec. XI.

Optime religiosissimus Scriverius in zufälligen Andacht. p. 1036. Die tolle Vernunfft will ihren Herrn lehren und meisteren / und hat aus dem Gedächtniß der Liebe ein Zanckmahl gemachet: i. e. Stolida ratio Dominum suum doce-

docere eique præſcribere conatur, & memoriam charitatis cum cœna rixarum commutavit. Enim vero verſutiſſimo callidiſſimoque dæmoni, eidemq; omnium contentionum faci & tubæ e re videatur ſua, inter unanimes Chriſti convivas pomum Eridis projicere, miniſtro non quidem primo, ſed tamen poſt Bertramum & Joh. Scotum, qui ſeculo vixerunt nono, & veram corporis ſanguinisque Chriſti in Euchariſtia præſentiam negârunt, præcipuo, Berengario. Calixt. in Epit. Theol. p. 139. Nemo enim primis octo ſeculis extitit, qui publicam Chriſto de cœna ſua moveret controverſiam: conſtans inde ab Apoſtolorum temporibus Eccleſiæ mens erat, in ſacramento euchariſtiæ ipſum corpus Chriſti, ipſumque Chriſti ſanguinem in ſubſtantia ſua præſentia eſſe, ceu id ex omnium ſeculorum Doctoribus probat Henr. Müller. in Hiſt. Bereng. Attamen nimia ſpecierum ſeu ſymbolorum veneratione ſequentibus temporibus periclitari cœpit veritas S. cœnæ: adeo enim in admirationem præſentis in euchariſtia Salvatoris nonnulli ferebantur, ut & ipſa ſymbola panis & vini perire, atque in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſire, falſo crederent.

Haud ergo nefario conatu Berengarius, Andegavenſis Eccleſiæ Diaconus, inſolitum hoc dogma convellere, atq; teſtimoniis Scripturæ validiſſimis, apud Magdeb. cent. XI. c. IX. p. 455. demonſtrare adnitebatur, adeſſe quidem in S. cœna verum corpus & ſanguinem Domini, ſed ſymbola ideo non perire & annihilari. Contigit autem bono viro, quod aliis etiam eveniſſe hactenus vidimus, ut duos inter errores veritatem aſſequi haud poſſet: inficiando enim, ſymbolorum ſubſtantiam in corpus & ſanguinem transire, ipſam ſimul corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam impugnare aggreſſus eſt, aſſerens: *Panem & vinum in menſa Dominica etiam poſt conſecrationem non eſſe*

verum

verum corpus & sanguinem Domini, sed eorum duntaxat figuras, vocari autem carnem & sanguinem propterea, quod in memoriam crucifixæ carnis & de latere effusi sanguinis celebrentur. Müller l. c. p. 15. His autem potissimum nitebatur argumentis: (1) Provocabat ad autoritatem Patrum, inprimis Ambrosii, Augustini, & Hilarii. Ex Ambrosii quidem libro de Sacramentis afferebat hoc dictum: *Sicut mortis similitudinem sumsisti* (nempe in baptismo) *ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis* (videl. in cœna.) Unde inferebat, in eucharistia non exhiberi verum Christi sanguinem, cum in baptismo non exhibeatur vera Christi mors, sed tantum mortis similitudo. Ex Augustino citabat verba, quæ leguntur in Comm. in Psal. XCIIX. *Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. — Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtur, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigunt.* Hilario imputabat, *quod Iudæ proditori communionem signorum concesserit, rerum* autem *signatarum* κοινωνίαν *denegaverit.* (2) Vrgebat id, quod Ecclesia afferebat, Christi corpus vocari in sacris literis *speciem, similitudinem, figuram, signum, mysterium, sacramentum:* has autem voces referri ad aliquid, adeoque non idem esse posse cum iis, ad quæ referantur. (3.) Afferebat, non sine ingente absurditate statui posse, panem eucharisticum esse verum corpus Christi: Nec enim in cœlum tolli, ut illic in carnem Christi transferatur, nec carnem Christi in terram deferri, ut hic pani jungatur, nec dari tertium. Objiciebat præterea corporis Christi, post resurrectionem, incorruptibilitatem, quæ non admittat panifragium. Nec denique impetrare poterat a se, ut crederet, verum corpus Christi in cœna Dom. edi, cum illud, usque ad tempus restitutionis omnium, cœlo maneat indevocabile.

Ad hæc omnia, ut cum Müllero loquamur, pro tempo-

temporis illius conditione ſatis belle reſpondit Lanfrancus, licet & ipſe in contrariam de transmutatione ſententiam per errorem deflexerit. Nam in verbis Ambroſii notat, particulam *ſicut* non ſemper indicare identitatem ſive æqualitatem, ſed aliqualem ſaltim convenientiam, ut in verbis Chriſti: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Luc. VI. ℣. 25. Auguſtino Auguſtinum opponit, docens, eum alibi teſtatum eſſe, *Chriſtum carnem illam, quam de matre virgine ſumſit, & qua in terris ambulavit, ad manducandum nobis ſalubriter tribuiſſe.* Hilarium indicat loqui de communione non corporali & temporali, ſed ſpirituali & æterna: ab hac, non illa, Judam excluſum dici. Ad id, quod de vocabulis *ſpeciei, figuræ &c.* afferebatur, regerit, pertinere iſta non ad corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ad panem & vinum. Deinde inveniri in ſacris etiam *ſpeciem, ſimilitudinem, figuram* pro veritate, ut in verbis Johannis: *Neque vocem ejus unquam audiviſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.* c. V, 37. & Apoſtoli: *Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.* 2. Cor. V, 7. Abſurditatem, quæ movebatur, eo ipſo retundit, quod ſecundum humanam ſapientiam multa videantur abſurda, quæ talia non ſint ſecundum divinam: humana ergo ſapientia non eſſe perſpicienda opera divina, ne plus ſapiamus, quam oportet ſapere, ſed ſapiamus ad ſobrietatem, juxta Apoſtoli præceptum Rom. XII. 3. Reliquis objectionibus opponit perpetuam & conſentientem veteris Eccleſiæ doctrinam. Atque ita tunc Berengarium excepit Lanfranus.

Sed utinam tandem, ſedata inter adverſas partes rixarum & cavillationum bile, ſanctiſſimis Chriſti verbis, *de modo præſentiæ* non ſoliciti, ſimplicem fidem haberemus, nec vel dulciſſimam Chriſti memoriam ſpinoſis & rixoſis diſputationibus redderemus amaram, vel ſuaviſſimum charitatis epulum in cœnam contentionis & odii transmutaremus! Sane de euchariſtica Salvatoris noſtri præſentia,

ultra modum & sepofita charitate qui difputant & foliciti funt, eo ipfo fe produnt, quod neque Chriftus in ipfis habitet, neque ipfi in Chrifto.

CAPUT XIV.
De
AMSDORFIO.
Sec. XVI.

OMnia in pejus degenerâffe videbantur, ubi Chriftiani non amplius, quæ funt Jefu Chrifti, ad Phil. II, 21. fed fua quærere, facerdotium Chrifti in imperia convertere, patrimonium Petri cum poffeffionibus, gladium Spiritus cum jurisdictione temporali, petram Ecclefiæ cum Petro, Miniftros Chrifti cum Capitibus, doctrinam evangelicam, contemtum mundi, ardorem fidei cum vectigalibus, oblationibus, collectis, decimis, auro, argento, purpura, aliisq; fallacibus mundi illecebris commutare, &, ut verbo omnia complectar, cœlum terræ mifcere confueverant. Et licet magnus ille vir DEI, Lutherus, in apoftolica de æternæ beatitatis confecutione doctrina a fermento pharifaico repurganda, fidelem fe Chrifti fervum orbi chriftiano demonftraffet; novæ tamen lites atque contentiones inter ipfos, proh dolor! Noftrates emerferunt, aliis cum Georgio Majore, bona opera ad falutem neceffaria, aliis e contra cum Nicol. Amsdorfio eadem ad falutem perniciofa effe affirmantibus propugnantibusque. Ut ita & Amsdorfius, dum Majorem refutavit, in contrarium incidiffe errorem videatur. De quo legi poteft Ofiand. Epit. H. E. Cent. 16. p. 580. Item Olear. in Continuat. Ifag. Carpz. p. 1339.

Verum enim vero fi rem fine præjudicio, animive pertinacia, perpendere voluerimus, *non tam ipfa re, quam diverfis*

diversis loquendi formulis (sunt verba H. E. Goth. p. 762.) certamine illo satanam Ecclesiæ imposuisse videbimus. Audiamus duntaxat, & quidem sine partium studio, ita confitentem Majorem in Confessione sua Wittebergæ edita A. 1563. *Cum igitur homo sola fide absq; omnibus suis operibus ac meritis, immensa misericordia divina, propter Christum, remissionem peccatorum, imputationem justitiæ, Spiritum S. & vitam æternam accipiat, tum affirmo, tali homini, tanquam creaturæ novæ denuo conditæ in Christo Jesu ad opera bona, Eph. II. necessariam esse novam obedientiam, seu opera bona præcepta in Decalogo. Et hanc obedientiam novam appello fructus fidei & justificationis antecedentis.* Et paucis interjectis pergit: *Etsi vero hi fructus fidem veram sequuntur, & quidem sequuntur necessario; tamen homo propter hanc novam obedientiam seu opera bona, nequaquam justificatur aut salvatur, sed perpetuo ad finem vitæ suæ justus est, hoc est, placet Deo, & filius ac hæres est vitæ æternæ immensa misericordia divina, sola fide. Idque expresse adfirmo in doctrina justificationis perpetuo retinendum esse, ad Osiandri justitiam essentialem, & Interimisticam justitiam inhærentem, quæ constat fide, spe & charitate, & cæteras corruptelas papisticas refutandas. --- Quod vero his verbis & hac propositione:* Bona opera sunt necessaria ad salutem, *neque in prælectionibus, neque in concionibus, aut ullis scriptis meis, ante hoc certamen, usus sim, testes facio omnes, qui prælectiones & conciones meas audiverunt, vel scripta mea legerunt.* Recenset postmodum originem tragici illius certaminis, & quam modesta se purgârit defensione, & ad declarandam mentem suam: *Bona opera,* ait, *ad salutem necessaria sunt, non ad promerendam salutem, quam jam habent facti filii Dei gratis, sola fide, sed ut fructus veræ fidei & Spiritus sancti, seu ut fructus justitiæ & regenerationis, quos necesse est sequi fidem, sine quibus vere justificati ac renati per fidem, tam non*

possunt esse, quam arbor bona sine bonis fructibus esse nequit. Nec tamen cor sequente renovatione & militia bonorum operum niti debet, sed in unico proposito propitiatore Domino nostro Jesu Christo, tanquam in fundamento unico & æterno salutis nostræ, confidere, hærere ac persistere debet. Conqueritur deinde de tempestate contumeliarum, quæ nihilominus subsecuta sit, & de rabie adversariorum, qui scribere non erubescant: *Bona opera perniciosa esse ad salutem.* Dicit porro, veram & honestam cum adversariis dimicandi rationem sibi non deesse, attamen propter concordiam & tranquillitatem Ecclesiarum se ferre, & omnia patienda vincere velle, ne vel alere certamina, vel gloriolam captare videatur. Testatur ulterius coram DEO & Ecclesia, se aliter non sentire, ac in verbis citatis dictum, suam cum Augustana Confessione congruere sententiam, nec se in causa esse velle, ut quis prætextu sui nominis turbare Ecclesias rixis non necessariis possit. Et tandem sponte atq; ultro profitetur, *se propter Ecclesiæ tranquillitatem non usurum hac forma verborum, de quibus controversia mota erat,* Bona opera necessaria sunt ad salutem, *quia videat, illi affingi falsas interpretationes, & alienas a vera sententia, sicut & jam annis aliquot liberrima voluntate ab hac verborum forma abstinuerit.*

Jam uti quivis, cui pectus sapit, & pax ecclesiastica curæ cordique est, ab hac loquendi formula, *Bona opera sunt necessaria ad salutem,* cum multis gravibus & præclaris Theologis, ut Chemnit. de B. O. p. 55. Carpz. Isag. in LL. Symb. p. 1339. Quenst. Syst. t. ult. p. 328. &c. Scherz. Syst. p. 467. quibus causalitatis aut meriti proprie dicti anguis sub herba illa latere videtur, lubens meritoque abstinebit; ita nec Amsdorfianam illam, piis auribus plane ingratam, unquam adhibebit. Nam licet Amsdorfio purior forte mens fuerit, quam lingua vel calamus, nec ipsa

bona opera in se, sed ratione accedentis fiduciæ, quasi salus per ea obtineri queat, perniciosa dixisse, adeoq; vanam de bonis operibus præsumtionē, quæ minime bonum, sed malum opus est, rejecisse videatur; attamen & hæc propositio, *B. O. credentibus ad salutem sunt perniciosa*, merito rejicitur, quoniam ita nude usurpata falsa est, & offendiculi plena, quippe qua disciplina & morum honestas labefactantur, dissolutæ vero & Epicureæ vitæ janua aperitur. Interim vel hoc etiam exemplo discamus cautius mercari in foro Theologico, ac sobrius loqui, atque ὑποτύπωσιν ἔχειν ὑγιαινόντων λόγων, sicuti Paulus præcipit Timotheo suo in 1. ep. c. III, 13.

CAPUT XV.
De
FLACIO ILLYRICO.
Sec. XVI.

NOtum est, Flacium, virum alioqui de ecclesia christiana optime meritum, *peccatum originis ipsam hominis substantiam* affirmâsse. Cum enim Victorinum Strigelium in disputatione Vinariensi, de qua vide Carpz. Isag. p. 1159. & Titii Differt. de Flacio, nervoso argumento a corruptione totali hominis desumto sub initium adeo constrinxisset, ut evadere non posset: iste sophistico more tergiversans, ad alia adversarium trahere studuit, atque cum de discrimine substantiæ hominis & peccati originis quædam movere cœpisset, lateque deduxisset, quod substantiæ liberi arbitrii peccatum originis nihil detrahere possit, id obtinuit, ut Flacius negaret, peccatum originale accidens esse. Argumentabatur enim Strigelius hunc in modum:

Accidens eſt, quod adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem.
Peccatum eſt accidens.
E. Adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem

Atque heic cum Flacius optimam ex pharetra ſcholaſtica diſtinctionem, inter Accidens videlicet *prædicabile*, quod abeſt & adeſt præter ſubjecti corruptionem, & *prædicamentale*, quod alteri ineſt, tanquam ſubjecto, producere, & ad ſcopum ſuum applicare debuiſſet; ipſe neglectis hiſce armis, minorem abſolute negavit.

Quod ergo aquæ interdum accidit, ut per ſiphonem aſcendat, non quaſi naturali ſuo & uſitato motu in altum feratur, ſed quia ob extractum, qui ante reſiſtebat, aërem, ab aëre extrinſecus premente cogitur aſcendere, id & Flacio noſtro eveniſſe dolendum eſt. Cum enim intus, ut ita loquar, non haberet, quo prementi extrinſecus adverſario reſiſteret, iſte vero fortius ſemper urgeret atque premeret; motum ſuum naturalem, genuinamque ſententiam amiſit, & in contrariam tantiſper conceſſit, donec ſe melius expedire poſſet. Expedire ſe autem conatus eſt diſtinguendo *inter ſubſtantiam materialem & formalem*, per materialem intelligendo corpus & animam hominis, per formalem autem corpus & animam hominis, prout in integritatis ſtatu imago DEI fuerint, & nunc ſint peccatum orig. item *inter hominem theologice & phyſice conſideratum.* Quaſi hi duo adverſis pugnarent cornibus. Phyſice conſideratum, in anima & corpore conſiſtere dicebat, atque naturam ejus fuiſſe ſpecie eandem cum natura à Chriſto aſſumta: theologice autem conſideratum habere peſſimam formam, peccatum nempe originale. In tract. VI. de Pecc. O. part. 2. Clav. cit. Carpz. l. c.

Verum, ut Flacius G. Majorem, toties verba ſua de *neceſſitate B. O. ad ſalutem* excuſantem & declarantem, nullo modo ferre voluit, ita viciſſim nec ipſe ab aliis veniam aut abſolutionem dictorum impetravit, licet proteſtando confiteretur: Ich habe ſchier tauſendmal mich erkläret / daß ich nicht rede ſchlecht in gemein von dem gantzen und natürlichen Weſen der Seelen / ſondern nur von ihrem edelſten Grad oder Heil / und nur ſo fern ſie in demſelben verkehret und verderbet iſt: quæ verba reperiuntur im Bekänntnis r. 2. Non tamen purior hæc alioquin mens admittebatur, quia linguam corrigere detrectabat. Quam ſi correxiſſet ad inſtar Majoris, tantas Eccleſiæ turbas nunquam dediſſet, aut alios in errorem induxiſſet. Sed vero φιλονεικίας & φιλαυτίας ſtudium id non permiſere. Optime ſane Eraſmus, in Præf. ad Hilar. *Hoc pertinaciæ plerisque mortalium ingeniis inſitum eſt, ut, quod ſemel quocunque caſu pronunciaverint, nunquam tueri deſinant, etiamſi conceperint, ſeſe perperam pronunciâſſe. Primum pudor obſtat: is per contentionem proficit in pervicaciam: pervicacia tandem exit in rabiem. Ita fit, ut, dum utrinque crudeſcit pugna, utrinque veritas amittatur.*

CAPUT XVI.
De
STANCARO.
Sec. XVI.

IN memoriam mihi hîc venit querela Baſilii Magni, quam citant Magd. in Cent. 4. p. 583. de exceſſu controverſiarum: *Cum in virum*, inquit vir ille graviſſimus, *evaſiſſem, & peregrinationibus ſæpenumero uſus, in moleſtias, ut par erat, incidiſſem, in aliis quidem artibus & ſcientiis multum*

tum concordiæ inter eos deprehendi, qui singulas artes exacte exercerent: in sola vero Ecclesia Dei, pro qua Christus est mortuus, & in qua Spiritum S. abunde & opulenter effudit, maximum dissidium, & vehementem multorum cum inter ipsos, tum contra divinam Scripturam dissensionem observavi, &, quod horrendissimum est, ipsos Ecclesiæ Præsides in tanto & animi & opinionum inter se dissidio constitutos, tantaque contrarietate mandatis nostri JEsu Christi repugnantes, Ecclesiam DEI crudeliter dissipare, & gregem ipsius absque ulla commiseratione perturbare, ut & in ipsis jam, si unquam, prodeuntibus & florentibus iniquis, impleatur illud Apostoli: Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abstrahant post se discipulos. Cui fere consonum, quod scribit celeberrimus Becmannus, in Parallel. Polit. disp. XVII. §. 9. modum controversandi nostrorum temporum delineaturus: *Eo ipso, quo quælibet secta se aut solam Ecclesiam, aut purissimam Ecclesiæ partem credidit, creditque adhuc, interminabiles disputationes natæ, quæ non finem controversiis, sed odia animis adduxerunt infinita. Videantur innumera illa scripta polemica, & tanta quidem cum controvertentium diversitate, ut, si quis omnes simul intueri velit, non aliud haberet spectaculum, quam si innumerabile videret agmen hominum per eandem viam progredi se profitentium, quorum tamen alii dextrorsum, alii sinistrorsum, hi sursum, illi deorsum, alii prorsum, alii retrorsum sese agant, &, quod magis monstrosum, alii pedibus, alii capitibus incedant. — Ne allegemus, quam minaci subinde fronte appareant: sæpe nugas, sæpius calumnias, furias, ipsumque diabolum profiteantur. Talia*: Furiæ Prædicantium: Repetitæ Furiæ: Prædicans vapulans & disciplinatus: Lutherus septiceps: Lutherus dedolatus: Wer hat das Kalb ins Aug geschlagen? Es müste wol ein Kuhe lachen: Heilbrunnerischer Trumpf: Lutherischer Katzen-Krieg: — & *innumera*

innumera bujusmodi alia, fœnum in cornu gerentia, & mandato Salvatoris e diametro contraria: Hoc est mandatum meum, ut vos mutuo diligatis. Ecquid de temporibus B. nostri Lutheri obitum insequentibus dicendum? Sane omnia videbantur ire funestis in prælia signis, quasi non alio fine benignissima DEI providentia lumen evangelii accendi voluisset, quam ut hominum ingenia rixandi furore inflammarentur, mutuisque concertationibus Ecclesiæ incendium ac ruinam pararent. Semper quidem ventilandus est gladius sermonis evangelii adversus omnes errores impios, & immoto, quod ajunt, pede standum adversus hæreses suppullulantes: sed illam oportet primam esse curam, ne reperiatur in nobis, quod in aliis insectamur, aut corrupti privatis affectibus, quod bonum est, dicamus malum, quod dulce, amarum, quod lucidum denique, tenebrosum.

Sane si *Franciscus Stancarus* talia accuratius perpendisset, atque circumspectius Andream Osiandrum, collegam suum, oppugnasset, in eum errorem, qui indelebilem famæ ipsius notam inussit, neutiquam incidisset. Cum enim, referente Schüsselb. in Catal. Hæret. l. *9*. p. 37. 38. A. Osiander Pastor Regiomonti in Prussia, in veteri oppido, & Prof. in Acad. ibid. primarius, A. C. 1557. in doctrina de justificatione peccatoris, insolitum dogma proferret, velisque remisque omnibus contenderet: *Christum esse nostram justitiam, tantum juxta divinam, & non juxta naturam suam humanam*; Stancarus, qui in eadem Academia eodem tempore sacras literas profitebatur, a Magistro Sententiarum seductus, ex adverso remos magno impetu intendens, asserebat: *Christum esse nostrum mediatorem, tantum secundum humanam, & non secundum divinam naturam*, his potissimum nixus fundamentis: *quod DEUS unus sit: quod Mediator non sit unius: quod*

Filius quoque sit unus ille DEUS: quod Mediator debuerit mori: quod Christus passus sit secundum carnem: certissimis sane, & immotis, verum male ad deliramenta sua accommodatis. Et cum ad hæc orthodoxi illius temporis, atque inprimis Phil. Melanch. in Respons. de Controvers. Stancari, quæ & extat inter libros Normales inclytæ Reip. Noriberg. solidissime responderint, seminaque hujus erroris jam dudum extincta sint, immo ipsi Pontificii hunc alias errorem incrustantes, in contrarium disputent, haud opus erit ei oppugnando immorari. Tantum hoc notetur: Distinguendum Stancaro fuisse inter essentiam & personas divinas, cogitandumque, opus mediationis esse θεανδρικὸν, & Christum esse personam, divina pariter & humana natura constantem, nec tantum mori debuisse Mediatorem, sed etiam conterere caput serpentis, Genes. 3. adducere sempiternam justitiam, Dan. 9. implere legem Dei, Matth. 5. liberare ab omni peccato, Rom. 6. & in vitam æternam collocare, Matth. 25. Quæ omnia absque divina natura præstari non poterant. Vid. Schlüsselb. l. c. & Brochm. Syst. Theol. L. de Off. Chr. p. 967.

CAPUT XVII.

De HUBERO.

Sec. XVI.

Claudat agmen Samuel Huberus Helvetius, olim in agro Bernensi Ecclesiæ Pastor. Hic cum acta colloquii Mompelgartensis legeret, atque duriores Bezæ, viri alias eruditissimi, articulos de particularitate meriti Christi & gratiæ DEI, de causa damnationis in sanctissimum Numen retorta, ut & alia, quæ apertum Scripturæ bellum indicare

care videbantur, perpenderet, relictis hisce dogmatibus, orthodoxam, de universali & merito Christi & gratia DEI, sententiam secutus, Magistratum Bernensem admonuit, ne horridor illa doctrina in ditione sua spargeretur. Unde orta est disputatio Bernensis A. C. 1592. cum Abr. Musculo, Grynæo, & aliis, cujus eventus fuit Huberi exilium. Sed ecce in Scyllam prolapsum, qui Charybdim modo vitaverat. Nam deinceps in Ducatu Würtenbergensi, Tubingæ imprimis, occulte; in Academia vero Wittebergensi publice defendit hanc thesin: *Quod DEUS ab æterno omnes homines in Christo ad salutem elegerit & ordinaverit, ante omnem & sine omni respectu fidei, sive homines credituri essent, sive non*: eamque magna mentis pertinacia ad mortem usque defendere allaboravit.

Quantumvis vero Huberus cum contradictoria sua electione universali a Polyc. Lysero in scripto quodam Germanico, & Leonh. Huttero, in comment. in Form. Conc. peculiariq; de Electione tractatu, prolixe refutatus sit, nihilotamen secius, ne instituti mei plane oblitus videar, argumenta ejus paucis audire, & ad ea respondere lubet. Statuit autem, omnes a DEO ad salutem æternam electos esse: I. *quia gratia & dilectio DEI sit universalis*, Eph. I, 6. Joh. III, 16. II. *Quia omnes debeant esse sancti*, Eph. I, 4. III. *Quia electio facta in Christo, qui omnes redemit*, 1. Joh. II, 2. *per eundemq; omnes justi constituuntur*, Rom. V, 18. 19. *& omnia per eum instaurata*, Eph. I, 10. IV. *Aut quosdam DEUM absoluto præteriisse decreto, quod sit Calvinianum, aut omnes elegisse*. V. *Quia Electio particularis irritas reddat adhortationes, & desperationi fenestras aperiat*.

℞. ad I. Quod vocabulum *Electionis* attinet, distinguendum probe est inter usum ejus proprium & Scripturæ S. conformem, atque improprium vel ecclesiasticum. Etenim si electio improprie accipiatur, & prout scriptores

ecclesiastici nonnunquam loqui amant, nimirum pro benefica DEI erga omnes voluntate, & generali ejus dilectione, vel pro negatione absoluti decreti reprobatorii, vel DEI proposito omnes in Adamo ad vitam æternam creandi, & omnes in Christo ad vitam reparandi, vel denique pro oblatione mediorum salutis omnibus communi, non repugnabimus, electionem posse dici universalem. In propria autem & Scripturis conformi significatione electio minime dici potest universalis, cum expresse Matth. XX, 16. & c. XXII, 14. dicatur, *multos esse vocatos, paucos vero electos.* Imo vis vocis *electionis* universalem electionem excludit: electio enim ab eligendo dicitur: Eligere vero, juxta Cassiodorum, est unum de multis legere; vel, ut Valla loquitur, de quovis numero & quavis multitudine electionem facere; vel, uti Ausonius Popma judicat, eligere est e quavis multitudine unum secernere, sive ad eligentis emolumentum, sive ad illius, qui eligitur, dignitatem. Distinguendum porro inter voluntatem DEI antecedentem & consequentem, item inter gratiam & dilectionem DEI in se consideratam, quomodo utraque est universalis; & consideratam cum fide tantum aliquot hominum, qua ratione particularis redditur. Secundum hanc, non illam facta & electio. Ad II. ℟. Studium sanctitatis non est officium electorũ seu in fide perseverantium proprium, sed omnibus credentibus commune. Terminus ergo & finis sanctitatis generalis omnes respiciens credentes, non excludit respectum specialem electorum, de quo agit locus allegatus. Nempe sicuti justificamur, ut simus sancti, nec tamen omnes justificati sunt; ita eliguntur a Deo homines, ut sint sancti, nec tamen omnes electi sunt. Ad III. Discrimen faciendum inter acquisitionem vitæ æternæ per Christum factam, & inter applicationem meriti illius, quæ a multis hominibus non fit, atque adeo electionem reddit particularem. Ad

IV.

IV. Datur tertium, eſtque præteritio duplex. Quanquam enim DEVS neminem præteriit abſolute, præteriit tamen quosdam voluntate conſequente & judiciaria. Ad V. Electio particularis non magis reddit irritas ad pietatem adhortationes, quam juſtificatio particularis. Si enim non ſalvantur, niſi qui in fide usque ad finem perſeverant, ſtupidum eſſe oportet & de ſua ſalute parum ſolicitum, qui ſpe tanti præmii non velit in piis fidei & bonorum operum exercitiis ad finem usque gnavus eſſe, juxta id, quod dicitur Matth. XXIV, 13. 1. Tim. II, 15. 2. Tim. IV, 7. Apoc. II, 10. Neque etiam deſperationis mater eſt, ſed potius efficaciſſimum conſolationis remedium, ceu videre licet Rom. VIII, 30. &c. & Joh. X, 27. 28. 29. Plura de hac controverſia vide apud Gerhardum de Elect. §. 201. Brochmannum p. 689. Rauppium p. 46. Joh. Olearium in Iſag. Carpz. p. 1614. & 1680. & Joh. Ad. Oſiandrum. in Coll. Syſt. part. VI. p. 97. & ſeqq.

CAPUT XIIX.

Regiam inter Scyllam & Charybdim viam oſtendens.

VIdimus hactenus lugubres & periculoſos caſus aliquot inſignium Theologorum, qui in fervore diſputationis, Charybdim vitantes, in Scyllam, ſeu, ut alio proverbio dicitur, calcariam fugientes, in carbonariam contrariorum errorum miſere inciderunt. Quorum vicem ut dolemus, ita memoria recolimus *Lutheri* dictum: *Veritatem nunquam magis, quam diſputando amiſſam fuiſſe.* Confer in hanc rem Hartmanni Veri Chriſtianiſmi Impedimenta & & Adjumenta p. 177. Cui concinit clariſſimus & ſingulari

ornatus prudentia *Spenerus*, quando in Piis Desider. p. 119. ait: *Disputationes, recte etiam institutas, non unicum illud servandæ veritatis medium esse, sed plura juxta ipsas requiri.* Sed quia non tam expedit, nosse casus aliorum, quam ab illis ac similibus sibi cavere, hinc operæ pretium putamus nos facturos, si meliorem viam, & causas pariter illorum lapsuum fideliter monstremus atque indicemus. Ab omnibus autem concessum fundamenti loco ponimus hoc Axioma: *Gloria Dei & ædificatio proximi, in omnibus nostris disputationibus, unicus noster scopus esse debet.* Hinc sua sponte fluet hæc Propositio: *Quicquid ad gloriam DEI & ædificationem proximi, ceu unicum disputationum nostrarum scopum, tendit, regiam viam nobis aperit.* Cum hoc autem fundamento aversis pugnant cornibus

I. Illi, qui *gloriæ* sunt *cupidi*, atque existimationem aucupantur, vel, ut verbo rem eloquar, *οἱ φίλαυτοι*. Gentibus equidem summa lex erat ambitio, sine cujus stimulis Cicero ne moturum se pedem pro salute Reip. ore nimis profano in Senatus P. Q. R. conspectu ajebat. Sed expectent Ciceronis fatum, qui ejus tuentur sententiam. Non est tam deplorata rerum divinarum ratio, ut nullas habeat secures Nemesis, flagra nulla. Christianos nos esse meminerimus, quorum maxima gloria *Crux Christi*, quorum summa existimatio, humillimi Antecessoris insistere vestigiis. *Non iste, cum in forma DEI esset, rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Phil. II, 6. Anne ergo nos gratis concessis aut emendicatis DEI donis superbiemus? *quid enim habes, o homo, quod non accepisti? Si autem accepisti, cur gloriaris?* 1. Cor. IV, 7. Hartmannus l. c. p. 71. *Valeant Theologi,* ait, *qui scientiam linguarum & Scripturarum, quam habent, non a DEO, sed a seipsis habere credunt; si scientiam, quam habent, suæ philosophiæ e lacunis Scholasticorum haustæ, suis vigiliis, exercitiis,*

&

& peregrinationibus per scholas & academias adscribunt: si jactant se habere eum scientiæ gradum, quem non habent, persuadentque animis suis, se acuto e logicis judicio & subtili syllogismorum consequentia ea attingere, quæ alii, ut sibi Deus simplici intelligentia Spiritum sanctum largiri velit, orant: si alios despiciunt, veritatemque, more Pharisæorum superiores cathedras occupantium, ex inferioris subsellii viris audire nolunt, &, si audiantur, notam sibi imprimi putant. Revera φιλαυτία hæc teterrimum vitium est: ubi enim semel in penetralia cordis immissa fuerit, illico ingens gloriæ DEI & ædificationi proximi adversum malum producet, quod suppullulascentes ex disputationibus fructus omnes in herba corrumpet. Ex φιλαυτίᾳ enim nascitur 1. *Vana Præsumtio*, qua qui occupatus est, omnia se scire credit, etiam id, quod Junoni, ut proverbio fertur, in aurem dixit Jupiter: (*quemadmodum Rabbinos pudet, alicubi non habere, quod respondeant*) unde & *libido contradicendi* excitatur. 2. *Temeritas*, qua fit, ut homo modum definiendi nesciat servare, & θεότητα atque articulos fidei in illis etiam comminiscatur, quæ motillationem caudæ catelli Tobiæ vix aut parum dignitate superant. 3. *Pertinacia*, quam qui admisit, ferreus fit atque inflexibilis, ita ut ab eo, quod semel tuendum suscepit, se dimoveri nullo modo, nullo argumento patiatur. 4. *Iræ*, quæ ubi admissæ sunt, tunc sane inter theologum disputatorem, & animæ prodigum digladiatorem, nihil aliud discriminis relinquitur, nisi quod hic vitam adversario erepturus, de propria periclitetur, ille coram orbe literato se prostituat, pro vanissima nominis fama, vaniore ausu decertans. Omnes in tali pharisæo aperiuntur diabolo fenestræ, *cum*, ut significantibus verbis rem exprimit Hartmañus, *iracundis cogitationibus facilime & occultissime se insinuet, easque rem opinione conceptam aggravando*

do suscitet, suaq; suggestione & lædendi cupiditate, captandæque gloriæ aviditate, velut novis admotis flabellis, accendat, spiritum & sanguinem commoveat, bilem inflammet, rationem & judicium turbet, ut opinionem non opinionem, sed æternam veritatem putet. 5. *Scommata, anathemata & condemnationes.* Hucusque qui progreditur, immemor redditur charitatis christianæ, existimationem adversarii proterve lædit, nullo inter personam & doctrinam discrimine habito, ratus, licitum sibi esse, quicquid in buccam, quicquid in calamum venerit, seque non conservum esse alterius, sed dominum, sed Jovem, manu tenentem fulmina, quæ pro lubitu in aliter sentientem vibrare possit, ac debeat.

II. *Cœco* flagrantes *zelo.* Communis sane larva zelus est, sub qua prædicta vitia, nec non alia, ut odium, livor, dominiandi prurigo, divitiarum amor, vindictæ cupiditas, & quæ hujus generis plura sunt, latitare solent. Tales intus sunt in cute, sed zelum tamen præ se ferunt, & vel hoc nomine videri & audire cupiunt præ aliis *Reverendi.* Quidni? Nam adversarios a capite ad calcem sale acerbo perfricant, & quantis possunt aculeis compungunt & transfigunt, iisque sensus alienissimos, & quos in eorum verbis ne Diogenes quidem laterna sua inveniret, affingunt: deinde infestis animis, dictis aculeatis, multisq; ex eruditione seculari petitis morsibus, nec sine conviciis, eos aggrediuntur: atque tandem subjiciunt, se DEVM reveritos ab ultione abstinere, neque privatis affectibus æstuanti pectori verba commodare, sed cum Psalmista ponere custodiam ori suo, & quicquid dictum scriptumve ab ipsis sit, ex pio & necessario zelo provenisse. At nefas, scelus, & flagitium est, prætexere fidei orthodoxæ defensionem, intus autem affectibus pessimis agitari, &, sub Christi titulo, genio indulgere, satanæque negotium agere: inhumanum & tyrannicum, non audire

audire partem alteram, quæ utique audienda esset sine præjudiciis vel anteceptis opinionibus, sine animi pertinacia, clare, distincte, sufficienter, cum omni modestia, ne justam causam habeat conquerendi, se non auditam, vel non satis intellectam fuisse, sibi injuriam fieri, non ita se intelligere vocem vel phrasin, sicut illa ab adversa parte accipitur. Zelus sanctus utique summe necessarius est; sed cavendum, ne fiat nimius, neve degeneret in rigorem: *Idcirco enim*, ut ait Gregorius Naz cit. Hartm. l. c. p. 68. *in columba & igne Spiritus S. monstratur, quia videlicet omnes, quos replet columbina simplicitate, mansuetos & igneo zelo ardentes exhibet: Nequaquam enim Stephanus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis, fervorem æmulationis deserit, aut rursus in æmulationis ardore, virtutem mansuetudinis amittit.*

III. *Impares oneri*, & ad hanc rem administrandam *Inepti*. Licet autem (1) *Indocti*, qui statum controversiæ non intelligunt, fallaces adversariorum terminos æqua lance trutinare nesciunt, linguarum orientalium, & maxime Hebreæ & Græcæ, rudes sunt, fundamentaque veteris & novæ philosophiæ non exacte callent, principe loco sub ferulam revocandi essent: non tamen hos tantas Ecclesiæ lacrymas elicere posse, certum est, quam (2) πεφυσιωμένους, h. e. *Inflatos*, & qui μόρφωσιν habent eruditionis, eaque adeo sibi videntur repleti, ut, nisi plenis buccis evomant, vereantur, ne venter sibi inde disrumpatur. Imaginaria hac eruditione tumescentes, papæ! illi vero subtiles, seu, ut ipsi loqui amant, *illustriores* controversias nôrunt proponere, ventilare ac solvere, sed ita, ut ipsi tandem præ nimia subtilitate se non intelligant, digni certe, ut ad, fervidarum dicam? an otiosarum scholarum, quarum fumos oculis christianæ Ecclesiæ obtrudunt, pulverem lambendum relegentur. Quid prodest exclusam esse a Lu-

thero nostro *spinosam* istam *theologiam*, si nos illam recipimus? Utinam Biblica theologia ubivis revocaretur, atque eliminatis πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, & quæstionibus curiosis inutilibusque, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως 1. Cor. II, 4. cum adversariis ageretur! Quam hoc esset magis proficuum, magisq; salutare! Nugis enim Scholasticorum, deserta Scriptura S. operam impendere, quid aliud quæso est, quam *scortari post Deos alienos*, cisternas quærere, & saluberrimos Israëlis fontes deserere? Sed nolo hic prolixus esse. Quantum enim damnum hæc prurientis seculi περιεργία Ecclesiæ adferat, veneranda Theologorum biga, *Spenerus* in Piis Desid. a p. 18. usque ad p. 33. & *Hartmannus* l. c. satis demonstravit. Nec minus illum a scopo nostro, ceu ineptum, aberrare certus sum, qui (3) *In Præceptorum suorum verba jurat.* Barbarum equidem est & homine christiano indignum, erga præceptores quocunque tandem modo ingratum esse; sed magna injuria is præceptores suos afficit, qui cœca adeo submissione ipsorum dogmata amplectitur, ut in eorum gratiam, & ne ab illis abiisse videatur, vel contra solem loqui non erubescat: tantum abest, ut gratæ mentis officium iis præstet. Sint Præceptores *duces* nostri, sed non *domini*: solus Spiritus S. supremus Dominus & illuminator esto. Optime Jacobus Martini, in Pæd. Log. l. V. c. 15. p. 755. *Amicus Plato, amicus Aristoteles; sed magis amica veritas. Sic in disputationibus Theologicis, amicus Lutherus, Chemnitius & omnes Theologi, sed magis amicus Christus, & ejus verbum in S. literis contentum.* Ut & sæpe laudatus Hartmannus, l. c. p. 69. *Cessent, qui a pueris suorum Præceptorum innutriti sunt placitis, illorumque indolem & opinionem fecerunt suam, ex mera simplicitate in dissentientes ultra modum invehuntur, putantque, se eo ipso DEO præstare cultum.* Valde denique a scopo abducunt (4) λογομαχίαι, seu

ſeu *Pugnæ de vocabulis phraſibusque.* Documento eſſe poſſunt infelicia diſcordiarum tempora, Lutheri noſtri obitum ſecuta, quæ ſuis depingit coloribus idem Hartmannus. l. c. p. 86. &c. Eſto ergo, incommode nonnunquam loqui adverſarium: ſi ſanam habuerit mentem, atque in re nobiscum convenerit, anne ideo, *quia*, ut loquitur Hieronymus Epiſt. 57. *vocabula non edidicit, hæreticus judicandus eſt? Utinam*, exclamante Chytræo, qui allegatur a Spenero l. c. p. 24. *lex fidei & charitatis ab Apoſtolo præſcripta, in his diſputationibus valeat, ut vera ſententia ex fundamentis verbi divini firmiter retenta, de formis loquendi non litigemus, & re intellecta in verborum uſu faciles ſimus, ne nimium altercando veritatem tandem prorſus amittamus! Si quid in formulis loquendi offendit, cur non pia declaratione potius, quam virulenta condemnatione emendatur?* Quanquam etiam, qui videt, alios ſuis loquendi formulis offendi, & diſſidium inde excitari, eam animi moderationem adhibere debet, ut illis abſtineat, nec temere ac præfracte utatur amplius.

Cum ergo ex hactenus dictis ſatis pateſcat, φιλαυτίας, cœcum zelum & ineptitudinem, cum reſultantibus inde vitiis, axiomati noſtro in tantum adverſari, ut ſui ſequaces in Scyllam præcipitent; vi contrariorum certum erit, contrarias his vitiis virtutes (quas ſolus Spiritus S. per fidem in nobis operatur, adeoque tandem ſolum Spiritum ſanctum) regiam nobis viam aperire.

Ubi vero contigit, ut aliquis in contrarium errorem lapſus fuerit, eum agnoſcere illum, averſari, atque anniti oportet, ut inde liberetur. Certe profecto in quo ſpiritus Chriſti habitat, quique illi, *quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ accedit, is non inſanit circa quæſtiones ac diſputationum pugnas, ex quibus prognatas videmus invidiam, contentio-*

nes, maledictiones, suspiciones malas, supervacaneas conflictationes, non secus ac si pietas quaestus esset, 1. Tim. VI, 3.4.5. *Cui finis* actionum atque dissertationum suarum *est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata*, seu gloria DEI & aedificatio proximi, is a regia veritatis via *non aberrat, nec ad vaniloquia*, & illam errorum Scyllam, *deflectit*. 1. Tim. I, 5.6. Quando autem erratum est, non in errore persistendum, nec desperandum, sed arripienda post naufragium secunda τῆς μετανοίας tabula, ac duce navarcho Jesu enatandum. En Hieronymum atque Augustinum, pyxidis instar nauticae, a polo suo Christo deturbatos. Quam operose contendunt per seriam errorum confessionem, trementisque animi motillationem, in pristino loco quiescere, atque ita sine nictatione polarem suam stellulam intueri! Anne ergo nos constantiam illud prudentemque animi fortitudinem esse existimabimus, dum remoti a polo nostro, obstinate conquiescimus, & salutaribus Spiritus S. motibus, convenientibus animi nostri affectionibus, fidelibusque Christi ministris resistimus atque reluctamur? Meminerimus potius, illud demum christiani, hoc est, generosissimi animi, & inhabitantis Spiritus S. symbolum esse, si, postquam per cogitantiam, eive etiam postea accedentem pertinaciam peccavimus, atque a regia virtutis ac veritatis via in devios errorum saltus deflexímus, divina gratia, quae quotidie de novo nobis illucescit, utentes, inde reverti curemus, ac denuo conjungi cum sponsa Christi, quae veritatem sartam tectam habet, & impotentis animi affectibus, quantum potest, resistir. Sic enim immota stabit fides nostra, sic proximus aedificabitur, atque sic tandem, uti fas est, permanebit

SOLI DEO GLORIA.

ADDITAMENTA.

Lutherus & *Philippus*, dum ſe vehementius oppoſuere Scholaſticis, dignitatem & meritum operum altius extollentibus, libertatemque arbitrii & virium humanarum præſtantiam nimium quantũ amplificantibus, inciderunt in contrarium errorem de fatali neceſſitate: uti ex Gerhardi Tomo II. Loc. de Lib. arb. §. 65. obſervat Dürr. in Iſag. in LL. Normal. Eccl. Nor. p. 99.

Chryſoſtomus, impetu diſceptandi cum Manichæis & Gentilibus, qui hominem aſſerebant vel natura malum, vel fati neceſſitate ad peccandum impelli, ſæpenumero naturæ noſtræ vires plus æquo attollit. Sixtus Sen. Bibl. S. l. 5. in præfat. p. 410.

Montanus, dum ardentius oppugnat illos, qui paſſim dignis & indignis aperiebant eccleſiaſticæ fores, plus ſatis laxata ſeveritate diſciplinæ eccleſiaſticæ, in diverſum incidit malum. Eraſm. in epiſt. dedicat. Opp. Hilarii.

In nonnullis libellis (*Pontificiorum*) ſunt quædam, quæ dum impenſe tuentur hominis (Pontificis Romani) dignitatem, apertam habent contumeliam in Chriſtum. Id. ib.

If. Voſſius, quorund. Proteſtantium, quos Semi-Judæos appellat, imperitiam ferre non ſuſtinens, peculiari opere LXX. verſionis defenſionem ſuſcepit. At dum Maſſoræ codices rejicit, in aliud vitium lapſus eſt. Adeo difficile & arduum eſt vel pauciſſimis & præſtantiſſimis viris, modum illum, qui ad inveniendam veritatem requiritur, ſervare. Rich. Simon in præfat. ad Crit. V. T. ** 2.

Calvinus, dum Pontificios omnium virium anniſu inſequitur, in diverſos errores deviavit, non minus noxios, quam illos, quos ſibi ſumſerat refutandos. &c. Arn. Pœlenburg in Orat. funebri Steph. Curcellæi. ** 4.

Chrysostomo idem accidit, cum adversus Anthropomorphitas nimia contentione proveheretur. Id. ibid.
Idem accidit *Praxeæ, Noëto & Sabellio*, dum contradicere voluerunt Ebionitis; nec non *Lutheranis nonnullis*, in dogma ubiquepræsentiæ corporis Christi prolapsis. G. Calixt. in Orat. selecℓ. p. 102.
Quoad connexionem fidei & bonorum operum, in defectu peccant, qui dicunt, ea non, nisi per accidens connecti, ut *Nicolaitæ, Simon magus, Gnostici, Valentiniani, Libertini & Fanatici* superioris seculi, ac *Pontificii*: in excessu autem *Sociniani*, dum bona opera, seu, ut ipsi loquuntur, obedientiam, primo per se modo, cum fide cohærere, ipsamque esse ac formam fidei absolvere statuunt. Bajer. disp. de Connex. fidei & oper. §. 5. 6. 7.
Etliche dringen so gewaltiglich auf die natürlichen wesentlichen Eigenschafften in doctrina de *Unione personali & communicatione idiomatum*. Corp. Doctrinæ Jul. im Bericht p. 50.
Sicut *Sabbathici*, urgendo observationem sabbati Judaici, in unum extremum; ita *Petrobrusiani* in alterũ impegerunt, tradentes, festos dies omnes ad ceremonias Judæorũ pertinere, & propterea nullos debere esse inter Christianos. F. V. Calixtus in programm. Paschali Acad. Juliæ A. 1696. D. 3.
Prædestianatini, orti Sec. V. duce Lucido, Presbytero in Gallia, refutando enervandoque Pelagianismo, per quem libero arbitrio vires nimiæ tribuebantur, intenti, ipsimet in excessu peccârunt, statuentes, necessitare quosdam gratiam Dei. Reinh. in Præl. publ. MSS. p. 140.
Eckius, disputans adversus Mart. Lutherum, tertio libro de Purgatorio Taulerum appellat somniatorem, eumque hæreseos insimulare videtur: nihil tamen adducit, quo comprobet, illum esse hæreticum. Qui si diligenter legisset e-

jus lucnbrationes, longe aliter de eo sensisset. Nam Taulerus catholicæ fidei cultor integerrimus est. Ea, quæ scripsit, sana & plane divina sunt, ut cognoscere possunt omnes, qui in illis sunt versati. Sed Eckius ardore Ecclesiæ succensus, indigne tulit, quod Lutherus magnifice laudaret Taulerum, & sententiis ejus sua prava (ut putat hic scriptor) dogmata confirmare niteretur. Ludov. Blosius, Abbas Lætiensis, in Apol. pro Taulero.

Longe alios ob fines *oratum & oblatum pro mortuis* in veteri Ecclesia, quam ad extrahendas defunctorum animas e flammis purgatorii. Non leviter heic peccatur a multis tum *Romanensibus*, tum *Protestantibus*. Extrema vitanda sunt. Veritas, quæ in medio sita, amplectenda. Guil. Forbes. in Considerat. modest. & pacif. Controv. l. 3. c. 2. p. 464.

DIS-



DISSERTATIO VII, DE THEOLOGIA ECLECTICA.

Bucerus in Comment. in c. III. Sophoniæ.

NOn continuo contra DEI verbum pugnatur, quum non recipitur cujuslibet interpretatio.

*** *** ***

SUMMARIA.

Theologiæ eclecticæ Acceptio & etymologia. Descriptio. Objectum. Subjectum. Finis. Necessitas. Utilitas. Præstantia. Commendatio in dictis Scripturæ sacræ, & Patrum ecclesiæ. Cultores. Adversarii. Media atque remedia.

Theologiæ

THeologiæ nomine nobis heic venit non illa cognitio, quam Deus ipse & Christus θεάνθρωπος de se habet rebusque divinis; sed ea, quam sub lumine revelationis sectantur vel habent homines in via constituti, & ad cœlestem tendentes patriam, quæque ex usu loquendi dicitur esse habitus cognoscendi Deum & res divinas, easque docendi, confirmandi & defendendi.

Eclecticæ vocabulum natales habet Græcos, & Latino ore effertur per *Electivam*. *Eclectica* igitur, sive *Electiva Theologia*, ea dicitur, quæ non unius magistri dogmata sequitur, sed e variis sententiis atque interpretationibus verissimam seligit atque optimam: vel, (ut rem ab abstracto ad concretum transferamus) *Eclecticus Theologus* is audit, qui nec promiscue omnia, quæ ab aliis tradita sunt, fastidit ac repudiat, nec unius ducis vel doctoris auctoritati tantum tribuit, ut omnia ejus dicta & effata pro veris habeat, & mordicus teneat, sed memor imbecillitatis ingenii humani, juxta quam impossibile est, ut unus homo omnia perspicere possit & ubivis rem acu tangere, neq; ulli errori succumbat, varias de re proposita auctorum opiniones consulit, audit, atque inter se confert & examinat, eamque tandem eligit, probat, suamque facit, quæ ipsi præ aliis videtur melior ac verisimilior: aut, si nulla aliorum ipsi satisfacit, earum imbecillitate modeste indicata, pro ea, quæ Christianis competit, prophetandi libertate, juxta regulas hermenevticas, & in timore Domini, suam propriam in medium profert, & Ecclesiæ judicio debita cum reverentia subjicit, semper paratus, meliora docentibus cedere, iisque herbam porrigere, odio pariter atque amore hominum procul habito, idque in Dei gloriam, veritatis causa, & in proximi suamque ipsius ædificationem.

Verſatur autem Theologia eclectica, de qua impræſentiarum tractamus, non circa fidem, ejusque articulos ſtricte & proprie ſic dictos, in ſacris literis propoſitos ac fundatos; quaſi liceat nobis, ex articulis fidei, qui extra controverſiam ſunt poſiti in Eccleſia chriſtiana, pro lubitu quosdam ſeligere & recipere, alios vero rejicere ac reſpuere: fides enim ut una eſt, ita electionem, quæ ad plura reſpectum habet, non admittit; articulisque fidei abſolute aſſenſus eſt præſtandus, eo quod a Deo credendi nobis proponuntur: ſed circa ſententiarum de fidei articulis divortia, quæſtiones juxta enatas, & varias Scripturæ interpretationes.

Nimirum ſi dogmata quædam pro fundamentalibus venditantur, aliis negantibus & contradicentibus: ſi quæſtiones moventur, ipſum fidei fundamentum directe non concernentes, ſed juxta illud ortæ & enatæ; ſi denique hoc vel illud dictum, hic vel ille locus Scripturæ S. diverſas patitur interpretationes & explicationes, tunc vero Theologia eclectica ſuum facere poteſt officium, examinando illas ſententias æque, ac ipſa dogmata, ad Lydium fundamenti fidei & Eccleſiæ veteris chriſtianæ lapidem, h.e. videndo & perpendendo, an fides & ſalus chriſtiani hominis, ſine eorum notitia, conſiſtere non poſſit ſalva & integra, & an illa pro fundamentalibus fidei articulis inde ab initio Eccleſiæ chriſtianæ fuerint agnita & recepta, atque ut talia de manu in manum poſteris tradita. Quodſi autem ea, aut eorum aliqua, notis hisce deſtituta animadvertit, protinus ac lubens miſſa facit: tantum abeſt, ut in numerum & cenſum credendorum recipiat, ac ſententias probet affirmantes.

Simili ratione varias de quæſtionibus juxta enatis, locisque ſacrarum paginarum obſcuriuſculis ſententias, earumque rationes ad examen judicii revocat, ponderatque

exacte

exacte & cum cura, nec nisi illam eligit suoque probat calculo, quæ vero videtur simillima: idque sine affectu, & sine præjudicio, memor, non tam attendendum esse, quis dicat, quam quid dicatur. Quodsi vero nemo interpretum vel auctorum rem acu tetigisse videtur, Eclecticus sui periculum ingenii & judicii ipse facit, & sententiam seu interpretationem novam profert, sed ea modestia, eaque reverentia, ut dijudicandam eruditis exhibeat, nec etiam recuset eam deserere, si melior & convenientior afferri possit & monstrari.

Istam vero eligendi facultatem neutiquam assignamus sacri studii tironibus seu discentibus: Aristotelis enim & sapientum inter Christianos virorum judicio, τὸν μανθάνοντα δεῖ πιστεύειν, *discentem oportet credere*: nec profecto nisi audaculi & scioli illam invadunt & usurpant; sed iis, qui justam rerum theologicarum & sanæ philosophiæ notitiam habent, quique acumine judicii valent, ac legitimæ interpretationis adminiculis sufficienter sunt instructi. Quales sunt, certe esse debent, Theologi, sive in Academiis doceant, sive in Ecclesia. Quid enim, quæso, frequentius ab iis fit utroque in loco, quam ut de dicto aliquo Scripturæ, aut de re quadam discrepantes interpretum vel auctorum opiniones, earumque argumenta allegent, recenseant, expendant, & certam aliquam, reliquis vel rejectis, vel reverenter sepositis, suo approbent suffragio? Quid hoc aliud est, quam theologiam exercere eclecticam?

Ita tamen hanc provinciam Theologis adscribimus, ut aliorum ordinum viros doctos & pios, & egregia scientia atque ἑρμηνείας sacræ cognitione præditos ornatosque ex honorabili Eligentium consessu minime excludamus. Invidorum & inhumanorum, non nostra vox est: *Quid Saul inter Prophetas*? Quid Politico, & JCto, quid (1) Medico, quid Philosopho cum rebus theologicis? Immo vero (2) utinam

nam omnes prophetarent! utinam omnes sufficientem illarum notitiam sibi acquirerent, ac sobrie pieque, in loco & in tempore, de illis judicarent, & judicare scirent! Quales quidem (ut vetera & recentia aliorum exempla silentii sipario involvam) inter JCtos fuerunt, G. Richter, Tobias Oelhafen a Schöllenbach, Magnus Fetzer, Academiæ nostræ Procancellarii meritissimi, Conr. Rittershusius, Casp. Ziegler, & Georg. Adam Struvius; inter Medicos Herm. Conringius & Valent. Henr. Voglerus; inter Philosophos, J. Caselius, Er. Schmidius, Christ. Schrader, Joh. Henr. Bœclerus, Jac. Thomasius, Joh. Frischmuth, & Joh. Andr. Bosius.

(1) *Vide Conringii Exam. libelli Erberm. contra Concuss. in præfat. A. 4.* (2) *G. Myl. præfat. in Pauli Jenischii Thesaurum animæ, editum An. 1594. & Luther. T. II Jen. Lat. de Instit. Ministr. Eccles. p. 548. & seqq.*

Nec propterea metuendum, ne confusio fiat ordinum, & alieni usurpatio officii: nam electio & judicium tale iis permittitur non ordinarie & absolute, sed, quod non frustra diximus, in loco & in tempore, & in quantum apti sunt atque idonei ad judicandum de rebus talibus. Et si viri, uti supponimus, boni sunt, ipsimet cavebunt, ne nimium hac in parte sibi arrogent, limitesque suos transiliant, & alios de ponte dejiciant. Ita enim, ut ne quid dicam de lege Christianorum, vel ipsum docet jus naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione. Apprime in vita est utile, ut* Ne quid nimis.

In quem finem autem tractandum est opus eclecticum? Primario quidem, & ante omnia, in DEI gloriam. Si enim omnia εἰς δόξαν Θεοῦ *in gloriam Dei*, juxta S. Pauli adhortationem 1. Cor. X, 31. facienda sunt, quidni etiam hoc opus? *Hic enim*, ut Æg. Hunnius in Comment. præsentis dicti annotat, *est primus & supremus finis omnium actio-*

num

num christianarum. *Gloria Dei* autem, juxta Rauppium in Comment. *est celebratio bonitatis, justitiæ, ac sapientiæ divinæ, quæ in omnibus vitæ nostræ actionibus respici ac promoveri vult Apostolus. Ita nihil contra conscientiam, nihil contra pietatem, aut honestatem faciemus.* Deinde studium eclecticum facit etiam ad ædificationem proximi. Atque hic est finis illius, ut omnium aliarum actionum nostrarum, secundarius. Veritas in profundo latet, & cum cura ac labore scrutanda est atque eruenda. Hoc facit Eclecticus, quippe qui omnem suam operam eo impendit, ut illam sive sententiam sive interpretationem inveniat, quæ vera est, aut quæ vero proxime videtur accedere. Qua ratione proximus ædificatur, ejusque, & ipsius etiam eligentis commodum promovetur.

Et hinc etiam facile colligi potest, miram Theologiæ eclecticæ esse & necessitatem, & utilitatem, & præstantiam. Necessaria illa est I. ob multas & diversas interpretationes alicujus dicti Scripturæ, & autorum de re proposita sententias. Tunc enim necessitas nobis imponitur, illas ponderandi & examinandi, ne putamen pro nucleo, carbones pro auro, umbram pro corpore capiamus ac teneamus. II. Quia sæpe falsa dogmata apud eos, quos consulimus, reperiuntur. A quo vitio ne Patres quidem Ecclesiæ immunes sunt: prout non modo ex ipsorum lectione, sed etiam passim ex Erasmi præfationibus in Opera Patrum, Apologia Aug. Conf. Centuriis Magdeburg. Sculteti Medulla Theol. Patrum, Gerhardi & Bosacci Patrologia, Dallæo de Usu patrum, Wilh. Cave Histor. liter. Scriptor. ecclesf. &, quæ Gallico idiomate prodiit, Eliæ Pinii Nova Biblioth. Autorum ecclesiast. videre licet.

Eadem quoque utilis est eo, quod ita veritas eruitur, aut certe in eam magis magisque inquiritur, dum aliorum sententiæ colliguntur, & ventilantur. Atque hæc utilitas

eo amplius ſe diffundit, quo frequentius eſt auditorium, coram quo illa ventilantur, vel quo pluribus ſcriptum auctoris eligentis communicatur, communicarive poteſt. At, inquies, tranquillitati & concordiæ eccleſiaſticæ officit. Minime vero. Nam ſicut diverſitas rituum non tollere debet unitatem & communionem Eccleſiarum, ita concordia eccleſiaſtica cum diverſis de quæſtione non fundamentali ſententiis probe conſiſtere poteſt, atque omnino debet. Aliter autem ſeſe res habet de quæſtionibus fundamentum fidei concernentibus & dogmatibus creditu ad ſalutem neceſſariis. Nam qui in hiſce eſt diſſenſus, is pacem & unitatem Eccleſiæ non ſervat incolumem, ſed eam potius rumpit ac violat; adeoque tantum abeſt, ut a Theologia eclectica admittatur, ut potius Elencticæ relinquendus, atque in ejus foro judicandus ac damnandus veniat.

Nec minus denique præſtans eſt & excellens, idque propterea, quia nec antiqua plane rejicit, nec nova protinus acceptat, ſed utraque conſiderat, & inter ſe confert, atque inde eligit, quod eſt, aut videtur, optimum præſtantiſſimumque. Moſes, fidelis ille Dei ſervus & internuncius, Judicibus Iſraëlis, cauſas inter fratres ſuos audituris, προσωποληψίαν ſevere interdixit his verbis: *Judicate juſte inter virum & fratrem ejus, etiamque peregrinum ei. Ne ſuſcipite perſonam in judicio, æque parvum atque magnum auditote, nec metuite a quoquam, nam judicium ipſum DEI eſt.* Deut. I, 16. 17. Atque idem præceptum Chriſtus repetit Joh. VII, 24. dicens ad Judæos: Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε, *Ne judicate ſecundum vultum, ſed juſtum judicium ferte*, i. e. ne judicate ex eo, quod præ me fero: videor enim nihil aliud eſſe, quam Galilæus vilis, & contemti fabri filius, ſed ſpectate attentius rem ipſam, & ex fructibus arborem æſtimate. Unde & Salomo Prov. XXIV, 23. pronunciavit; *Agnoſcere perſonam in judicio, non eſt bonum.*

num. Hoc vero Theologia electiva diligenter observat. Sedet illa, ad instar Astrææ, oculis velatis, & omnem sive amoris sive odii affectum excludit, nec personas, sed res, & rationum, quibus probantur, pondus æstimans, id apprehendit ac probat, quod optimum ac veritati consentaneum, vel probabilissimum videtur, neque adeo attendit, niger, an albus, Davus, an Oedipus, Tros Rutilusve fuat, a quo sit profectum. Uno verbo: Præstantiam effati seu sententiæ, non hominis qualitatem, valere apud se patitur. Annon ergo ipsa inde præstantiæ laudem mereatur & obtineat?

Ne autem ex nobis tantum eam commendare videamur, agite, evolvamus Scripturam S. & dispiciamus, an, & quid illa de studio eclectico judicet atque pronunciet. Fallor? an eo tendunt præcepta Johannis & Pauli? Sic enim scribit S. Joh. 1. ep. IV, 1. Ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι. *Dilecti, ne cuivis spiritui credite, sed probate spiritus, an ex DEO sint.* Ubi per *spiritum* intelligit metonymice vel doctores revelationem Spiritus sancti jactantes, vel doctrinam, quæ ab illo sit profecta: per δοκιμασίαν autem sive *probationem spirituum*, diligentem scrutationem & explorationem, an illi verbo Dei & christianæ fidei conformiter doceant, sive an ipsorum doctrina sit divina, & talis, qualem Christus proposuit, & proponunt ejusdem Discipuli ac Apostoli. Et quamvis ejusmodi dogmata proprie intelligat Apostolus, quæ ad constituendum fidei fundamentum pertinent, sicut ex modo examinis, quem in vers. seq. commonstrat, & ubi summam christianæ religionis, ad quam, tanquam ad amussim, dogmata sint probanda, tradit, videre licet; haud male tamen quasvis alias quæstiones & interpretationes sacras pariter subintelligi propterea colligitur, quod & illæ examine & scrutinio opus habent, nisi periculo erroris

roris turpiter nos velimus exponere. Quo pertinet, quod Apostolus Paulus, ut in sequente dicto audiemus, *omnia* velit explorari.

Porro etiam notandum, non solis Doctoribus, (quanquam ad illos primario spectat) nec conjunctim modo illis & eorum auditoribus, hoc est, toti Ecclesiæ corpori, sed (*) singulis etiam fidelibus id dictum esse: quum enim *justus*, ut loquitur Deus apud Habac. cap. II, 4. *fide sua vivat*, debent singuli, qui Christo nomen dederunt, de religione, quã profitentur, esse certissimi, ut solam Christi vocẽ audientes, aliorũ voces execrentur, & quam possunt maxime fugiant: quumq; interpretatio de eclectici studii commendatione non sit, ut ostendimus, aliena ab hoc loco, singulos quoq; Christianos, qui ad illud apti sunt, & necessariis instructi adminiculis, eodẽ comprehendi, haud temere asseritur. Nec dubium est, quin is, qui discernere jubet, illis spiritum discretionis ac prudentiæ largiatur, ita ut id, quod facere jubentur, præstare atque efficere, & album inter ac nigrum distinguere valeant. Distinguendum tamen inter σύγκρισιν seu collationem cum Scriptura ejusque summa catechetica, & ἀνάλυσιν ac fundamentalem falsorum dogmatum refutationem. Illa fidelibus competit, hæc autem doctoribus: prout dicitur in ep. ad Titum I, 9.

(*) *Jac. Andr. Conc.* 2. von der Spaltung in der *Relig.*

Similem in modum D. Paulus in 1. Thess. V. postquam ℣. 19. & 20. ab *extinctione spiritus* h. e. donorum spiritualium, cum ordinariorum, quæ regeneratis dantur, tum extraordinariorum, de quibus 1. Cor XIV. 1. & seqq. agitur, nec non a superbo & pertinace *prophetiarum*, hoc est, interpretationum Scripturæ sacræ (in qua significatione vox illa etiam sumitur in I. epistolæ ad Corinth. c. XIII, 6. & c. XIV.) *contemtu* diligenter dehortatus fuerat, illico hanc subjungit admonitionem: Πάντα δοκιμάζετε· τὸ

καλὸν

καλὸν κατέχετε. *Omnia explorate: quod bonum fuèrit, retinete.* De cujus dicti applicatione, ad præsens argumentum inprimis faciente, videatur *Constit. Eccles. Hassiaca* part. 2. p. 41. & *Jac. Heerbrand.* in volum. *Dispp. Theol. p.* 510. Non dicit Apostolus, omnia recipite, sed, *explorate.* Non debebant recipere absque discretione & selectu, sed prius dijudicare: exploratio enim est actus judicii. Nec certo hominum ordini, sed omnibus fidelibus dijudicandi facultate instructis examen illud præcipit, iisdem videlicet, quibus dixerat: *Prophetias ne pro nihilo habete.* Nec jubet, ut per alios, sed ut *ipsimet* explorent. Ad quam regulam? Eam quidem non exprimit, sed supponit, illam nimirum, juxta quam Berrhoënses examinabant dicta Pauli, ceu memoratur Act. XVII, 11. Quæ sane non fuit ratio humana, non affectus carnis, non majorum traditio, non ecclesia, non hominis alicujus, quantuscunque sit, auctoritas, sed Scriptura sacra θεόπνευστος. Porro non dicit, quædam, sed *omnia*: quæcunque nempe traduntur, sive voce viva sive scripto, sive sint nominenturve articuli fidei, sive quæstiones aliæ, sive præcepta morum, sive constitutiones de ritibus. Neque vel sua, vel alterius cujusque excipit. Nec postulat, ut Thessalonicenses per orbem vagentur, & ad examen revocent, quæ unoquoque loco traduntur, sed ut explorent illa, quæ ipsis proponuntur, & quidem suo quisque loco, & pro vocationis suæ ratione ac modulo; ne autem sutor ultra crepidam.

Atque hoc examen excipere debet electio. *Quod bonum fuerit, retinete.* Non quod carni videtur bonum, aut huic vel isti, sed quod bonum fuerit verum, bonum Deo complacens, bonum doctrinale, morale, rituale, seu quod convenit formæ sanæ doctrinæ, bonis moribus, & utile est ad decentem in ecclesia ordinem. Neque ait, λαμβάνετε, *accipite, sumite,* sed, κατέχετε, *retinete*: ad innuendum, eos non

leviter ejusmodi bono assensum præbere debere, sed firmiter & constanter, immo usque ad finem vitæ, nisi fortassis melius aut probabilius quid alicunde afferatur atque ostendatur.

Referri quoque huc possit illud, quod legitur in epist. ad Phil. III. 15. καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει, *Et si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Ubi notant Interpretes, ferre Apostolum dissentientes, qui minime ferret superbe dissentientes, & oblatrantes. Ita S. Augustinus explicat, in Ps. CXXX. Tom. IIX. p. 331. his commentans verbis: *Quia si non extollimini, quia si non exaltatis cor vestrum, quia si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed servatis humilitatem, revelabit vobis Deus, quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum, quod aliter sapitis, defendere vultis & pertinaciter adstruere, & contra pacem ecclesiæ, fit vobis maledictum hoc, quod dixit: Super matrem cum estis, & foris a lacte separabimini, foris a visceribus matris fame moriemini. Si autem perseveraveritis in pace catholica, si quid forte aliter sapitis, quam oportet sapere, Deus vobis revelabit humilibus.*

Et in epist. ad Vincentium Donatistam, quæ est 48. ita scribit: *Hoc genus literarum* (id est, scripta Cypriani & reliquorum ecclesiæ Patrum) *ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerint, quam veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere:* Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelavit. Confer lib. 2. contra Crescon. c. 31. Tom. VII. & l. 11. contra Faustum Manich. c. 5. Tom. VI. Ubi quasi in transitu observandum, Hipponensem hunc episcopum verbum *revelare*, quo heic & in præcedente loco in præterito utitur, alibi in futuro ponere, prout & Græci codices

con-

constanter habent. Revelabit autem Deus non per ἐνθουσιασμοὺς, sed per pias preces, & sobrias meditationes, per assiduam Scripturæ lectionem, & verbi prædicati attentionem, piasque cum aliis doctis & religiosis collocutiones. Erasmi *Schmidii* annotatio ad Apostoli verba a proposito nostro non est aliena, nec prætereunda. Sic autem habet: *Si interdum ex imbecillitate intellectus humani aliter vel aliter de quibusdam locis Scripturæ sentiatis, ne statim alter alterum condemnetis, sed imbecillitatem vestram invicem toleretis, non dubitantes, Deum seriis precibus invocatum, viros quosdam pios & doctos excitaturum, ex quibus veritatem tandem possitis perspicere. Loquitur de imbecillibus, non de præfractis & contumacibus, aut seditiosis.* Qui autem dissensum permittit, electionem pariter permittit.

Atque eadem eligendi & sentiendi libertas, quam e Scripturæ S. dictis hactenus probavimus, in dictis Patrum, quorum aliqua adducere lubet, itidem asseritur. *S. Justinus*, philosophus & martyr, orationem ad Græcos seu gentiles cohortatoriam suam, Joanne Lango interprete, sic auspicatur: *Cohortationem apud vos, viri Græci, instituens, Deum oro, ut & mihi ea dicendi, quæ opus est, suppetat facultas, & vobis, pristino contentionis studio relicto, majorumque errore abjecto, quæ utilia sunt, in præsentia eligendi potestas: nihil vos in majores vestros commissuros esse existimantibus, si diversa quæ sunt ab illorum non recte conceptis opinionibus, nunc commodiora vobis esse censueritis. Accurata namque rerum inquisitio persæpe ea quoque, quæ recta judicata sunt, exactiore examine veritatis adhibito, longe aliter se habere ostendit. Basilii M.* in epist. 41. de Dionysio Alexandrino hæc est sententia: *Non omnia ejus viri laudamus. Immo sunt, quæ penitus etiam damnamus.* Nec aliter de Nepote, episcopo Ægypti, & chiliasmi assertore, judicabat ipse ille *Dionysius*, prout constat ex relatione Eusebii lib. VII.

H. E. cap. 24. *In plurimis quidem aliis rebus*, ajens, *laudo Nepotem & diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam, & studium Scripturarum, postremo ob psalmorum cantus multiplices, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur: magnoque honore ac reverentia hominem prosequor vel ob id maxime, quod ante nos ex hac vita migravit. Sed veritatem magis diligo, cunctisque præferendam censeo. Etenim ea quidem, quæ recte dicta sunt, absque invidia laudare ac probare debemus. Si quid vero secius scriptum est, id examinari a nobis & corrigi decet.*

Quid (*) *Augustinus* in ep. 48. ad Vincentium, & in lib. II. contra Crescon. ac lib. II. contra Faustum scribat, jam audivimus & indicavimus in §. 18. Similia habet & alibi. Vt in epist. 19. ad Hieronymum: *Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appelantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errâsse, firmissime credam, ac, si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecu- tum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater,* (ita pergit, Hieronymum alloquens) *sentire aliud existimo, prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum; de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc a pia humilitate & veraci de temet ipso cogitatione!* In epist. 3. ad Fortunatianum: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus,* ali-

aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meorum. Et in ep. 28. ad Hieronymum: *Contra Cypriani aliquam opinionem, ubi, quod videndum fuit, fortasse non vidit, sentiat quisque, quod libet: tantum contra apostolicam manifestissimam fidem nemo sentiat.*

(*) *De S. hujus Patris modestia vid. Veiel. in Augustino veri falsique in capital. controv. indice p. 16.*

Neque eum fefellit concepta de *Hieronymo* opinio, quippe qui theologiam electivam, quam sectatus est, aliis neutiquam denegavit aut præclusit. Sic enim commentarium cap. 2. Sophoniæ suum obsignat, Tom. VI. p. 221: *Hæc diximus, ut potuimus, interpretationi allegoricæ servientes. Si quis autem magis verisimilia & habentia rationem, quam a nobis sunt disserta, reperit, illius magis lector autoritate ducatur.* Idem profitetur religiosus hic vir in explicatione comment. Micheæ, Tom. VI. p. 141. quando explicationi primorum capitis II. verborum hæc subjungit: *Si quis autem in lege Domini die ac nocte meditatus, majus habuit studium, majus ingenium, otium, gratiamque, & potest de præsenti capitulo probabilius aliquid dicere, non invideo, non aspernor, quin potius cupio ab eo discere, quod ignoro, & libenter me discipulum profitebor.* Et Tranquillino rescribit Tom. II. p. 314: *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos ecclesiasticos scriptores, Græcos pariter & Latinos: ut bona eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem:* Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Et T. 3. p. 96. in ep. ad Miner. & Alexandrum: *Nec juxta Pythagoræ discipulos, præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ*

factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat, me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est, tenete. *Et Salvatoris verba, dicentis: Estote probati nummularii: ut, si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. -- Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt, & a fide ecclesiæ catholicæ non recedere.*

Et in ep. ad Augustinum Tom. II. p. 338: *Ego de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenue confiteri, me majorum scripta legere, & in commentariis, secundum omnium consuetudinem, varias ponere explanationes, ut e multis sequatur unusquisque, quod velit.* In Prooemio ad Pammachium, præmisso commentariis in Hoseam, T. VI. p. 4. narrat, se ad illos conficiendos legisse scripta quædam Apollinarii Laodiceni, Origenis, Pierii, Eusebii Cæsariensis, & Didymi Alexandrini, idque his claudit verbis: *Hæc dico, ut noveris, quos in prophetæ hujus campo habuerim præcursores: quos tamen, ut simpliciter & non superbe tuæ prudentiæ fatear, non in omnibus sum secutus, ut judex potius operis eorum, quam interpres existerem, diceremque, quid mihi videretur in singulis, & quid ab Hebræorum magistris vix uno & altero acceperim.* In eandem sententiam *Gelasius* Papa cum LXX. Episcopis decretum formavit, ubi, postquam enumerâsset Patrum scripta & decretales Paparum epistolas, addit: *Sed cum hæc ad Catholicorum manus adveniunt, beati apostoli Pauli præcedat sententia: Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Hinc Erasmus Roterodamus in præfat. Opp. Hilarii scribere non dubitavit: *Olim non fuit religioni sanctissimis viris,*

ris, a quamlibet magnis autoribus dissentire. Quod etiam repetit in vita B. Hieronymi. Addatur Jos. Halli Pax Terris p. 20.

Cultores igitur & æstimatores theologiæ eclecticæ fuerunt, ut vidimus, Apostoli, ac memorati, memorati autem? immo omnes ecclesiæ Patres. Quos ita secuti sunt omni tempore doctores reliqui, quotquot non minus modestia & humilitate, quam doctrina ac studio veritatis & sapientiæ, sese voluerunt reddere commendabiles. Et ne quid dicam de (*) diversarum religionum sequacibus, utpote contra quos facilem haberet exceptionem, studii osor electivi, Nostratium quosdam nominare, atque in medium producere juvabit. Tales nempe fuerunt (a) *Lutherus*, (b) *Phil. Melanchthon*, (c) *Vrban. Regius*, (d) *Brentius*, (e) *Martin. Chemnitius*, (f) *Martini*, (g) *Balduinus*, (h) *Heshusius*, (i) *Joh. Arndius*, (k) *Polyc. Lyserus*, (l) *Franzius*, (m) *Gerhardus*, (n) *Glassius*, (o) *Musæi*, (p) *Hülsemannus*, (q) *Calixti*, (r) *Titius*, (s) *Sauberti*, (t) *Hoë*, (u) *Dilherrus*, (x) *Dan. Wülferus*, (y) *Mart. Beer*, (z) *Parens meus*, (1) *Seb. Schmidius*, (2) *Georg. König*, (3) *Matth. Wasmuth*, (4) *Hackspanius*, (5) *Reinhartus*, (6) *Dürrius*. Hos autem dum nominavimus, minime hinc colligendum, reliquos ecclesiarum & scholarum nostrarum Doctores & Antistites præclare meritos, exclusos inde, aut excludendos esse; quin potius statuendum, venerabili Eclecticorum collegio eosdem associandos atque annumerandos: quo quis enim est doctior ac sapientior, eo minus abest a cultu & æstimatione nobilissimæ Eclectices.

(*) Vt sunt, ex Rabbinis: Abravanel. *Buxt. fil. in præfat. in Dissert. Philol. Theol. Ex Scholasticis*: Thomas. *Bots. in Patrol.* 53. 56. Lombardus. 54. *Ex Pontificiis*: Erasmus. *in ep. dedic. Operum Hilarii. C. Vorst. Resp. ad Artic. quosd.*

quosd. ex Anglia transmissos. Cajetanus. *Botf. 70.* Salmero. *56.* Sixtus Sen. *57. 63.* *Fr.* Balduinus. *In proleg. ad Minuc. Fel. sub fin.* Baronius. *T. 1. Annal. ad A.C. 31. apud Blount. 685.* Launoius. *In omnibus fere suis operibus.* *Ex Reformatis: Wolfg.* Musculus. *Præf. in LL. Theol. & præfat. coment. in Gen. & in 1. Cor. 1. Melch. Adam. in ejus vita p. 384.* Zanchius. *Præf. in libb. de 3. Eloh.* & *in ep. nuncup. Miscellan.* (:) *4. Pœlenb. in Admonit. T. 2. Opp. Episcopii.* Spanhemius. *In præf. Dubior. Evang.* Filius. *Sub finem Diatr. de loco 1.* Cor. *XV. 29.* Ligthfoot. *Carpz. in præfat. Hor. Ebr. & Talmud. in Evangg.* Bochartus. *Præfat. in Phaleg.* **** *2. Gerh. Joh.* Voss. *Præfat. in Resp. ad Judic. Ravensp. de Grotii libro de Satisf. Christi, b. 3.* Tremell. *ac* Junius. *Præfat. in Bibl. Lat.*):(*3 ac ipse Jun. in Eiren. Barlæus in Dissertatiuncula, & C. Vorst. in paræn. ad Lubbertum.* Acontius. *Lib. I. Strat. sat. fere circa medium.* *Matth.* Polus. *Præfat. in Syn. Crit. sacr. sub finem.* Bullinger. *Ep. dedic. Comment. in Acta Apostol. M. Anton.* de Dominis. *In Consil. suæ profect. num. 14. Jos.* Hall. *In libello, quem inscripsit* Pax Terris, *p. 9. 14. 20.* Medus. *Twiss. in Judic. Medi Apostasiæ ultim. temp. præfixo.* *Mart.* Bucerus. *In Comm. in cap. 3. Sophon. Ex Remonstrantibus:* Episcopius. *Arn. Pœlenb. in præfat. T. II. Operum Episcopii.* Arminius. *Præfat. in ejus Opera, & P. Bertii Orat. sub fin.* *C.* Vorstius. *Resp. ad artic. quosd. ex Anglia. transm. & præf. in Tract. de Deo, ac in Epp. præstant. viror. p. 79.* *Casp.* Barlæus. *In Bogerm.* ἐλεγχομ. *101.* Curcellæus. *In Orat. ejus funebri. H.* Grotius. *Ep. ad Crell. T. 4. bujus Opp. p. 232.*

(a) *T. 1. Opp. Lat. Jen. p. 76. 368. & 284. ac T. 2. in aversa paginæ, quæ titulum præ se fert, facie. Adde Botsacci Patrol. p. 8. Hacksp. l. 1. Miscell. cap. 4. p. 54.*

p. 54. & Calixt. Digress. de Arte nova pag. 215. (b) *T. 1. Opp. p. 393. & passim in Apol. A. C. Adde Zanchii epist. nuncup. Miscellaneor.* (c) *T. 2. opp. Lat. p. 45. & T. 3. p. 70. Quamvis igitur magni fecerit Lutherum, non tamen in verba ejus juravit, teste D. Veielio in Memor. Regii p. 17. & 18.* (d) *Præfat. in homil. in libros Samuel.* (e) *Part. I. Exam. Conc. Trid. p. 106. & in orat. de Lect. Patrum.* (f) Cornelius. *In Compend. Theol.* Jacobus. *In Pæd. Log. lib. 5. cap. 15. p. 755. ubi hæc ejus verba reperiuntur:* Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Sic in disputationibus theologicis, amicus Lutherus, Chemnitius, & omnes Theologi, sed magis amicus Christus, & ejus verbum in SS. literis contentum. (g) *In Comment. in Epistolas Pauli.* (h) *In Veræ & sanæ Confess. de Præs. corp. Christi in S. cœna Defens. l. 3.* (i) Autor Differt. apolog. pro doctr. Joh. Arnd, Part. I. p. 97. (k) *In epist. dedicat. Locis Theol. M. Chemnitii præfixa, ubi ita vult, sequamur Philippum, ut tamen etiam ab ejus erroribus nobis caveamus.* (l) *In præfation. ad Tractatum de Interpr. Script. p. 47.* (m) *In LL. Theol. & Commentariis in Scripturæ libros.* (n) *in Philol. Sacra, Disputationibus, & in Judicio de Controv. nonnullis.* (o) Petrus & Johannes. *Passim in ipsorum operibus.* (p) *In Breviar. aucto p. 1414. & Prælect. in Form. Conc. p. 257.* (q) Georgius. *In Desid. & stud. concord. eccles. §. 23. & Dissert. de Verit. relig. christ. & Autorit. antiq. eccles.* Fridericus Ulricus. *In Exercitat. de Universalis primævæ Eccl. auctorit. §. 24. 25.* (r) *In præf. Tractatus de Phrasib. sive Locut. vett. Eccles. Dd.* (s) Pater. *In Cassandro orthod.* Adolphus. *In concionibus, quas habuit.* Johannes. *In Palæstra Academ. & Opp. posthum.* (t) *In epist. dedicat. Tom. I. Comment. in Apo-*

cal. b. 1. (u) *In vol. Dispp. Acad. & Eclogis Syr.* (x) *In libro de Fato, nec non in Concionibus & Prælectionibus publ.* (y) *In libellis pluribus ab ipso editis.* (z) *In Concionib. in Aug. Conf. earumque Notis, ac Prælection. theolog. Vnde & in symbolum suum convertit Apostoli jam sæpius citata verba:* Omnia probate: quod bonum fuerit, retinete. (1) *Prout testantur Acta Erudit.* A. 1693. p. 493. *& alibi:* (2) *In Vindic. sacr. & Cas. Consc.* (3) *In disp. inaugur. nec non in Vindic. Hebr.* (4) *in Syll. Dispp. & Notis in var. Scripturæ loca.* (5) *in Arm. victric. Eccles. primit. & Gemmulis Juris Canon.* (6) *in Theol. Mor. Annotat. ad libros Normal. & Disp. de Præjudic.*

Contra eam vero peccant, ejusque adversarii sunt, (1) qui dictatorium quasi officium sibi arrogant, suasque sententias, tanquam e cœlo pronunciatas, aliis obtrudere conantur, & assensum detrectantes rejiciunt, condemnant, anathematisque fulmine, quantumvis bruto, feriunt. (2) Qui licentiam sibi sumunt, a probatis firmissimisque Doctorum sententiis sine causa recedendi, & quidvis pro arbitrio, & ex novationis pruritu, statuendi. (3) Qui absque omni δοκιμασία, aliorum placita amplectuntur, atque adeo pecus sunt, quod dividuam ungulam non habet, neque remandit indigestum semel cibum. (4) Qui in nimium amorem vel odium propendent, atque ex illo vel sputum alicujus auctoris lingunt, ex hoc autem optime dicta fastidiunt; sæpe prius etiam, (*) quam alterius scriptum legerint, aut cum cura legerint. (5) Qui stylum electivum arripiunt, antequam dono prophetandi seu adminiculis legitimæ interpretationis sint instructi. (6) Qui, ut canes, quidvis allatrant & arrodunt, neque se doctos videri autumant, nisi aliorum cogitationes & sententias temere refutent atque explodant, & vel solis lumen in dubium vocent. (7) Qui refutationes cum conviciis, λοιδορίαις, irrisionibus & contumeliis

meliis peragunt. (8) Qui alios traducunt & cavillantur, etiamsi illorum arent vitula, seu scriptis eorum utantur, similes ingratissimo homini, qui alterum, a quo lumen sibi mutuatus erat, per scalas agit præcipitem, aut qui, monstranti comiter viam, alapam infligit. (9) Qui ob opinionum diversitatem, vinculum pacis & concordiæ ecclesiasticæ rumpunt atque dilacerant. (10) Qui errores suos, clarissime licet ostensos, agnoscere nolunt, sed excusant, palliant, & mordicus defendunt.

(*) *Vide Sozom. lib. IIX. c. 15. Erasm. præf. Annot. in N.T. Cassand. in Epp. p.1205. Rich. Sim. præf. in Crit. V.T. Jos. Scalig. in Alter. Scalig. p.73. Ad Port. præf. in Orthod. fid. defens. Blount in Cens. celebr. Autor. p.909. Luth. Colloq. Mensal. p.259. Mart. Chemnit. Exam. Conc. Trid. P. II. p.41. & Vinc. Ambrisett. (i.e. J. W. Textor) in Telo defens. p.45.*

Ne itaque in Scyllam vel Charybdim vitiorum istorum incidamus, agite, navem studiorum nostrorum regamus gubernaculo pietatis, charitatis & prudentiæ, ac libertate prophetandi, a Christo nobis concessa, utamur sobrie, non abutamur, & ita veritatem sectemur, ne auream atque a Servatore nobis tantopere commendatam dilectionem & pacem amittamus. Non dominemur aliorum fidei, ut tyranni: non falsemus sermonem Dei, ut caupones vinum: non credamus cuivis spiritui, ut aniculæ & pueri: non moveri nos patiamur a quavis doctrina, ut arundines vento: non nimis vel admiremur, vel abominemur homines: non eorum simus vel mancipia, vel carnifices & diaboli; sed nec adulemur nobis ipsimet, & erroribus nostris asyla quæramus. Cogitemus, non eundem omnium esse gustum, idem judicium. *Non sperna-*

mus priorum vestigia & viam ab ipsis tritam: sed si propiorem planioremque invenerimus, hanc muniamus. Qui ante nos fuerunt & scripserunt, non domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas: nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. Senec. in epist. 33. ad Lucil. Vno verbo: OMNIA PROBEMUS; QUOD BONUM FUERIT, RETINEAMUS

Atque heic colophonem impono præsenti argumento de Theologia eclectica. De quo etiam scripsit, & quidem vernaculo idiomate, sub titulo *Of the liberty of prophecying*, sive de Libertate prophetandi, & Londini 1647. 4. imprimi curavit doctissimus vir, Jeremias Taylor: sed ego scriptum isthoc nondum vidi, neque ex illo proficere potui. Has autem qualescunque cogitationes meas pio, humano, ac prudenti Eclecticorum judicio lubens meritoque subjicio.

DIS-



DISSERTATIO IIX.

DE

ECCLESIIS DOMESTICIS.

SUMMARIA.

Ecclesiæ domesticæ denominatio. Descriptio. Species duæ: earumque utilitas, & alterius necessitas. Exempla. Typus. Intermissio perniciosa. Alterius speciei director. Cautelæ. Probatur ex dictis Scripturæ S. & exemplis. Item ex dictis Patrum, & recentiorum Doctorum: nec non exemplis ex Historia Ecclesiastica. Objectiones VI. Protestatio. Parænesis.



PArtes Ecclesiæ in hac terra militantis sunt *Ecclesiæ Domesticæ*, sic dictæ a domibus privatis, in quibus colliguntur, sive ex illis duntaxat, qui in una eademque domo pariter habitant, sive ex aliis etiam, qui seorsum, & vel

vel in vicinia, vel in remotioribus urbis oppidive regionibus habitantes, in certa quadam domo, ſacrorum cauſa, in timore Domini conveniunt. *Ratio* autem, (ut F. V. Calixtus, venerabilis Regiæ Lutteræ Abbas, ac Profeſſor illuſtris Juliæ emeritus, in tract. de Hæreſi p. 200. ſcribit) *quod ſocietas domeſtica* Eccleſiæ *appellationem eſt indepta, non eſt alia, quam quod res ſimilares, conſimilibus conſtantes, uno eodemque nomine, quod & parti & toti competit, nominantur. Sic & gutta aquæ, & oceanus, eſt, & nominatur aqua. Et quamvis domeſtica ſocietas, Eccleſiæ nomine veniat, non tamen eſt de corpore Eccleſiæ amplioris, vel civitatis, vel regionis, truncata, ſed ad eam reducitur, & eſt pars eam integrans.*

Itaque illas ſequentem fere in modum, ſi lubet, deſcripſeris. Eccleſiæ domeſticæ ſunt collectiones, conventus & cœtus hominum in ædibus privatis, citra neglectum aut contemtum ſacrorum publicorum, vel etiam Miniſterii eccleſiaſtici, facti, in quibus vel paterfamilias ſingulis diebus, præcipue autem dominico, in præſentia conjugis, liberorum, &, ſi quos habet, ſervorum & ancillarum ſuarum, prælectioni ſacri codicis, piæque concionis, aut libri ad devotionem excitandam ſcripti, item precibus & catecheticæ debitam impendit operam, ut illi in chriſtiana cognitione ac pietate majores faciant profectus, atque ita propius ad metam æternæ ſalutis perveniant; vel is, qui præ aliis in ſalutari profecit doctrina, ut Miniſter eccleſiæ ordinarius, vel alius Theologus, aut etiam, conſentiente, vel certe non improbante Presbyterio, aut Collegio Theologico, alius quidam, eruditus tamen ille, & pius, atque ad præſens negotium aptus & idoneus, congregatis, ex diverſis domibus, piis ac fidelibus Chriſti cultoribus unum aut alterum Scripturæ ſacræ caput prælegit, pro talento a

Deo

Deo conceſſo exponit, & quomodo ejus contenta ad doctrinam, inſtructionem & conſolationem adhiberi debeant, poſſintve, vel ipſe proprio Marte, vel e ſcripto quodam orthodoxo oſtendit, piamque & ardentem orationem præmittit & ſubjungit, non alium in finem, quam ut ipſe, juxta cum audientibus, in ſalutari cognitione & vita hominem chriſtianum decente, incrementum capiat, ſeque & illos ad ſalutem ædificet, & Deus opt. max. vel hoc etiam modo magis magisq́; ceu fas eſt, glorificetur.

Inde igitur patet, Eccleſias domeſticas duplicis eſſe generis, alias quidem e domeſticis, alias vero, præter domeſticos, etiam ex aliis & extraneis collectas. Vtræque cum inſigni conjunctæ ſunt utilitate, eo quod per talia exercitia devotio excitatur, timor Dei exercetur, Spiritus S. operationi janua aperitur, notitia ſacra, ſi non major acquiritur, tamen conſervatur & propagatur, verbum divinum ſubinde notius redditur, interior homo magis magisque alitur, & ad metam ſalutis æternæ propius decurritur. Audiamus hac de re Lutherum. Sic autem ille in Neceſſar. Commonefact. ad Paſtores de exercendo indeſinenter catechiſmo, Tom. IV. Jen. Germ. p. 386. *Variis modis utile eſt, catechiſmum quotidie legere, & cogitationibus æque, ac verbis exercere: nam Spiritus S. lectioni, dictioni, & meditationi tali præſens eſt, & ſubinde novam & majorem lucem ac devotionem ſuppeditat, ut lecta & audita magis magisque ſapiant, promtiusque intelligantur, ſicut Chriſtus etiam promiſit* Matth. XIIX. Ubi ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Vide etiam Hoornb. Theol. Pract. part. poſter. p. 434.

Sed illæ præter utilitatem, etiam gaudent neceſſitate, ita ut nullo tempore ceſſare poſſint, ſed omnino ac indeſi-

desinenter exerceri debeant. *Quapropter*, ait Lutherus in præfat. Catech. Maj. p. 397. *pueris articuli ad catechismum seu puerilem institutionem pertinentes, summo studio tradendi sunt, inque ipsis non segniter exercenda eorum industria. Inde fidelis ac vigilantis patrisfamilias officium exigit, ut per hebdomadam ad minimum semel habito examine, liberorum ac familiæ periculum faciat, ac audiens exacte perquirat, quid hisce de rebus intelligant aut didicerint: quibus ignoratis, eosdem serio & graviter eo, ut ista perdiscant, adigat.* Et X. Præceptis, Articulis christianæ fidei, atque Orationi Dominicæ hæc subjungit verba: *Hæc sunt capita summe necessaria, quæ cuivis Christianorum primo perdiscenda sunt, atque ad verbum recitanda. Sunt autem ad hoc quotidie assvefaciendi pueri, ut, quoties mane e stratis surrexerint, & ad capiendum cibum accesserint, & sub vesperam iterum dormitum ierint, memoriter recitent, neque ad cibum aut potum admittantur, nisi his omnibus ante diligenter recitatis. Non secus boni patrisfamilias officium herile exigit cum familia, nempe cum servis & ancillis, agere, neque quenquam in famulitio suo perferre, ista nescientem, aut recusantem discere.*

Idem necessitatis argumentum urget, & ex officio patrisfamilias derivat prædictus Ecclesiæ nostræ doctor, in Enarrat. cap. V. Matth. Tom. VII. Witteb. Lat. p. 2. scribens: *Dixerit aliquis: Quid? nihilne cuiquam docendum est, nisi palam fiat, neque licebit patrifamilias domi suæ familiam docere, aut scholasticum alere, quem aliquid prælegentem audiat? Respondeo: Sane licere, & bene factum esse; præterea ipsum locum esse peridoneum. Est enim cujusvis patrisfamilias officium, docere & optimis moribus imbuere familiam, aut aliis docendam & informandam committere. Est enim domi suæ perinde, ut Parochus & Episcopus super familiam, estque illi* com-

commissum, ut diligenter videat, quid discant: pro quibus illi profecto respondendum erit, & reddenda ratio. Hoc nempe didicerat a magistro suo, S. Augustino, qui in tract. LI. in Johannem, similiter, unumquemque patremfamilias, ecclesiasticum & quasi episcopale munus obire, docuerat. Verba ejus hæc sunt: *Cum ergo auditis, Fratres, Dominum dicentem,* Ubi ego sum, illic & minister meus erit, *nolite tantummodo bonos Episcopos & clericos cogitare; etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potueritis, prædicando, ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere, pro Christo & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, & exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticum & quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.*

Et ante Augustinum Chrysostomus patribusfamilias easdem informationis partes injunxit, ostendens, Ministros Ecclesiæ non omnia solos posse peragere, adeoque in societatem ejusmodi laborum venire etiam illos debere, quibus familiæ cura est concredita. Sic autem Ciceronem illum christianum audimus disserere, aut potius exprobrare, in homil. IX. in I. ad Coloss. *Omnia in nos,* ait, *congeritis. Oporteret vos a nobis solum discere; uxores autem a vobis, filios a vobis.* Plura huc pertinentia reperies in Kortholti Fideli Excitatione ad solicitam simplicium & ignorantium informationem in salutari doctrina fidei, seu, ut verba Germanica sonant, in der Treuhertzigen Auffmunterung zu sorgfältiger Unterweisung der Einfältigen und Unwissenden in der heilsamen Glaubens-Lehre/ libello sane utilissimo, lectuque dignissimo. Idemque argumentum jam antea tractavit, & quomodo Christianus

etiam ſuos ad pietatem deducere debeat, oſtendere laboravit pius Glaſſius in aureo libro, quem vocat Haus-Kirche/ ſeu Eccleſiam Domeſticam, p. 559.

Nec prætereamus illuſtria Eccleſiarum ejusmodi domeſticarum, eorumque, qui illis maximo cum honore præfuerunt, exempla, ut illa, tanquam in ſpeculo, ſubinde intueamur, poſterisque luſtranda relinquamus. Vbi primo omnium ſacratiſſimus Imperator CONSTANTINVS M. hoc nomine commendandus venit; quandoquidem Euſebius lib. 4. de Vita Conſtantini c. 17. memorat, illum ἐν τοῖς βασιλείοις, in palatio, quandam velut Eccleſiam Dei conſtituiſſe, ac diligentia quidem & alacritate præiviſſe cunctis, qui in Eccleſiam illam erant adſcripti: & ſacros codices in manus ſumentem, oracula a Deo edita attento animo meditatum eſſe, & εὐχὰς ἐνθέσμους, ſolennes ac ordinarias preces, cum univerſo aulicorum cœtu, recitâſſe. Nec minorem laudem meretur THEODOSIUS junior, cujus aula, uti Socrates refert lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 22. ἀσκητηρίῳ cœnobio ſimilis erat, quique aliquando e circo oratorium reddidit. Pari ſtudio præditus erat *Joh. Frid. Hoffmannus*, Liber Baro in Strecha & Grunpichel, hæreditarius præfectus prætorii Stiriæ, & archimarſchalcus Auſtriæ ac Stiriæ, Sereniſſimi Auſtriæ Archiducis CAROLI Conſiliarius, & Ducatus Stiriæ præfectus: Sic enim teſtatur, & ad eum ſcribit Dav. Chytræus, is, qui inter theologos noſtros inprimis moderationis, prudentiæ & candoris laudem adeptus eſt, in epiſt. dedicat. Commentarii in Deuteronom. *Vidi, domeſticam Eccleſiam CL. Tuæ, in hoc nobilitatis & ſplendoris generoſi faſtigio ſublimi, nihilominus ſanctiſſimam veræ invocationis Dei, quotidianæ lectionis Bibliorum, recitationis piarum precum & pſalmorum, obedientiæ, modeſtiæ, gravitatis & elegantiæ morum, & omnium virtutum*

tutum Deo placentium officinam & gymnasium esse. Nec illaudabiliter Ecclesiam domesticam instituisse *Everardum Roggium*, Dantiscanum, consulem Culmensem, ex eo licet perspicere, quod religiosus & candidissimi vir pectoris, Phil. Melanchthon, eam Deo precibus commendat, in epistola V. (quæ exstat in Tomo V. Epistolar. Philippi p. 307.) hunc in modum scribens: *Oro Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, vere colligentem & protegentem æternam Ecclesiam, ut te & tuam domesticam Ecclesiam semper protegat & gubernet.* Et de *Joh. Wigando*, qui primum Noribergæ ludo literario ad D. Laurentii, tandem autem post varias, easque spectabiles functiones, tam academicas, quam ecclesiasticas, Pomazaniensi in Borussia episcopatui præfectus fuit, narrat Melch. Adamus in Vitis Theol. p. 615. quod cum Ecclesia domestica, singulis diebus testis, repetitiones concionum & examina catechetica instituerit.

Sed non est, quod plura exterorum exempla colligamus, quum domesticum habeamus, idque valde conspicuum in *Hieron. Paumgartnero*, seniore, Reip. Noribergensis Senatore præstantissimo. Certe illud minime nobis prætereundum aut omittendum est. Nimirum singularis Melanchthoni cum nobilissimo hoc Senatore intercessit amicitia, ita ut frequentes ad eum perscripserit literas: quarum quidem CXCVI. habemus in prædicto epistolarum tomo, Lugduni Batavorum A. 1647. impresso. Sicut igitur amplissimus vir optimo Philippo *veræ Ecclesiæ columinis* encomium tribuit p. 253. & hisce verbis ei quasi epitaphium erexit ad omnem ætatem duraturum, ita unam & viginti observavi epistolas, in quibus ille Ecclesiam domesticam Hieronymi sui cum laudat, tum Deo conservandam & protegendam quam devotissime commendat. Nec

temperare mihi possum, quin ex amore patriæ, & singulari erga florentissimam generosorum Paumgartnerorum familiam reverentia, elegans Melanchthonis carmen prid. Cal. Augusti A. 1523. ad eundem transmissum, hoc loco reponam, & lectori communicem. Vt vel inde etiam appareat, ridendos & exsibilandos, aut potius commiserandos esse ineptulos illos, qui nobilitatem ex contemtu studii literarum & virorum doctorum quærunt. Immo forte Hieronymi memoria non superfutura inter eruditos, atque æternitati consecrata fuisset, nisi ipse tractâsset literas, & Philippo suo, tanquam æternitatis instrumento, familiariter usus fuisset. Sed agite, aures præbeamus, theologica quidem, & coram mundo despicata toga amicto, sed magno tamen, magnique Senatoris laudes decantanti vati:

Velociores spiculis Cydoniis
Abite jambi, Hieronymumq; visite;
Meoq; precamini salutem nomine
Sodalium optimo atq; candidissimo;
Seu contulit sese ille in urbem Francicam, (1)
Quæ conditoris Cæsaris (2) *accepit pio*
Cineres sacratos hospitio, seu Noricam
Vrbem colit, vocare quam exteri solent
Oculum theatrumq; unicum Germaniæ,
Seu rusticatur cum suis, & Najadas
Inter, Deosq; ruris audet carmine
Certare cum Nymphis. At illæ texere
Student frequentes serta vati, Pegnicam
Resonare qui ripam docet primus modos
Græcosq; Romanosq;. Non hoc clarior
Futurus amne Tybris est ad posteros,

Nec

Nec orbe notus omni Ionicus Melas.
Huic perfrui mandate jambi molliter,
Faventibus quod contigit Diis, ocio.

(1) *Bambergam.* (2) *Henrici II.*

Talium Ecclesiarum typus erant familiæ Israëlitarum, in Ægypto nocte Paschatis, dum primogenita Ægyptiorum horribiliter occidebantur, servatæ. Hinc Philippus noster ad Hieron. suum Paumgartnerum in epist. CXIIX. scribit: *Filius Dei servat Ecclesiam suam in ædibus, quarum limina sanguine agni notata sunt.* Vbi autem Ecclesiæ hæ negliguntur, frigentque aut exulant, ibi nil nisi malorum ingentium & quaquaversus prorumpentium grassantiumque zizania succrescunt & luxuriant. Vndenam enim, quæso, illa adolescentum protervitas, studiosorum seu academicorum licentia, conjugum rixæ & jurgia, subditorum inobedientia, Imperantium effrons audacia ac præsumtio, contrahentium doli ac fraudes, literatorum, & eorum inprimis, qui aliis exemplo suo prælucere debebant, infinitæ concertationes & φιλονεικίαι, verorum & voluntatem Patris cœlestis facientium Christianorum paucitas? Non aliunde profecto magis, quam quod hi omnes in domestica Ecclesia vel plane non, vel non recte instituti, & quomodo affectus suos compescere, vanitatem mundi contemnere, Deum & Superiores revereri, proximum diligere, sicut se ipsi, atque ita suum cuique tribuere debeant, edocti, & ad hæc pietatis officia deducti, suaviterque coacti fuerunt.

Fidem dictis hisce faciam, saltem quod Academiæ cives attinet, testimonio venerandi Ministerii Lubecensis, Hamburgensis, & Luneburgensis, quod in libro de Novo-

rum Prophetarum Religione, in Ausführl. Bericht von der Neuen Propheten Religion, p, 126. & seqq. conceptum, his propemodum verbis reddi potest: *Quod attinet Studiosos, optandum quidem esset, considerari a singulis, in qua eos statione Deus collocârit, ut videlicet in Dei gloriam & emolumentum Reipublicæ ibi discant, quomodo in cunctis statibus bene ac salutariter gubernare possint: (cum quo merito conjuncta debebant esse, pie vivere, seque ipsum decenter regere.) Ita eorum non tam multi essent, qui putant, in Academiis se habere licentiam genio suo indulgendi, & tempus, quod pretiosissimus, nec universis mundi opibus reparabilis est thesaurus, otio, compotationibus, lusibus, chorearum & gladiatorii ludi* (de quibus tamen posterioribus intelligendum duntaxat id, quod nimium est, & cum vitio conjunctum) *ac similibus aliis variis exercitiis, imo multis malis, perniciosis, a norma christiana aberrantibus, Epicureis, Cyclopicis, barbaris & diabolicis operibus consumendi ac perdendi, quod tamen vergit in proprium ipsorum, ac nunquam satis pœnitendum detrimentum, ita ut multos reliquum vitæ spatium sub displicentiæ ac miseriarum onere gravissimo & intolerabili explere oporteat, ac pœnitere, quod nobilissimæ juventuti suæ non prospexerint melius, nec consuluerint prudentius. Consumtis, eheu! tempore & pecunia, genitoribus ac patronis ad justam iram provocatis, deficiente aptitudine ad obeundam spartam honestam, Deus justissimus vindex conscientiam punit, miserumque & jam satis mœstum cor, cogitationibus commissi mali & omissi boni, meritoque immissæ jam calamitatis, turbat, concutit, & divexat. Hic defectus atque hoc vitium, quod ne sanguineis quidem lacrymis satis deplorari, nec negari potest, reperitur in universitatibus studiorum, quæ omnium virtutum officinæ & palæstræ debebant esse. Causa hujus mali est mala disciplina domestica, ubi multi in domo parentum suorum de pietatis & honestatis studio perpauca, multum*

tum autem de execrationibus, comessationibus, rixis ac plagis, superbia, aliisque vitiis audiunt ac percipiunt. Tales postea meliori repugnant disciplinæ, ac monitoribus asperi sunt, & cantiunculam, quam eis præcinuerunt parentes, canere volunt, & repetere.

Quemadmodum autem pater vel herus, atque in eorum defectu (1) mater vel hera, aut etiam (2) juventutis præceptor antistitem ecclesiæ domesticæ agere, id est, catecheticum & alia pietatis exercitia cum suis instituere potest, ac debet; ita alterius domesticarum Ecclesiarum speciei, quæ alios etiam, quam familiam, admittit, gubernaculum rectissime committitur vel relinquitur publico ecclesiæ ministro, aut alii viro theologo: tales enim pro sua, qua pollere debent, & scientia & prudentia & auctoritate, omnium ad id aptissimos esse, nemo quisquam negabit. Ita (ut vivos idem facientes exercitium silentio prætercam) paucis abhinc annis *collegium*, ut vocabat, *pietatis*, Jenæ, singulis Dominicis, postquam sacra publica finita & peracta erant, domi suæ pro studiosis instituit, atque in eo Acta Apostolorum, aliosque libros Biblicos, sensum eorum literalem, & moralem usum, Germanico idiomate ostendens, tractavit meritissimus theologus J. Guil. *Bajerus* & quidem proficientibus multum applaudentibusque studiosis, nec improbantibus, sed potius approbantibus factum viris doctis, piis & sapientibus.

(1) *Juxta epistolam ad Ephes. VI. 1. & ad exemplum Diaconissarum, de quibus vide Balduin. in ep. ad Tit. II. 3. & Bebel. Antiqq. Sec. I. art. 2.*

(2) *Luth. supra in thesi V.*

Sed qui ministerii, ordinisve theologici non est membrum,

brum, neque ejus consensum vel tacitum vel expressum impetravit, is non temere functionem istam aggrediatur, multo minus obeat geratque, refragantibus & reclamantibus illis: cum omnino credibile sit, illos, quos Ecclesia, ob doctrinam & pietatem singularem, antistites & doctores constituit, non tam fore vel cæcos, ut utilitatem, quæ promovendæ christianitati alicunde nascitur, non videant, vel improbos, ut eam illi invideant: immo consultius, ut, si quid etiam humani ab hac parte committeretur, fluctibus cedas, & de tuo, quod tibi ita videtur, jure aliquid remittas, quam ut contra aquam naviges, crabrones excites, & litibus, rixis, decertationibus, turbis, dissidiis, scandalisque campum aperias. Enimvero etiam heic tenendum est, quod S. Paulus moderato dicam? an generoso pectore, de re adiaphora pronunciavit 1. ad Cor. IIX. 13. *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo.* Atque ita sectanda ædificatio, ne pacis jactura fiat, prout idem requirit Apostolus, scribens; *Nempe igitur, quæ ad pacem faciunt, sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.* ad Rom. XIV. 19.

Inprimis ab eo, qui præsit ecclesiæ domesticæ, requiritur, ut ad eam regendam aptus sit atqne idoneus, & in cognitione salutari eo usque profecerit, ut ejus alios possit reddere participes, & majorem in modum ædificare. Deinde (1) ut se ipse non ingerat, & invitis obtrudat, sed Deo dirigente, & charitate instigante, officium suum faciat, apud eos, qui eum læti ac lubentes admittunt. Porro ne verbo Dei per violentas interpretationes vim & injuriam inferat, neque etiam intricatis quæstionibus, maximeq; dubiis ac difficillimis Scripturæ locis operam impendat, sed precibus, ac meditationi ruminationique auditarum concionum, item lectioni faciliorum sacri codicis partium,

atque

atque ostensioni, quomodo illæ ad praxin sint transferendæ. Curandum quoque, ne cœtus fiat nimis amplus, & speciem sectæ publicæve Ecclesiæ præ se ferat, item ne (2) sacra publica ab iis, qui privatim conveniunt, negligantur, intermittantur, aut juxta cum Presbyterio in contemtum trahantur, & superstitio sub larva pietatis occulatur, aut Magistratui debita subtrahatur obedientia; denique, ne, hoc agentes, omnia alia, quæ ad ordinarios suos labores, & vocationem, qua quisque eorum vocatus est, spectant, stulte omittant, perfectionem nescio quam sibi somnient, sanam Ministerii commonefactionem, & meliorem instructionem vilipendant & derideant, atque in varios excessus compescendosque furores & insanias velut temulenti ruant, sed potius omnem mali speciem cane pejus & angue fugiant, & ad rationem instituti sui, loco conveniente, reddendam promti sint ac parati, & Dei gloriam, proximique ac suam ipsorum ædificationem, non αὐθάδειαν i. e. morositatem, perversum sui amorem, contumaciam, temeritatem, procacitatem, superbiam & arrogantiam, pro scopo ac meta sua habeant.

(1) *Luth. T. V. Jen. Germ. p. 347.*
(2) *Idem in Epist. ad Laur. Castnerum. T. VI. Jen. Germ. 383. Et de hoc etiam habemus Apostolicum præceptum in epist. ad Ebr. X, 25.*

His aliisque similibus, de quibus prudentiores sagacioresque statuant, terminis si circumscribantur congregationes privatæ seu Ecclesiæ domesticæ, haud difficile fuerit, ostendere, eas non plane nullum fundamentum habere in Scriptura S. atque a pia comprobari Antiquitate. Et Scriptura quidem tam dicta, quam exempla exhibet, quæ rem hanc conficiant. E dictis notabimus sequentia. Matthæi cap. XIIX, 19. 20. dicit Christus: *Si duo ex vobis*

consenserint in terra, (ita, ut boni petant bona, bene, ad bonum) *de omni re, quam petierint, fiet eis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres coacti* (& porro consentientes) *in nomine meo*, (meique fiducia,) *illic sum in medio eorum*, (ita ut illis faveam, auxiliumque præstem.) Et Paulus scribit ad Rom. XV. 14. *Persvasum habeo & ipse ego de vobis, Fratres mei, quod ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuo admonere.* Si quidem legimus ἀλλήλους, non vero ἄλλους. I. ad Thessal. IV. 18. *Consolamini alii alios* (amici amicos) *istis sermonibus* (de resurrectione, ad quam omnis spes nostra tendit.) Et c. V. 14. *Precamur autem vos, Fratres, admonete inordinatos, consolamini eos, qui* (in adversis) *pusillo animo sunt.* Ad Ephes. V. 18. 19. *Ne inebriamini vino, sed implemini Spiritu, loquentes inter vos mutuo psalmis, & hymnis & cantionibus spiritualibus, canentes ac psallentes in corde vestro Domino.* Quod in ep. ad Coloss. c. III. 16. sic effert: *Sermo Christi* (*) ἐνοικείτω *inhabitet in vobis* (apud & inter vos, in domibus vestris) *copiose*, (per assiduam meditationem & exercitationem) *cum omni sapientia, docendo & admonendo vos mutuo psalmis & hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratia, canendo in corde vestro Domino.* Quo pertinet benignissima illa Dei prædictio & promissio, quæ de tempore N. T. exstat apud Joël. II, 28. 29. *Erit postea, ut effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: Seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt. Quin etiam super servos & super ancillas diebus illis effundam spiritum meum.*

(*) Secundum mentem quidem Glassii, qui in præfat. der Haus-Kirche ita scribit: Inmassen solches (quod ecclesiæ in domibus fidelium constituendæ sint) auch

die herrliche Vermahnung S. Pauli auf sich hat/ Col. III. 16. **Lasset das Wort Christi unter euch reichlich wohnen**/ (ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν, es soll bey/ neben/ in und unter euch im Hause wohnen/ nehmlich durch fleißige Betracht- und Ubung) **in aller Weißheit.** Quo ipso tamen præclarus ille Theologus non negavit vocabuli ἐνοικείτω emphasin, ad designandam internam verbi divini inhabitationem in cordibus hominum. In quem sensum etiam Philippus Melanchthon in peculiari schedula, d. 3. pentecostes A. 1551. propria manu exarata, nec dum edita, asservata autem hactenus a Joh. Andr. Gleichio, Ecclesiaste Electorali Saxonico, Apostolum explicat. Sic autem habent ejus verba, communicata mihi a doctissimo & amicissimo illo viro: Habitet in nobis sermo Christi, i. e. *sit familiariter notus, sæpe cogitetur, tanquam colloquaris coram cum Filio Dei. Certissimum autem est, in illo ipso pectore habitare Deum, ubi sermo Dei vera fide accipitur. Ibi Filius, qui est Verbum æternum Patris, vere evangelii dicit consolationem, in corde tuo, & monstrat tibi Patrem. Et Pater æternus, diligens te propter Filium, per eum effundit Spiritum S. in cor tuum, vivificat, docet, exaudit, gubernat, protegit, & facit te hæredem vitæ æternæ, in qua Deus omnia in omnibus. Et communicabit tibi sapientiam, justitiam & lætitiam in tota æternitate, cui sit laus & gratiarum actio. Amen.*

Sunt & nonnulla loca, in quibus expresse mentio fit Ecclesiarum domesticarum, ut Rom. XVI. 5. *Salutate* τὴν κατ᾽ οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν, *ecclesiam, quæ in domo eorum est,*

Priscillæ nimirum & Aquilæ, quos Apostolus v. 3. ratione privatæ, qua fungebantur, informationis, & plantatæ ab ipsis domesticæ Ecclesiæ, (ut Bebel. observat Antiqq. Sec. I. art. 2.) συνεργοὺς suos appellaverat. I.Cor. XVI, 19. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priscilla* σὺν τῇ κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίᾳ, *cum ecclesia, quæ est domi ipsorum.* Ad Coloss. IV. 15. *Salutate Nympham,* (qui fidelis & pius quidam frater fuit) καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν, *& ecclesiam, quæ in domo illius est.* Ad Philem. v. 2. *Paulus Philemoni* καὶ τῇ κατ' οἶκον σου ἐκκλησίᾳ, *& ecclesiæ, quæ domi tuæ est.* Neque per Ecclesias hasce Interpretes tantum illas intelligunt, quæ ex domesticis sunt collectæ, verum etiam eas, ad quas aliis quoque accessus patuit, & ubi congregati, prælectionum sacrarum & disputationum exercitio vacârunt. Vid. Raupp. in loca epist. ad Col. & Philem. modo allegata. Nempe quemadmodum Judæi habebant suas בתי מדרשות seu *Scholas theologicas*, quæ erant quasi domus Rabbinorum, in iis docentium, & ab ipsis adhibendæ ad usum quemlibet; ita domum Aquilæ in Ephesina & Romana urbe, Philemonisque apud Colossenses tali usui inserviisse, prælectionibus videlicet aliquando sacris, & disputationibus vel cum Judæis, vel inter Christianos, existimat antiquitatum & Judaicarum & ecclesiasticarum callentissimus Lightfoot in I. ad Cor. XVI, 19. p. 259. & in Act. I, 13. p. 12. editionis Carpzovianæ. *Non quod* (ut idem statim subjungit) *negligeretur publica conventio in ecclesia, sed quod numerus aliquis ex Ecclesia, forsan totus cœtus Ministrorum Doctorumque huc conveniret, reliquique, qui ad mysteria evangelica magis anhelarent: ubi tractabantur articuli atque apices fidei obscuriores, & disputatum est, si res efflagitaret, vel inter se, vel contra Judæos.*

Dome-

Domesticarum ecclesiarum instar fuisse videntur apud Judæos τὰ ὑπερῷα, seu superiores ædium partes, Hebraice עליות dictæ, in quas ascendebant, cum de lege & rebus religionis, extra Synagogam, esset tractandum. Et hæc ὑπερῷα distincta videntur fuisse a *triclinio* seu *cœnaculo*, ubi pransum est & cœnatum. Talis sacelli mentionem facit Lucas Act. I, 13. quando discipulos post ascensionem Christi, a monte oliveti Hierosolymam reversos, (1) εἰς τὸ ὑπερῷον ascendisse dicit. *Hujusmodi loca* (ut laudatus scribit Calixtus in Tract. de Hæresi p. 209.) *erant in Judæorum ædibus, nullis profanis usibus patentia, vel oratoriorum domesticorum vicem supplentia, in quibus convenientes, domesticam repræsentabant Ecclesiam. Conveniebant istuc loci ad præstandum Deo cultum, ad orandum, ad deponendum, usq; ad sepulturam, mortuos, sicut de Dorcade Act. IX, 37. legimus, (2) ad celebrandum pascha, Marc. XIV, 15. De cœnaculis seu oratoriis illis Judæorum Joh. Pearsonius, Cestrinensis in Anglia Episcopus, Lectione I. in Acta, num. VII.* Erant, *inquit*, privata illa ὑπερῷα, loca a Judæis semper sacris usibus destinata, saltem ex quo Daniel propheta ascendisse in cœnaculum ad orandum dicitur: Καὶ αἱ θυρίδες ἀνεωγμέναι αὐτῷ ἐν τοῖς ὑπερῴοις, κατέναντι Ἱερουσαλήμ. ut & Sara, filia Raguelis, dicitur descendisse ἐκ τοῦ ὑπερῴου, ubi oraverat. Unde Judæi, Sapientes suos appellabant (3) *filios cœnaculi. Hæc Pearsonius.*

(1) εἰς τὸ ὑπερῷον, id est, in superiorem domus partem, ut explicant Varro & Vitruvius lib. 2. Erat enim ea pars a frequentia & conspectu hominum remotior. Itaque apud Homer. mulieres ἐν ὑπερῴῳ collo-

cantur, sic vocato, ut ait Eustachius, a præpositione ὑπὲρ, & ᾠὸν, quod Spartana lingua declarat οἴκημα, id est, domicilium sive habitationem. Beza in Act. I, 13.

(2) Si ἀνώγεον, in quo Servator celebravit pascha, Marc. XIV, 15. & Luc. XXII. 12. est germanum ὑπερῷῳ, aliud videtur fuisse a communi triclinio. Ligthf. in Act. I, 13. Cum quo facit Hoornb. Theol. Pract. part. 2. p. 393.

(3) בני עליה *filii* τοῦ ὑπερῴου, *id est, filii Beth Midras: si ego vocem* עליה *hic recte capio, de qua re non contendam:* scribit Lightf. in Act. I, 13.

Exempla Ecclesiarum, de quibus agimus, quod attinet, ecce non cogitantibus aliqua jam oblata sunt, videlicet in *Aquilæ*, *Nymphæ*, & (4) *Philemonis* domo. Hisce adde *Apostolos*, qui die Pentecostes, cum replerentur Spiritu sancto, congregati erant eodem loci, Act. II, 1. id est, in ὑπερῷῳ illo, in quod ascenderant post assumtionem Domini in cœlum. Adde alios fideles, de quibus passim legitur, in libro Actorum Apostolicorum. Sic ibidem, ubi collectos fuisse Apostolos modo audivimus, convenit *multitudo*, & de dono linguarum, Apostolis collato, συζήτησις instituta, atque audito Petri sermone, magno numero christianam religionem amplexi sunt, & conjuncti manserunt, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, in eodem loco. Act. II, 6. 7. 12. 44. Dimissi Petrus & Johannes a Synedrio, quod non invenerat causam idoneam, propter quam eos puniret, venerunt ad *suos*, i. e. fideles, in peculiari alicujus domus parte congregatos, & annunciaverunt, quæ primarii Sacerdotes & Seniores ipsis dixerant, nimirum, ne amplius loquerentur aut docerent, in nomine Jesu. Hi autem, quum hæc audivissent, sustu-

lerunt

lerunt vocem ad Deum, eumque gratiarum actione & precibus venerati sunt. c. IV, 23. 42. 31. In domo *Mariæ*, matris Johannis, qui cognominabatur Marcus, multi erant congregati, & orantes. c. XII, 12. *Aquila* & *Priscilla* Judæum quendam, Apollo nomine, Alexandrinum genere, qui baptismum Johannis & prima christianismi elementa tenens, cœperat liberius, quam ante, loqui in Synagoga, assumserunt, & penitius ei exposuerunt viam Dei de Christi persona & operibus, deque salute incircumcisorum. c. XVIII, 26. & *Paulus* non tantum δημοσίᾳ, publice, in conventibus seu congregationibus ecclesiasticis, sed & καθ' οἴκους, domatim & privatim, obiens ac visitans, sicut oportebat, docuit. c. XX, 20.

(*) *Domum Philemonis integram mansisse usq; ad sua tempora, scribit Theodoretus in præfat. in epist. ad Philem. usibus publicis Ecclesiæ destinatam, templum e domo.*

Sed transeundum nobis est a S. Codice ad Antiquitatem ecclesiasticam, & aures pandendæ ad audiendum dicta Patrum, oculique aperiendi ad spectandum exempla. Tertullianus in lib. de Exhort. castit. (quem, quamvis a Montanista scriptum, ad rem præsentem tamen, eamque historicam, haud male producere possumus) c. VII. p. 522. edit. Prior. ait: *Nonne & laici sacerdotes sumus? Scriptum est*: Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo & Patri suo fecit. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tinguis, & sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Chrysostomus homil. VII. in Genesin: *Volo & precor omnes vos in Doctorum ordine esse: non solum auditores nostrorum esse dictorum, sed & aliis doctrinam nostram afferre, piscarique errantes, ut in viam redeant veritatis: sicut &*

Pau-

Paulus inquit: Vnus alterum ædificet. --- *Ne tam negligentes simus in nostra ipsorum salute: quin potius sermo noster sit de spiritualibus rebus, & librum divinum accipiat aliquis in manus, & convocatis proximis, per divina eloquia riget & suam & convenientium mentem.* Theophylactus in I. ad Theff. V. sic commentatur: *Ne dicas: non sum doctor, non sum præceptor, alios docere & ædificare non teneor: falleris. Doctores non sufficiunt ad singulorum & omnium admonitionem, sed vult Deus quemque alium instruere & ædificare, saltem exemplo suo & bona vita.*

Nec ab hisce abludunt recentiorum sententiæ Doctorum. Sic enim Lutherus scribit T. VII. Altenb. p. 374. *Quamvis non omnes simus in publico officio, tamen quivis Christianus potest ac debet proximum suum docere, informare, admonere, consolari, corripere verbo Dei, quando & ubi opus est, ut pater & mater liberos & familiam suam, frater, vicinus, civis vel agricola alterum.* In Postillorum parte hyemali p. 268. *Heic* (nempe ad Col. III, 16.) *Paulus officium docendi omnibus concedit Christianis*, docete, *ajens*, & admonete vos mutuo, *id est, invicem, alter alterum, porro quisque se ipse, extra publicam docendi spartam: ut adeo verbum Dei publice & privatim, in communi & peculiari conventu, ubivis exerceri debeat.* Et in tertia parte Artic. Smalcald. c. 4. de Evang. p. 329 profitetur, *Evangelium non uno modo consulere & auxiliari nobis contra peccatum: Deum enim superabundanter divitem & liberalem esse gratia & bonitate sua, nempe per verbum vocale, per baptismum, per sacramentum altaris, per potestatem clavium, atque etiam per mutuum colloquium, & consolationem fratrum, Matth. 18.* Ubi duo aut tres fuerint congregati &c. Joh. Tarnovii ad Jöel. p. 84. hæc est commentatio: *Prophetabunt, non tam quidem futura prædicendo, quam alia arcana Dei mysteria plene intelli-*

telligendo ac plane privatim aliis explicando, Rom. XII, 7. 1. Cor. XIV. 3. Glassius in Medit. in Epist. Dominic. p. 461. *Hoc verbum Christi*, ait, *exterius lectum & auditum diligenter, interius Spiritus Dei in cordibus credentium, tanquam ex cathedra sacra, docet, inculcat, suggerit, & per id consolatur, erigit, vivificat, confortat, recte ducit, tandemq; æternum salvat. Hoc vero ut fiat, exercitio jugi opus est, in meditatione verbi, mutuaque de illo collocutione, & ex eo informatione, consolatione, commonefactione.* Psal. I. 2. 1. Thess. IV, 18. V, 11. Hebr. X, 24. Et Henr. Müller in Cœlesti Osc. charit. p. 163. *Filii Dei delectantur verbo Dei, deque eo diu noctuque loquuntur. Immo non tantum pro se delectantur eo, sed & alios eodem delectant. Verbo Dei docent simplices, solantur pusillanimos, confortant defessos, arguunt contumaces, & lapsos erigunt. Quin ii, qui vere pii sunt, sese conjungunt, seq; mutuo excitant ad pietatem ejusmodi sancto colloquio. Oportet unum alteri inservire pio colloquio, ut ignis accendatur. David optat Ps. CXIX, 79.* Convertantur ad me (*i. e. adjungant se mihi*) timentes tui, & cognoscentes testimonia tua. *Pii, in quorum cordibus verus est timor Dei, facile consentiunt, quia uno conjuncti sunt spiritu, ab uno spiritu illuminantur & aguntur: Hîc unus alterius consors est, & unus alterius amorem & amicitiam sibi exoptat: quemadmodum in natura par pari per mirabilem occultamq; harmoniam, ita cœlestes piæq; animæ conglutinantur; & laudabile est, si pii sæpe conveniunt, sermones de Christi regno inter se serunt, prout affectus cordis eos illuc excitat trahitque.*

Exempli loco adduxerit fortean aliquis *Mariam* illam, cujus mentionem facit S. Ignatius, aut quisquis alius, antiquus certe scriptor, in epistola ad Heronem Diaconum, hunc in modum scribens: *Saluta quoque pudicissimam Mariam filiam meam* πολυμαθεστάτην *eruditissimam, & quæ in*

domo illius est, ecclesiam. Quamvis enim per *ecclesiam* h. l. cœtus domesticus Mariæ illius intelligendus videatur, haud tamen absurdum fuerit, etiam de ejusmodi conventu interpretari, ad quem præter domesticos aliis quoque aditus conceditur: maxime, cum pristinis ecclesiæ christianæ temporibus tales conciones in frequente usu fuerint: Nam finitis sacris publicis, veteres Christiani colloquia ad mutuam ædificationem instituebant, imitantes ut in aliis, (*) ita etiam hac in re Judæos, qui e templo in synagogam se conferre, & a publicis ad privatos conventus abire solebant; unde illud, quod legitur in Psalmo LXXXIV, 8. *Beati qui pergunt* מחיל אל־חיל, Targum reddidit, מן בית מקדשא לבית מדרשא, *ex domo sanctuarii in domum scholæ.* Hoc autem certius, adolescente quarto post Christi nativitatem seculo, conventus hujusmodi domesticos celebrare licuisse, nec fuisse prohibitos: nam in Concilii Gangrensis can. VI. (qui ita habet: Εἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν κατ' ἰδίαν ἐκκλησιάζει, καὶ καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐθέλει πράττειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis præter ecclesiam vult ecclesiam habere, & contemnens ecclesiam, vult ea, quæ sunt ecclesiæ agere, non conveniente Presbytero de Episcopi sententia, sit anathema*) damnantur privati conventus religionis causa instituti, non omnes, sed illi, qui fiunt cum contemtu Ecclesiæ, h. e. ita, ut conventus ecclesiastici deserantur, contemtibilesque habeantur, & absque præscitu ac consensu vel permissione Episcopi, sicut Balsamon, Zonaras, & Aristenus commentantur non modo ad prædictum canonem, sed etiam ad can. 31. eorum, qui dicuntur Apostolici, & Synodi Carthagin. sub Honorio & Theodosio juniore habitæ canonem X. Vt adeo non usus ecclesiarum domesticarum, sed abusus ac vitia, quæ iis per malitiam ho-

minum inflatorum & pertinacium adhærebant, illis temporibus; nec male, sed jure meritoque, & ad mentem divini auctoris epistolæ ad Hebr. c. X. 25. reprehensa fuerint, atque interim usus pulcrum nobis exemplum præbere & suppeditare queat. Nec male etiam huc retuleris ecclesiam domesticam CONSTANTINI Imp. de qua dictum est supra in thesi VII. quandoquidem juxta cum aulicis alios quoque intrare potuisse, vero simillimum videtur.

(*) *Hinc observat Brougthonus ad Danielem, nullos a Christo institutos fuisse ritus novos. Vide Gessel. Hist. Eccl. Part. I. 247.*

Et ecce duo alia exempla, in *monasteriis* videlicet, & *collegiis Canonicorum*: quandoquidem illa, ut Claudius Espensæus scribit in Comment. ad I. Epist. ad Timoth. *olim erant collegia & ἀσκητήρια, h. e. exercitationes, in quibus orationi lectio, lectioni succedebat oratio*: hæc autem (ut loquitur Christoph. a Haugwitz in Dialogo de Canonicis) *instituta sunt, non solum, ut essent consistoria ecclesiastica, & Ministerii ecclesiastici seminaria, sed etiam pietatis & cultus divini gymnasia atque ἀσκητήρια. Cum enim ab illis, qui vel Episcopo in Ecclesiæ gubernatione præsto esse debent, vel ad ecclesiastica ministeria formantur, peculiari quadam ratione singulare pietatis studium requiratur, ideo collegiorum istorum fundatores pio consilio ordinârunt certos vivendi, legendi, docendi, discendi, psallendi canones, ac certas quasdam regulas illis præscripserunt,* [*ex quo* Canonicorum *nomen ipsis inditum esse, plerique omnes arbitrantur*] *ut scilicet singulis diebus non solum lectiones Biblicæ in Canonicorum congressibus instituerentur, sed etiam odæ Davidicæ ac psalmodiæ sub initium ac finem illarum lectionum, ad laudem Dei prædicandam, devotionem spiritus excitandam, cultum divinum exercen-*

dum, & pietatis amorem hominum animis instillandum, decantarentur. Vide plura hac de re in Append. Consilior. Theolog. Dedekenni p. 765. & 766.

Nec deest sive exemplum, sive analogum Ecclesiarum domesticarum, si historiam ætatis patrum nostrorum inspiciamus. Fuerunt enim, qui *collegium*, ut vocabant, *philadelphicum*, ad excitandum magis magisque & propagandum pietatem & charitatem, instituere voluerunt, & Theologos Jenenses, quid ipsis de eo videretur, consuluerunt. Qui quidem Anno 1630. d. 5. Augusti rescripserunt, sese illud, sub certis, quas partim communicabant, partim acceptas approbabant, conditionibus & regulis, agnoscere pro instituto pio ac laudabili: tantum abest, ut improbârint, rejecerint, aut condemnârint. Et hoc celeberrimorum Theologorum judicium legere licet in Append. ad Dedekenni Consil. Theolog. p. 755. Cui p. 771. subjunguntur Conditiones inter fratres, pro futuris Collegii illius legibus paciscendæ.

Varia tamen sunt, quæ contra domesticas hujus generis ecclesias objici solent. Ecquænam illa? I. Ajunt, quod *præjudicent publicis & communibus exercitiis, ac conventibus ecclesiasticis, eorumq; neglectum & contemtum inducant.* Respondetur: Non per se, sed per accidens, eo videlicet modo, quo *cognitio inflat*, 2. ad Cor. II, 16. & *lex* (divina) *iram operatur*, Rom. IV, 8. Deinde simili argumento posset aliquis dissuadere & improbare conventum mariti & uxoris ad socia & privata pietatis exercitia, e. g. jejunia & preces, de quibus legitur 1. ad Cor. VII, 5. Et experientia docet, nullos diligentius sacris publicis interesse, quam qui domesticorum exercitiorum & privatarum collectionum communicationumque zelotæ sunt. II. *Sunt conventicula*; ergo prohibita & illicita. Quod facile

cile probari poteſt ex l. 2. C. de Summa Trin. & l. 5. de Hæret. & Manich. Reſp. De hæreticis, eorumque illicitis congregationibus ſermo eſt, non vero de privatis conventibus eorum, qui fidei chriſtianæ addicti, pietatis exercendæ cauſa, impetrato prius Superiorum, aut Miniſterii eccleſiaſtici conſenſu, in timore Dei interdum congregantur. III. Tales congreſſus *redolent ſchiſmata, factiones, enthuſiaſmos, quackeriſmos*. Reſp. Verum hoc eſſet, ſi forent ſeparationes a communione vel civica, vel eccleſiaſtica. At enim vero utraque hæc per illos ſalva manet, ac integra.

IV. Qui ita conveniunt, *poſſunt in errores & hæreſes incidere*. Reſp. A poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Nec res bona rejicienda eſt eo, quod poteſt degenerare in malam, malumve eam conſequi. Sane vinum in acetum, uxor honeſta in adulteram mutari poteſt: nec tamen propterea vel vinum prohibendum, vel uxor improbanda. V. Homines, præſertim idiotæ & ſeculares, *ejusmodi exercitiis ſibi nimis ſapientes videntur, inflantur*, & evadunt naſutuli, μωρόσοφοι, ſuperbi. Reſp. Hoc fit per abuſum, & per accidens. VI. Saltem aliqui videntur *ſuæ curioſitati litare, aut famam ſingularis & exſuperantis pietatis*, devotionis, ſtudiique ſacrorum aucupari. Reſp. Spiritualis ille affectus, illudque rerum cœleſtium ſtudium, quod ineſt, certe ineſſe debet aſcetis, non eſt perverſa damnabiliſque curioſitas, quæ conſiſtit in ſtudio rerum inutilium aut etiam illicitarum, ita ut ea, quæ utilia ſunt & ſectanda, turpiter negligantur, & longo poſt ſe intervallo relinquantur. Atque ita breviter, nî fallor, reſponderi queat objectionibus. De quibus qui plura deſiderat, adeat Gisb. Voetii Part. V. Diſputationum ſelectar. p. 396. ac videbit, hanc quæſtionem: *An aliqui pii religionis ac ſalutaris cognitionis zelotæ &*

& ἰσόψυχοι sive Ministri sive Ministerii candidati, sive privati fideles, sive mixti aliqui ex omnibus, data aut captata occasione, privatim convenire possint ad socia exercitia collationum, & communicationum, ad μεταδῶσιν charismatis alicujus spiritualis, εἰς τὸ στηριχθῆναι, ut dicitur Rom. I. 11. 12. idq; sine præjudicio salutaris cognitionis, & exercitiorum in Ecclesia aut familia, aut solitariorum, lectionis scilicet, meditationis, precationis, psalmodiæ? ab ipso tractari, pluribus argumentis adstrui, & contra adversariorum tela vindicari ac defendi. Et hæc Voetii disputatio postea in Germanicum idioma translata, Anno 1678. prodiit Hanoviæ, in forma minore, quam duodecimam appellant, sub titulo: Von einzeler Versammlung der Christen.

Nemo autem ea, quæ hactenus de Ecclesiis domesticis posterioris generis scripsi, in pejorem partem rapiat, & sinistre interpretetur, quasi videlicet classicum ad temere instituendas canere voluerim, aut defensionem suscipere abusuum & excessuum, qui forte heic vel illic irrepserunt: ipse enim nec institui ullam, nec aliis, ut instituant, suasi, multo autem minus ἀταξίαις delectari soleo; quin ex animo opto desideroque, ut omnia ordine & decenter fiant, atque ut pacis & concordiæ causa omittantur potius, quam urgeantur, mordicusque propagentur, & defendantur, quæ, etiamsi in se non sint mala & inhonesta, alios tamen offendere solent, ac materiem præbere litium, pugnarum & contentionum. Neque heri aut nudius tertius natæ mihi sunt hæc cogitationes, sed inde jam a multo tempore, & ante, quam hac de re cœptum est disputari, ex quotidiana lectione ac meditatione collectæ, nunc autem demum academico in otio conscriptæ, &, si ita loqui fas est, concinnatæ, non eum in finem, ut certæ disputantium parti velim accedere, aliosque provocare

vocare, aut ſerram contentionis cum quoquam reciprocare, ſed ut eas coram facie Eccleſiæ producam; ſicut ipſius judicio easdem, ceu par eſt, venerabundus expono atque ſubmitto.

Quicunque igitur domeſticas hujuscemodi eccleſias tenuerunt aut frequentârunt, vel tenere aut frequentare volunt, inſtitutum ſuum ad normam ſuperius recenſitarum conditionum cautelarumve examinent quam diligentiſſime. Videant, an conſenſum habeant Conſiſtorii aut Miniſterii Eccleſiæ ſive tacitum ſive expreſſum, & an inſtitutum ſuum conveniat cum verbo Dei, honeſtate, ſalutaribus S. Rom. Imperii ſtatutis, legibusque provincialibus. Caveant, ne opinionem de eo foveant abſolutæ neceſſitatis, cultus, meriti, ac ſupererogationis, quum tales exercitationes revera ſint externa duntaxat adminicula ad cultum divinum, ſtudium pietatis, & ſalutem animarum promovendam directa, atque ὁρμητήρια, ſegnitiem veteris hominis excutientia, impedimentumque pietatis quodammodo removentia; ne faſtidiant, contemnant, negligant, ac plane deſerant cœtus publicos, & cum ſtultis Euſtathianis συγκλείωσι τὴν εὐσέβειαν ἐν τοῖς οἴκοις, *domibus includant pietatem*; ne ſibi perſuadeant, ſe ita in majore apud Deum pretio eſſe, citiusque ad ſalutem perventuros, nedum, ut fiduciam ſuam ponant in iſtis exercitiis; ne ſchiſma faciant, aliosque, qui ſuæ ſocietatis non ſunt membra, nihili pendant, deſpiciant, contemnant & rejiciant; ne per opera charitatis, ad quæ vi ſodalitii ſui obligantur, recedant a charitate, quam omnibus hominibus, maxime autem fidei & religionis ſociis præſtare tenentur; ne ſe ſubducant priſtino ſtatui & vocationi, aut poteſtati & jurisdictioni ordinarii Magiſtratus & Presbyterii; ne introducant

cant erroneas aut falsas doctrinas, aut ullum sibi interdictum vel suspectum conventiculum agant, ullamve conspirationem aut conjurationem moliantur. Hoc autem cogitent, hoc curent, hoc agant, ut viam & institutum suum dirigant ad exercitium pietatis & charitatis, in specie ad incrementum θεογνωσίας, ad excitandam in fide constantiam, ad quotidianam & seriam precationem, ad psalmodiam & eucharistiam pro tot tantisque Dei beneficiis, ad sedulam vocationis curam, ad honestam familiæ educationem, aliorumque ædificationem, ad quotidianam mortis meditationem, ad fugam πολυπραγμοσύνης, ebrietatis, impudicitiæ, aliorumque hujus farinæ vitiorum, atque ut in omnibus, adeoque etiam hoc in negotio, celebretur & glorificetur verus & summus DEUS, cui sit laus & honor in secula seculorum,

Amen.

PRO-



PROGRAMMA INVITATORIUM
ad lectiones ſolennes
JOH. FABRICII
S. Theol. Candidati
In Jenenſi auditorio habendas.

FRIDEM. BECHMANNUS
S. THEOLOGIÆ DOCTOR, EIUSQUE
PROF. PUBL. h. t. DECANUS
L. S. P. D.

ETſi Deus opt. max. quæ infinita ejus miſericordia eſt, mortalium generi oracula ſua credidit, ut regula eſſent veritatis, & *in apertum poſitum de Deo teſtimonium*, ut loquitur Irenæus, *lib. 2. adverſ. hæreſes, cap. 47. & ut deliciarum cœleſtium copia ſpiritualis in illis exuberaret, ac haberet perfectus,*

Yy *quod*

quod comederet, parvulus, quod sugeret, quæ fere verba sunt Fulgentii, Ruspensis Episcopi, *sermon. de Confess.* tamen eo, fraude diaboli, res perducta est, ut, quæ animæ nutrimenta, quæ ejus contra peccatorum morsus medicamina, contra satanæ tentationes solamina esse debebant, non raro tanquam venena rejecta, & procul esse jussa sint. Fidem hisce faciunt tristia in veteri Ecclesia hæreticorum exempla. Quis enim ignorat impios Cerinthianorum conatus, quando evangelium Matthæi non solum mutilârunt, ac reliqua Evangelistarum scripta θεόπνευστα ausu temerario damnârunt, sed & electum illud Jesu Christi organon, Paulum, una cum epistolis, tanquam apostatam execrati sunt? teste Epiphanio *hæres. XVIII.* Quem latent portentosa somnia Cerdonianorum, qui legem pariter ac Prophetas; Marcionitarum, qui universum vetus testamentum; Severianorum, qui non solum vetus testamentum, teste August. *hæres. XXIV.* sed & ex novo Paulinas epistolas cum Actis apostolicis, teste Theodor. *l. 1. de Fabul. hæret.* repudiârunt, ex reliquis vero libris ea tantum amplexi sunt, quæ pro libidine sua depravare potuerunt? si Epiphanio *hæres. XLV.* fides habenda est.

Quis

Quis non horreat deliria Manichæorum, qui Prophetas; Elcesæorum, qui Prophetas cum Apostolis; Nepotianorum, qui Prophetas, Evangelia & Apostolicas epistolas damnârunt? Quis non impietatem Patritianorum abominetur, qui antiqui fœderis libros partim rejecerunt, partim pro arbitrio mutilârunt? Cui nauseam non moveat Priscillianistarum de Prophetis judicium, quod homines fuerint fanatici, atque voluntatis divinæ ignari? Alia hæreticorum monstra digna non sunt, quorum ulla h. l. mentio fiat. Etsi autem alii mitiores erga libros sacros fuerunt, aliquos tamen e canone SS. Scripturæ exclusos, eorumque autoritati multum detractum voluerunt, quos aliæ Ecclesiæ canonicos esse, constanter asseruerunt. Fortunam hanc expertæ sunt epistolæ ad Ebræos, Jacobi, posterior Petri, secunda & tertia Johannis, Judæ, atq; Apocalypsis. De epistola ad Ebr. scribit Hieronymus in cap. VI. & VIII. Esaiæ, *quod Latina consuetudo eam inter canonicas Scripturas* non recipiat. Quo tamen non obstante, Ecclesiæ Græcæ hanc epistolam Scripturis divinitus inspiratis annumerârunt. In quarum partes Latinæ etiam Ecclesiæ tandem transierunt. Epistolam Jacobi a nonnullis

pro ſpuria atque ſuppoſititia habitam eſſe, teſtis eſt Euſebius *lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 23.* ſed idem ſubjicit, eam in plurimis Eccleſiis lectitari. Idem de poſteriori epiſtola Petri, ſecunda & tertia Johannis, nec non de Apocalypſi teſtantur Euſebius, *l. 3. Hiſtor. eccleſ. cap. 3. 25.* Sixt. Senenſis *Bibliothec. Sanct. l. 1. p. 32.* Epiſtola Judæ, non inſectatoris illius, ſed ſectatoris Domini Jeſu Chriſti, ut loquitur Auguſtinus, *tract. 76. in Johan.* qui & Thaddæus, nec non Lebbæus dictus eſt, idem fatum ſenſit, dum multi in dubium vocârunt, an inter Scripturas ſacras recipienda eſſet, teſte Euſebio, *lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 22.* Hieronymo *in Catal. de Juda Apoſt.* & Sixo Senenſi *loc. cit.* Cauſam dubitationis hanc adfert Hieronymus, *quod de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumatur teſtimonium.* Addunt alii, quod ex obſcuro volumine, quod *Adſcenſio Moſis* inſcribitur, hiſtoriam Michaëlis, diſceptantis cum diabolo de corpore Moſis, adducat. Verum iſta non impediunt, quo minus hæc quoque epiſtola inter genuinas & canonicas Scripturas recenſeatur. Hinc Euſebius ſcribit, ita contradictum fuiſſe huic & aliis epiſtolis, ut multis tamen notæ fuerint. Et Hieronymi judicium eſt, *autoritatem*

jam

jam vetuſtate & uſu meruiſſe hanc epiſtolam, & inter ſanctas Scripturas computari. Quare eandem ſub nomine Judæ apoſtoli allegat *comment. in Je. rem. cap* 29. & *in Ezech. c.* 32. Agnoſcunt ejusdem canonicam autoritatem alii ſcriptores Græci pariter, ac Latini antiquiſſimi, Tertull. *lib. de Habit. muliebr. c.* 3. Origenes *Homil.* 7. *in Joſ.* Athanaſius, Auguſtinus, Gregorius Nazianz. Cyrillus Hieroſolymit. Epiphanius, qui *hæreſ. XXVI.* ita ſcribit: *De quibus* (Gnoſticorum impuritatibus) *adeo mihi commotus videtur in Apoſtolo Juda Spiritus S. hoc eſt, in catholica ejus epiſtola*, &c. Quare non ſine cauſa hanc epiſtolam explicandam in lectionibus, quas curſorias vocant, ſibi elegit ſupremorum in Theologia honorum Candidatus digniſſimus,

JOHANNES FABRICIVS,
in Acad. Altorfiana Prof. Publ. celeberrimus.

De cujus vitæ ac ſtudiorum curſu, more recepto, quædam hic enarranda ſunt. Natus is eſt Altorfii Noricorum Anno 1644. d. 11. Febr. patre maxime reverendo & excellentiſſimo JOHANNE FABRICIO, SS. Theol. in Academia Altorfiana Prof. Publico celeberrimo, & Eccleſiæ, quæ ibidem eſt, Miniſtro,

poſtea per 26. annos Paſtore ad D. Mariæ in illuſtri Noriberga; matre SUSANNA, MATTHIÆ SCHÜRERI, numeroſioris in prædicta urbe Senatus, filia natu minima: baptizatus autem poſtero die, patrini officium faciente Joh. Kobio, Philoſ. & J.V. Doctore, ac Inſtitut. Imperial. in memorata Altorfiana Prof. P. Ac de Fabriciorum hac familia memoratu dignum, quod per ſesquiſeculum, & amplius, continua ſerie, inſignes Eccleſiæ Norimbergenſi dederit ac protulerit Doctores: *Avus* enim Candidati noſtri, JOHANNES, fuit 38. annis Antiſtes primarius Eccleſiæ ad D. Sebaldi: *Proavus*, JOH. BAPTISTA, Paſtor Fürthenſis: *Abavus*, JOHANNES, Paſtor Laurentianus, & ſucceſſor Andr. Oſiandri. Adeo divina benignitas ratum habuit ſive vaticinium, ſive votum pientiſſimi Melanchthonis, quod in ejus ad Antiſtitem illum Laurentianum epiſtola prid. Cal. Maji A. 1555. ſcripta, & in II. Tomo Diſputationum B. Dilherri p. 165. excuſa, legitur: *Familiæ tuæ Deus benefaciet.* Præmiſſis pietatis & literarum tyrociniis, in Gymnaſio Ægidiano præceptores habuit FRISCHIUM, SENSHEIMERUM, WIDMANNUM, & HELDIUM, Gymnaſii Rectorem. Ex Gymnaſio in Auditorium publicum promotus, lectio-

lectiones audivit Dilherri, Wülferi, Beerii, & Arnoldi, virorum de Ecclesia pariter ac re literaria bene meritorum; privata informatione usus eorundem Wülferi & Arnoldi, nec non Bormeisteri, & Unglenckii. Anno 1663. mense Majo studiorum causa abiit Helmestadium, & ibi doctores habuit celeberrimos, Saubertum, Frölingium, Rachelium, Voglerum, Conringium, Calixtum, Titium, & Cellarium, a quo & in convictum fuit receptus. An. 1665. universitati illi valedicturus, disputationem Theologico-Philologicam de tribus diversis S. Scripturæ dictis, sub titulo *Trigæ philologematum sacrorum*, elaboravit, & sub præsidio Sauberti (qui eam quoque in Palæstram suam Theologico-philologicam retulit) habuit feliciter. Helmestadio relicto, contulit se Magdeburgum, inde Wittebergam, Lipsiam, Jenam, (in quibus locis insigniorum Doctorum notitiam & affectum sibi comparavit) & tandem Altorffium, ubi Dürrii, S. Theol. Professoris, contubernio, & informatione tam privata, quam publica, frui ipsi licuit. Ibidem etiam studiorũ directores habuit Molitorem, Felvvingerum, Reinhartum, Wagenseilium, Weinmannum, viros maxime famigerabiles,

rabiles: &, antequã inde discederet, disputationem philosophicam *de Auctoritate*, itidem proprio conscriptam Marte, sub præsidio laudati hospitis sui, pro viribus defendit. Quemadmodum autem post paucas ab adventu in illam universitatem hebdomadas, ipsi contigit iter facere in Austriam, & Hungariam inferiorem, ita, absoluto academico curriculo, optimis nobilissimisque stipatus comitibus, anno 1670. iter per Bavariam, Sueviam, Alsatiam, Palatinatum inferiorem, & Rheni tractum, in Belgium instituit, & inde per Ostfrisiam, Comitatum Oldenburgensem, Ducatum Bremensem, Hamburgum, Lubecam, Rostochium, inferiorem ac superiorem Saxoniam, & Franconiam, in Sueviam rediit, atque ita Europæ hortum Italiam intravit, ibique visis Neapolin & Genuam usque celebrioribus urbibus & antiquitatibus, ac Romæ cum aliis, tum anni jubilæi, atque hebdomadis sanctæ solennitatibus, in amœnissimo territorio aliquot transegit annos, elegantioribus literis, & linguis exoticis, Italicæ videlicet, Gallicæ, & Anglicanæ, operam impendens, doctissimorumque indigenarum, maxime vero Octavii Ferrarii, & Antonii Magliabechii, quorum ille post mortem immortalitatem nomi-

nis ſui reliquit, hic autem etiam nunc floret Florentiæ, Principum atq; eruditorũ amore & favore fruens. Neque inde abſtrahi potuiſſet, niſi inopinata ad theologicã in alma Altorfiana profeſſionẽ vocatio, A. 1677. ab Illuſtri Senatu Norimbergenſi profecta, interveniſſet. Et quum ſemper maximo celebrem videndi Galliam deſiderio flagraſſet, anno 1682. menſe Novembri, voti ſui damnatus, obtinuit a Superioribus licentiam, illuc eundi. Maximam autem temporis partem ibi impendit excutiendis bibliothecis cum publicis, tum privatis, perſcrutandis bibliopoliis, frequentandis diſputationibus Sorbonicis, adeundis eruditorum conventibus privatis, quos Gallico idiomate vocant *les Conferences*, ac viſendis multis doctiſſimis viris, quibus Lutetia Pariſiorum abundabat. Cæterum in munere profeſſionis publicæ hoc egit, ut explicaret *Locos Phil. Melanchthonis, Epitomen Examinis ejusdem*, adornatam a Joh. Sauberto, Antiſtite Noribergenſi, *IV. priora ſcripta Librorum Eccleſiæ Noribergenſis Normalium, IV. Evangeliſtas, Controverſias Theologicas*, & *Acta Apoſtolorum.* Privatim autem, DEO incrementum dante, aperuit multa collegia, eaque varii generis, nimirum *didacti-*

 ca,

ca, polemica, didactico-polemica, disputatoria, & homiletica. Vt linguam taceamus Italicam, quam rogatu nobiliorum ingeniorum, sæpe, nec infeliciter docuit. Sceptra Academica bis gessit, & Decanatu jam quinto fungitur. Typis denique excudi curavit *Parentis sui Prælectiones Theologicas*, seu *Systema Theologiæ*, atque ejusdem *Conciones in Jobum, & Alphabeticas*, nec non *Binas conciones, quas ipse in funeribus Collegarum suorum, Sauberti, & Reinharti, habuit*; & præter circulares, XXX. *disputationes publicas* hactens instituit, videlicet XXIII. super Prælectiones Parentis sui, & VII. alias, qnarum vel ipse erat auctor, vel moderator. Sunt autem sequentes: *De Denario S. Petri; de Nonnullis pictorum contra historiam S. erroribus; ad L. II. Cod. Theod. tit. de Fide Catholica; de Prudentia Ecclesiastica; de Religionis ob temporale commodum mutatione; de Moderatione Theologica; de Scylla Theologica*; ut & *Orationem*, qua novo professionis officio prolusit, *de Vtilitate, quam Studiosus Theologiæ ex itinere capere potest Italico.* Quibus nunc accedit Inauguralis Disputatio, qua *centuriam Paradoxorum theologicorum* exhibebit. Sicut autem excellentissimus

Can.

Candidatus haud parum conducere rebus ſuis poſſe putavit, ſi ſtudiorum laudatiſſimorum, & laborum per tot annos ſumma cum laude exantlatorum præmia, ſupremos in Theologia honores, impetraret, ita, poſtquam deſiderium ſuum Collegio noſtro expoſuit, nihil cauſæ habuimus, cur ipſum in numerum Candidatorum non reciperemus. Die craſtini igitur lectiones ſolennes auſpicabitur hora X. matutina, Quibus ut in auditorio majori intereſſe velint magnificus PRORECTOR, ut & reliqui Profeſſores, & quicunque ſacra ſtudia æſtimant, nomine Collegii theologici officioſe oro. P. P. JENÆ, d. 24. Auguſti, Anno cIↃ IↃC XC.

PRÆLOQVIUM
Centuriæ Paradoxorum theologicorum
in Academia Salana ad diſputandum propoſitæ præmiſſum.

QVum Chriſtus hominem aliquem pertinaci paralyſeos morbo laborantem, omnipotente verbo ſuo ſanaret, atq; efficeret, ut is illico non tantum pedibus manibusq; ad lubitum uti, verum etiam juſſui ſuo morem gerere, grabatumq;, cui modo quaſi mortuus affixus erat, aſportare poſſet; populus rei novitate & inſolentia perculſus, atq; in admirationem raptus, dicebat: (a) Εἴδομεν παρά-

(a) Luc. V, 26.

παράδοξα σήμερον, *id est*, Vidimus inopinata (*Tremellius ex Syriaca versione reddit* prodigia, *Vulgatus* mirabilia, *Erasmus* incredibilia) hodie. *Atq; ita, ut Ioh. Olear. ad h. l. observat, omnia divina miracula, cum* παρὰ δόξαν *& præter opinionem hominum fiant,* παράδοξα *appellari possunt:* παράδοξα *enim vocantur, quæ communi hominum opinioni non sunt conformia aut consentanea. Quidni vero hoc nominis etiam ad illas propositiones, quæ a communi hominum opinione abludere videntur, transferri & applicari queat? Nemo itaq; titulo præsentis materiæ, qui promittit* Centuriam Paradoxorum Theologicorum,

offendatur, aut, nondum inspecta materia, sinistre de me judicet, quasi nimirum ea, quæ in se & revera absurda sunt, aut phrases & locutiones in orthodoxis Ecclesiis non receptas proponere ac defendere, vel etiam recoquere satagam; sed potius in memoriam sibi revocet, alia esse, alia videri absurda, neque vel ἔνδοξα veritatem, vel παράδοξα falsitatem absolute in se continere, sed posse quid verisimile esse, ut tamen verum non sit, & posse aliquid hominum opinionibus esse repugnans seu absurdum, ut tamen sit verum. Quod si præsentium thesium hæc vel illa, aut earum hæc vel illa particula, tuo alteriusve in-

tellectui repugnare videtur, ἔκθεσις subjecta talẽ explicationẽ suppeditabit, quæ dubium, si non tollet, tamen minuet: videbis enim, alteram propositionis partem alteri non directe, sed indirecte tantum opponi. Porro & illud observandum, me non auctorem esse istorum Paradoxorum, sed tantum collectorem; atque hunc in finem scriptores, in quorum lectione observare illa licuit, citavi, ac sæpe propriis ipsorum verbis, absq; plagii tamen, opinor, culpa, usus sum. Neque eum in finem adducuntur nonnulla inusitate etiam dicta, ut iis utamur, sed ut sensum eorum penitus cognoscamus, & hoc cognito benigniores simus,

ut par est, verborum interpretes. Facti hæc sunt, non juris. Si quid ergo est, quod palato tuo displicet, non est, quod succenseas, & culpam imputes, aut exprobres mihi. Quanquam si præjudicio vacuus ad lectionem explicationis singulorum Paradoxorum accedes, indignationem stomachumque facile pones, ac fateberis, non latere anguem in herba. Cæterum & ego cum orthodoxis Ecclesiis, omnibusque cordatis & prudentibus Theologis, firmiter statuo doceoque, non tantum pie sentiendum, sed etiam commode, & verbis ab Ecclesia evangelica receptis loquendum esse, sive, ut S. Paulus in 2. ad Tim. I, 13.

loqui-

loquitur, oportere nos ὑποτύπωσιν ἔχειν ὑγιαινόντων λόγων, formam habere sanorum verborum. *Quo spectat beati Hieronymi vox: Quod bene dici potest, tamen propter ambiguitatem dicendum non est. in Comment. ad Hos. II, 16. & Lutheri monitum:* De rebus sacris loquendum est sanis, sacris, sobriis Spiritus S. verbis, in Scriptura traditis. *Quibus concinit Chemnitius in part. I. LL. p. 160. hunc in modum scribens:* Meminerimus de Deo pie sentiendum, & reverenter loquendum esse. Et quando mediocriter declaratæ sunt causæ, de modis loquendi, non amemus absurditates & paradoxa. *Sed puto satis jam ex dictis constare, neq; me amare absurditates & paradoxa, qua-*

lia quidem celeberrimus vir loco illo intelligit, quamvis Paradoxa nonnulla proponam, & sub incudem disputationis revocem. Itaque sine ulteriori præloquio ad rem ipsam accedo, Deumque opt. max. precor supplex, ut in ea sanctissimo Spiritu suo me juvare, & omnia ad sacrosancti nominis sui gloriam, veritatis confirmationem, Ecclesiæ militantis ædificationem, concordiæque ecclesiasticæ, & salutis nostræ æternæ promotionem dirigere velit. Γένοιτο! Γένοιτο!



DISSERTATIO IX. DE PARADOXIS THEOLOGICIS.

Religio, civilis societatis vinculum est, & non est.

RELIGIO, *civilis societatis vinculum est*, quia amota reverentia divini Numinis, homines natura sua ad nocendum aliis proclives, pactis, quæ, mutuæ securitatis causa, in civitatibus inita fuerunt, posthabitis, occasione oblata, opprimere se invicem non verituri essent, quum sublato imperio civili, nihil sit, quod in terris metuere habeant. *Et non est*, quia societates primum non religionis causa fuerunt institutæ. Et porro, si post conditas civitates quis maxime ab aliorum consortio remotus, vitam agat segregem, non tamen ista obligatione solutus est. Notum est etiam præterea, societates non cum ipsa generis humani origine extitisse, sed aucto illo, postea securitatis gratia institutas fuisse. Rechenberg. in Problem. polit. An, cujus regio, ejus sit religio? §. 17. 18. *De Religione.*

Christiani sunt, & non sunt athei.

Ab Ethnicis Christiani olim habebantur & proclamabantur athei. Quibus S. Justinus martyr ingeniose con-

cedit, se cum reliquis Christicolis, omnino *esse atheos*, in quantum abstineant & abhorreant ab impio deastrorum cultu; *negat* autem pernegatque *esse atheos*, respectu veri Dei, quem omnino colendum & venerandum sibi proponant. Καὶ ὁμολογοῦμεν, ait christianus ille Philosophus ac martyr piissimus, in II. pro Christianis Apologia p. 56. τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας· ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν. *Et profitemur quidem, nos talium, qui habentur, deorum esse expertes & atheos: sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni, expertes. Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, atq; ista nos, & aliorum obsequentium exæquatorumq; (ad voluntatem ejus) bonorum angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum, colimus & adoramus.*

* *Muhammedani & Judæi sunt, & non sunt ab idololatria alieni.*

Muhammedani & Judæi hodierni *ab idololatria*, quali gentes, quæ multos sibi fingunt & adorant Deos, sunt obnoxiæ, alieni sunt; *& non sunt alieni ab illa idololatria*, qua verus Deus non colitur, quemadmodum se patefecit; non enim tres, sed unicam divinitatis personam credunt, colunt & venerantur. Huc pertinet, quod dicitur Rom. I, 20, 21. *Ethnicos esse inexcusabiles, propterea, quod cum Deum cognoverint* (naturaliter,) *tamen ut Deum non glorificaverint.* Quemadmodum igitur Ethnicorum, quos heic redarguit Apostolus, ita & Turcarum, Judæorumque cognitio de Deo, imperfecta quidem, attamen vera est, adeoque hactenus a cultu idoli aut idolorum remota, & abhor-

horrens. Nempe, ut docet *Scharfius* in diſp. Metaph. 7. de Verit. & Falſit. *veritas cognitionis diſcernenda eſt a veritate rei*, & ſciendum, quod vera cognitio ſit etiam illa, quæ, licet non omnia, quæ in re ipſa ſunt, apprehendat & cognoſcat, tamen conformis eſt ſuo objecto, quod præciſe cognoſcit. Sciendum quoque, quod confuſa cognitio & imperfecta, etiam ſit vera cognitio rei veræ, e. g. *quia confuſam profitetur Philoſophus* (gentilis) *notitiam Dei naturalem, eo ipſo non debet omnia, quæ Dei ſunt, cognoſcere. Ergo verum Deum cognoſcit, licet non omnia naturaliter proſpiciat, quæ ſunt veri Dei, illius nimirum, quem confuſe cognoſcit.* Adde *Lutheri* Catech. Maj. ubi ſub finem explicationis Symboli Apoſtolici, pag. libb. Normal. Noriberg. 83. non negat, *eos, qui extra chriſtianitatem ſunt, h. e. Ethnicos* (cultiores,) *Turcas, Judæos, & falſos Chriſtianos ſeu hypocritas, unum verum Deum credere & adorare.*

* *Theologia eſt, & non eſt habitus* θεόσδοτος.

De Theologia.

Theologiæ nomine nobis hîc venit illa, quæ eſt viatorum in ſtatu poſt lapſum, eaque Revelata, & quidem per mediatam ἔλλαμψιν, ſeu habitus cognoſcendi Deum & res divinas, easque docendi, confirmandi ac defendendi, talis nimirum, qui objecto conformis eſt, & in homines pro ſtatu hujus vitæ cadit. Hæc Theologia eſt *habitus*, prout aperte pronunciârunt Theologi Wittebergenſes A. 1623. & Lipſienſes A. 1624. in Append. Conſil. Dedek. p. 136. & habitus quidem θεόσδοτος, quando habitus θεόσδοτος contradiſtinguitur habitibus, humano tantum ingenio ac ſtudio inventis; qua ratione Theologia dicitur θεόσδοτος, non quod a Deo immediate nobis conferatur, ſed quia principium cognoſcendi, ex quo addiſcitur, ſacra videlicet Scriptura, a Deo datum, & objectum quoque, quod tradit, vere divinum eſt, & gratioſo Dei concurſu ſeu Spiritus S. illuminatione addiſcitur. Atque hoc ſenſu *Dann-*

bauerus Hodoſoph. p. 11. Theologiam appellat *habitum divinitus datum.* Vide Speneri Allgemeine Gottes-Gelehrtheit p. 185. & ſeqq. *Non eſt* autem habitus θεόσδοτος, quando per habitum θεόσδοτον intelligitur talis habitus, qui a Deo, citra noſtrum ſtudium & laborem, nobis confertur. Joh. Muſæus Introd. in Theol. c.3. §. 44. p. 194. & p. 192.

* *Eadem eſt ſcientia, & non eſt.*

Theologia eſt ſcientia, quoniam natura ſua tendit ad docendum, explicandum & confirmandum res ſibi ſubſtratas, tanquam certum & determinatum objectum, ideoque ex principiis certis concluſiones certas infert, ſeu demonſtrationes conficit: quod ſcientiæ proprium eſt, nec ulli alii habitui æque convenit. Sed eadem *non eſt* ſcientia, nempe ſi ad ſcientiam ſimpliciter & proprie cum Ariſtotele requiras, ut ex principiis evidentibus ac per ſe notis demonſtrationes conficiat. Neque enim negari poteſt, Theologiam revelatam in præcipuis doctrinæ chriſtianæ capitibus, quæ *myſteria* dicuntur, ex ſola revelatione divina, quæ naturaliter inevidens eſt, concluſiones ſuas deducere. Vide iterum Muſæum lib. cit. c. 3. §. 4. & Bajeri Comp. Theol. Poſit. proleg. cap. 1. §. 13.

Theologia noſtra eſt, & non eſt ἔκτυπος.

Theologia noſtra, ſeu notitia de Deo rebusque divinis, quam ſub lumine gratiæ, ſtudio & labore haurimus & addiſcimus, *eſt* ἔκτυπος, reſpectu illius in Deo ideæ, quam expreſſit in verbo revelato, cuique conformem voluit eſſe noſtram Theologiam: *& non eſt* ἔκτυπος, ad illam Theologiam ſeu ſcientiam, quam Deus ultra id, quod revelavit, habet in ſe ipſe de ſe ipſo: quippe ad quam Theologia noſtra non conformatur. Dannh. Hodoſoph. p. 12. & Scherz. Syſtem. Theol. p. 2.

Theologiæ genus eſt, & non eſt habitus intellectualis.

Theologiæ illius noſtræ *genus eſt habitus intellectualis*, ſi lo-

si loquimur de genere remotiore: *& non est*, sed potius scientia, saltem latius sic dicta, si sermo est de genere proximo: nam in præcipuis doctrinæ christianæ capitibus vel mysteriis, ex sola revelatione divina, quæ naturaliter inevidens est, (Fabric. Syst. Theol. p. 8.) firma tamen & & certa, immo firmissima ac certissima, conclusiones suas deducit formatque. Cellar. disput. de Natura Theol. §. 5. & Muss. Introd. in Theol. c. 3. p. 117.

Theologiæ habitus perit, & non perit.

Sermo est de Theologia univoce & proprie dicta, qua videlicet declaramus, confirmamus & defendimus ea, quæ nostræ salutis causa revelata sunt, nitentes veritate prima revelante, ut revelante, (i. e. veracitate Dei, qua nec fallere potest nec falli in iis, quæ revelat) tanquam ratione assentiendi ultima. Hujus *Theologiæ habitus* ea parte, qua concernit habitudinem quandam intellectus ad facile & firmiter assentiendum veritati primæ revelanti, ejusque revelationi propter se immediate, *perit*, per peccata mortalia, quoniam habitudo illa in substantia supernaturalis est, dependens a Spiritu sancto, qui & ipse per peccata, contra conscientiam admissa, excutitur & expellitur. Atque hic Theologiæ habitus etiam redit, si talis peccator agit pœnitentiam. *Non* autem *perit*, quatenus Theologiæ habitus denotat species impressas, inter se bene rebusque convenienter dispositas & coordinatas: hæc enim specierum impressio & apta dispositio intellectui humano est naturalis, nec per peccata mortalia vel physice, vel demeritorie expelli potest: non physice, quia iis non opponitur; nec demeritorie, quia species illæ, ab objectis intellectui hominis impressæ, naturales sunt, modoque naturali acquiruntur, dum homo Scripturam legit & meditatur, vel voci docentis aurem præbet & auscultat. Unde aliquis, post patrata scelera

ſcelera, non minus promtus & expeditus eſſe poteſt ad explicandas Scripturas, & concluſiones ex iis nectendas, quam fuerat antea in ſtatu regenerationis & gratiæ. J. Muſ. ibid. p. 196. Vid. etiam, quid G. M. König ex Matth. Paris referat de Sim. Thurnaio in Biblioth. V. & N. p. 806.

Nemo poteſt Theologus fieri, niſi fiat ſine Ariſtotele.

Quid frontem corrugas, & ſtomacharis? Lutheri in conc. ſuper epiſt. II. Adv. & ſuper evang. feſti 3. Regum, hoc eſt effatum, idque veriſſimum, quo Ariſtoteles, & ſana ejus aliorumque Philoſophorum dogmata non prohibentur theologicum ſtudium aggreſſuris, ſed hic duntaxat ejus ſenſus eſt: Ex principiis philoſophicis, juridicis, politicis, aut medicis, de rebus theologicis non eſſe judicandum, quia, ut ipſe tradit Ariſtoteles, ὐ δεῖ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, & juxta S. Pauli 1. Cor. II. 14. doctrinam, πνευματικὰ πνευματικῶς ἀνακρίνεσθαι oportet. *Nemo* igitur *poteſt Theologus fieri*, & officio ſuo recte fungi, *niſi* οἰκείοις Theologiæ principiis utatur, & *Ariſtotelem* rationemque adverſantem tantiſper quieſcere & *tacere jubeat*. Alii hoc ita efferunt: Athenæ nihil commune habent cum Hieroſolymis. Diſpp. Giſſenſ. Tom. V. p. 14. & Wigand. lib. de Communicat. idiom. p. 194. 200. 208.

De Scriptura S.

Ἡ θεοπνευστία *eſt, & non eſt forma Scripturæ.*

Ἡ θεοπνευστία ſeu divina inſpiratio vel ſumitur præciſe, pro actione inſpirandi, vel terminative, prout videlicet terminatur in intellectu hominum ſanctorum ad ipſos rerum & verborum conceptus, qui divinitus fuere inſpirati literiſque mandati. Jam *divina inſpiratio* ſeu θεοπνευστία *eſt forma Scripturæ ſacræ*, poſteriore: *& non eſt*, priore ſenſu. Sic enim ad cauſam efficientem pertinet. Joh. Gerh. in Exeg. L. 1. §. 305. Baj. Comp. 83.

Liber

Liber Judith, Sapientiæ, Tobiæ, Ecclesiasticus, Baruci, & duo Maccabæorum sunt, & non sunt canonici.

Prædicti V. T. libri *sunt* ac dici possunt *canonici*, si vocabulum hoc sumas latius, pro illis nempe, qui non sunt impii, utiliterque in Ecclesia leguntur, & ad populi ædificationem: *& non sunt canonici*, voce hac stricte accepta, ad denotandum videlicet libros ex immediata Dei inspiratione Hebraice scriptos. Augustin. l. 18. de C. D. c. 36.

Epistola ad Hebræos, Jacobi, Judæ, posterior Petri, secunda & tertia Johannis, & liber Apocalypseos sunt, & non sunt scripta canonica.

Scripta canonica N. T. dispesci solent in πρωτοκανονικὰ seu primi ordinis, & sic dicuntur illa, de quibus nunquam fuit dubitatum, quæque ab universa Ecclesia pro canonicis fuere habita ac celebrata; & δευτεροκανονικὰ, seu secundi ordinis, quibus aliquando in Ecclesia fuit a nonnullis contradictum. Sic ergo *scripta* recensita *sunt canonica*, secundi ordinis: *& non sunt canonica*, primi ordinis. J. Gerh. in Exeg. L. 1. §. 242. & 274.

Versio evangelii secundum Matthæum Græca, est, & non est authentica.

Nititur hæc thesis hypothesi illa, qua dicitur, S. Matthæum evangelium suum Hebraice scripsisse, adeoque codicem ejus Græcum nihil aliud esse, quam versionem illius Hebraici. Dilh. T. 1. Dispp. p. 300. Quam hypothesin etsi jam nostram non facimus, posita tamen illa, thesis nostra sequentem in modum potest explicari. *Versio evangelii secundum Matthæum Græca, est authentica*, quia fidelis

est & certa, atq; ab Ecclesia Apostolico jam ævo recepta & approbata, paremque cum reliquis biblicis & authenticis scriptis auctoritatem & valorem habet: *& non est authentica*, si authenticum dicas id, quod est originale & autographum. Brisson. in Lex. Jurid. p. 27. & Matth. Martin. in Lex. Philol. v. Authent. & Rich. Sim. l. 2. Hist. Crit. V. T. c. 14.

Versio Lutheri Germanica, est, & non est authentica.

SS. Bibliorum *versio Germanica, Lutheri* studio ac labore concinnata, *est authentica*, respectu aliarum versionum Germanicarum, & publici usus, quia B. auctor studuit eam fideliter ex fontibus derivare, &, si quid humani ei accidit, id præter intentionem & culpam ejus accidit: unde & versio ista omnibus aliis Germanicis merito præfertur, atque ab Ecclesiis nostris in tantum recepta est, ut illa ipsa, & non alia, in publicis congressibus prælegatur, & explicetur. At quid dicent Catholico-Romani ad hoc assertum? Nonne vocabunt *ambitiosum & temerarium?* Nullo jure. Nam inter eos eruditissimus Richardus Simon, suo id comprobat calculo, immo ejus fundamentum posuit Lib. II. Hist. Crit. V. T. c. 14. scribens: *Omnis Scripturæ versio ab eruditis, & ab omni fraudis suspicione alienis viris concinnata, per se ipsam, quatenus authentici instrumenti apographum fidissimum est, authentica existit.* Ad eundem modum Serar. in prolegom. c. 19. q. 12. *Satis manifestum est*, ait, *fontem purum rivo, quantumvis puro, cum prærogativa quadam præferendum: nam* authenticam versionem esse, *est, censeri cum originaria lingua convenire.* Eadem vero nostra versio *non est authentica*, ratione fontium & infallibilitatis: iis enim non est æquiparanda, aut pro infallibili habenda. Similter etiam intelligendum vult

auctor

auctor prædictus id, quo Synodus Tridentina Seſſ. IV. p. 8. *Vulgatam Latinam* pronunciavit *authenticam*: hoc enim minime reſpectu fontium, ſed quoad alias verſiones Latinas (quo ipſo tamen aliæ verſiones non ſunt reprobatæ, teſte Palavicino Cardinali in Hiſt. Concil. Trid. l. 6. c. 17.) accipiendum eſſe, cum Azorio, Serario, Driedone, Mariana, & Genebrardo contendit. Adde Scherz. Syſt. Theol. p. 15. & 17. & Wagenſeil. qui id probat ex Flavignii colloquio, Rugerio, Salmerone & Gammachæo, in Confut. carm. Lipm. p. 523. Andradius l. 4. Def. fid. Trid. docet, ex informatione Andr. Vegæ, Cardinalis, qui Concilio Trid. ipſe interfuit, poſtea creatus Papa, ſub nomine Marcelli, *nihil aliud Patres Tridentinos, cum Vulgatam editionem* authenticam *pronunciarent, pronunciare voluiſſe, quam nullo eam defœdatam errore exiſtere, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſit: non autem eam ita in ſingulis approbâſſe, ut non liceat unquam hæſitare aut dubitare, ne forte interpres non recte Scripturas verterit.*

** Myſteria a nobis ſciuntur, & neſciuntur.*

Myſteria alio nomine appellamus *Credenda*, item *Articulos fidei*, & quidem *puros*, hoc eſt, illa, quæ unice ex revelatione divina cognoſcuntur. Talia *ſciuntur a nobis* quam certiſſime ex verbo revelato, ſecundum conditionem notitiæ ſpiritualis, nobis viatoribus competentis. *Non* autem *ſciuntur* evidenter, quia nec ſenſu, nec ratione percipiuntur, ſed utramque tranſcendunt. *Raupp.* in L. de Juſtif. p. 110. & ante ipſum J. *Gerb.* L. eod. §. 68.

Scriptura S. eſt, & non eſt perfecta.

Scriptura S. ſicut omni tempore fuit, etiam illo, quo nondum omnes libri biblici extabant, ita multo magis hodie, quando integrum complexum & codicem habemus o-

mnium librorum V. & N. T. *est* per ſe & in ſe ſufficiens & *perfecta*, quippe quæ continet in ſe omnia dogmata fidei & morum neceſſaria vel explicite & expreſſe, ſeu αὐτολεξεὶ & ſecundum literam, vel implicite, ſeu ita, ut haud difficulter inde erui queant ab eo, qui mediis interpretationis inſtructus ſit, per bonam & pronam conſequentiam. Hinc Irenæus, Lugdunenſis in Gallia Epiſcopus, & Polycarpi diſcipulus, ſub Severo Imp. martyrio affectus, *l. 3.* c. 1. *Num per alios*, inquit, *diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tum præconiaverunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futuram?* Eadem vero etiam *non eſt perfecta* in omnibus hiſtoricis aut ritualibus, item in libris ſacris quidem, non tamen divinis & canonicis, qui olim in & ſub ea comprehendebantur, poſtea autem perierunt, aut quod omnes in theologicis rixas & contentiones decidere poſſit, vel debeat. Hutter. L. C. p. 68. & 70. & Affelm. in Hept. Qq. illuſtr.

Eadem eſt, & non eſt judex controverſiarum in ſpiritualibus.

Vocabulum *Judex* eſt unum ex illis, quæ dicuntur ἀφ᾽ ἑνὸς, *ab uno*, & uni tribuuntur principaliter & primario, aliis autem reſpectu illius, & ſecundario, vel etiam inferiore quadam ratione. In ſuprema enim & principali ſignificatione judex controverſiarum ſacrarum eſt Deus ipſe; in ſecundaria verbum Dei ſcriptum, per quod ille ſententiam deciſivam profert: hinc etiam utile dicitur πρὸς ἔλεγχον, ad redargutionem ſive refutationem, 2. ad Tim. III, 16. in infima fideles, qui donis hermeneuticis præditi, judicium illud, in Scriptura quaſi reconditum, eruere poſſunt, ſive ſint publici Eccleſiæ Doctores, quorum munus

eſt, non modo ſanam proponere doctrinam, ſed & aliorum dogmata dijudicare; ſive quilibet alii Chriſtiani, quippe qui cavere ſibi debent a pſeudoprophetis, Matth. VII, 15. & omnia probare, quod autem bonum eſt, tenere. 1. Theſs. V, 21. nec cuivis ſpiritui credere, ſed probare ſpiritus, num ex Deo ſint, 1. Joh. IV, 1. His ita præmiſſis, *Scriptura ſacra eſt judex controverſiarum in ſpiritualibus*, improprie, analogice, & ſecundario, ſeu quatenus eſt norma, ſecundum quam judicatur: *Et non eſt*, proprie videlicet & primario: talis enim judex, ut diximus, prætoria & abſoluta judicandi poteſtate inſtructus, eſt Spiritus ſanctus, Epiſcopi autē, & Doctores Eccleſiæ (ad quos etiam, ſi veri Epiſcopi munere fungitur, nec illius cancellos transgreditur, pertinet Papa Romanus) aliique fideles, ad hoc idonei, & ad Scripturam, atque ex ea judicantes, judices interpretativi & diaconici, quibus, quoniam judicando non modo errare poſſunt, ſed etiam errant ſæpius, determinatum ac limitatum competit judicium, in quantum illud cum norma verbi divini exacte convenit, nec ab illa deflectit. Ac proinde vox & appellatio *Judex* in infimo illis gradu competit ac tribuitur.

Scriptura S. eſt, & non eſt clara & perſpicua.

Scriptura S. in fundamentalibus, & ſcitu factuque neceſſariis punctis, pio & attento lectori chriſtiano *clara eſt ac perſpicua*, ita ut ſenſum ejus literalem ſatis bene aſſequi poſſit: nam *in iis, quæ aperte in Scripturis poſita ſunt*, ait S. Auguſtinus, *inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi.* lib. 2. de C. D. c. 6. Et *non eſt* ſatis *clara*, ſed potius difficilis, ſublimis, & ſic nobis ſæpe obſcura, ſicut de epiſtolis Paulinis Petrus in 2. ep. c. III, 16. fatetur, eſſe in iis δυσνόητά τινα, ſive quædam explicatu difficiliora. Eccur vero? *Ad domandam* (ut loco citato ſcribit aureolus Au-

relius) *labore superbiam, & intellectum a fastigio removendum, cui facile investigata plerumque vilescunt. Nam magnifice & salutariter Spiritus S. ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret.* G. Calixt. Epit. Theol. p. 24.

Scriptura S. est, & non est data, ut sit canon noster.

Scriptura S. est data, ut sit canon, norma & regula nostra, in rebus & fidei & morum, ita ut illa habeantur pro credendis & agendis, quæ normæ isti congruunt, discrepantia autem omnia rejiciantur. Hinc Paulus ad Gal. VI, 16. pacem & misericordiam precatur omnibus, ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, *quotquot juxta hanc regulam*, velut in ordine militari, *incedent*. Eadem vero *non est canon* noster in omnibus aliis materiis, ut physicis, mathematicis, historicis, politicis: de his enim sæpe obiter, & ad communem sententiam vel apparentiam, non autem καθ' ἀκρίβειαν, loquitur. Quo ipso tamen canoni vel normæ, priori sensu sumtæ, nihil decedit. Vide Gen. III, 1.|& ult. nec non Act. XII, 15. & Raupp. in hæc loca.

Codices sacri, Hebræus V. & Græcus N. T.ti sunt, & non sunt corrupti.

Codices sacri, Hebræus V. & Græcus N. T.ti sunt *corrupti*, intelligendo hoc de particulari quorundam duntaxat codicum depravatione, & de σφάλμασι, quæ typographorum incuria, correctorumque negligentia, in hujus vel illius editionis codices irrepserunt. Sumitur autem, quod non prætereundum, hunc in modum, terminus *Corruptum* vel *Corruptio*, abusive, cum sic fere omnes alii libri dicendi essent corrupti. *Et non sunt corrupti*, universaliter, secundum omnia exemplaria, nec in fundamentalibus; ita

ut exactissima norma & certa regula esse possint, ad quam omnes omnino versiones, ut rivuli ad fontem, exigi, examinari, &, sicubi opus, corrigi possint ac debeant. *Non enim tanti momenti sunt* (ait Bellarm. l. 2. de V. D. c. 2.) *ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ* (fontis Hebræi) *integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant.* Et cap. VII. de Scriptis N. T. hæc ejusdem sunt verba: *Etsi multa depravare conati sunt hæretici, tamen nunquã defecerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint, libros sacros corrumpi.* Immo jure meritoque dixerim cum S. Augustino ex l. 2. contra Faustum Manich. c. 2. *Quæ autoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittatur, Scripturas* (quoad credenda & facienda) *esse corruptas?* Glass. Philol. S. lib. I. tract. 1. & 2.

Non minus N. quam V. T.ti Scriptura est, & non est DEI mandato literis tradita.

Distinguendum est inter mandatum Dei externum, quo Deus diserte & expresse sensibilique voce aliquid præscribit & præcipit, & mandatum internum, quod æquipollet impulsui & instinctui. Illud est mandatum proprie dictum, hoc analogicum, consistens in interna inspiratione, tractu, motu ac pulsu, sanctis Dei hominibus divinitus incusso: immo & variæ hominum & circumstantiarum occasiones incitare ad scribendum potuerunt. Posita hac distinctione dicimus, quod *non minus N. quam V. T ti Scriptura sit Dei mandato*, saltim interno, *literis tradita*; impulsus autem divinus, sive mandatum internum, & mandatum

datum externum, in sanctis Dei hominibus æquiparantur: quid enim aliud est divinus ille impulsus, quam mandatum internum & occultum, ejusdem omnino auctoritatis & ponderis cum mandato externo & manifesto? *Et quod non omnis sit Dei mandato* externo *literis tradita*, non omnis, inquam: interim Johannem Apostolum, expressum & speciale scribendi mandatum (scripsit autem in libro Apocal. non modo arcanas visiones, sed etiam ea, quæ pertinent ad doctrinam evangelii & præcepta morum) divinitus accepisse, patet ex Apoc. I, 11. 19. c. II, 1. 8. 12. 18. c. III, 1. 7. 14. c. XIV, 13. c. XIX, 9. c. XXI, 5. Gerh. in Exeg. L. de Script. S. §. 24. & seqq. & Bellarm. T. 1. Controv. l. 4. c. 3, p. 67.

Auctoritas Scripturæ dependet, & non dependet ab Ecclesia.

Scripturæ auctoritas nihil aliud est, quam dignitas ejus manifesta, movens intellectum hominum ad assensum dictis ejus, & voluntatem ad obsequium, ejus mandatis præbendum. Jam hæc Scripturæ auctoritas spectatur vel in se & absolute, vel ut nobis innotescit, revelatur, & cognoscitur. Et *dependet ab Ecclesia*, tanquam explicante, respectu nostri, dum Ecclesia Scripturam, quæ divinæ autoritatis est, nobis proponit, & explicat, (quomodo etiam auctoritas decreti Principis notificata & explicata ab interprete, dici potest ab eodem dependere, eo quod illam ex ignota in notam linguam traducit, & sensum ejus aliis repræsentat,) ac præterea de certo idiomate librorum Scripturæ, quod tanquam θεόπνευστον agnoscendum, Ecclesia primitiva, hoc est, illa, quæ tempore Prophetarum & Apostolorum floruit, & libros ab ipsis scriptos accepit, testatur, & hoc testimonio Ecclesia posteriorum temporum nititur. *Non* autem *dependet ab Ecclesia*, sed a Deo, in se & abso-

absolute si consideratur, cum dignitas & præstantia effectus a dignitate causæ unice ac plane originem trahat. Musæus in Introd. p. 554.

Puncta textui Hebræo sunt, & non sunt coæva.

Vocabulum *puncta* heic quidem non late accipimus pro vocalibus & accentibus, sed stricte, pro vocalibus solis, dicimusque adeo, illa *textui Hebræo coæva esse*, per se videlicet, & quod substantiam vocalium spectat, quibus ut nulla alia, ita nec Hebræa lingua prorsus atque omnino carere potest: sunt enim vocales vocum & dictionum anima, quæ eas vivificat, ita ut absque vocalibus voces efferri atque pronunciari nequeant. Et hinc etiam מלכים *Reges* dicuntur, quoniam literis, ut Rex subditis, dominantur, & regimen erga illas suum exercent. Nihilo tamen minus eadem etiam *non coæva* dixeris, quod attinet expressionem, aut figuræ identitatem, qua non semper in textu aperte expressa fuerunt, aut eandem externam notam & characterem perpetuo habuerunt ac retinuerunt. Hinc & ipse Buxtorfius, qui tamen contra Lud. Cappellum punctorum antiquitatem defendere nisus est, fluctuat, hæretque dubius, in Tiberiad. c. XI. his utens verbis: *An autem ipsimet viri Synagogæ magnæ* (Haggæus, Zacharias, Malachias, Zerubabel, Mardochæus, Esra & alii) *vocalium & accentuum notas primo invenerint, aut ab aliis inventas, sed in usu neglectas, restauraverint & perfecerint, ac Masoram de iis quoque conscribi curârint, facile nec dici, nec probari facile potest.* Adde Capnionem, Münster. Drus. Dreier. in Controvers. cum Pontif. p. 142. & Luther. in Comment. in Gen. c. XXXVI. p. 532. & in c. XLVII. p. 687.

Res DEI sunt obscuræ, res Scripturæ sunt perspicuæ.

Verba theseos hujus sunt ex Lutheri libro de Servo Arbitr. quæ *Gerhard.* in Dispp. Isag. II. c. 13. th. 3. sic explicat: *Mysteria fidei*, in se & absolute considerata, *sunt obscura*, quia supra humanæ mentis captum sunt posita; & sic neque sensibus, neque evidentibus rationibus clare & distincte cognosci a nobis possunt, sed solum creduntur, ob DEI revelantis auctoritatem: sed *prout in Scripturis* proponuntur, *sunt* satis *perspicua*, h. e. ipsa Scripturæ verba, quæ illa mysteria proponunt, satis clara & perspicua sunt. *Dilherr.* Tom. II. Dispp. Acad. p. 459. & *Dieteric.* Inst. Catech. p. 35.

Vnius dicti Scripturæ unicus, & non unicus est sensus.

Vnius dicti, uno in loco propositi, *unicus*, ex parte dicentis aut scribentis, ejusque prima intentione, *est sensus*, videlicet literalis. Literalis autem sensus Scripturæ S. is dicitur, quem proxime intendit Spiritus S. & qui ex verbis recte, juxta dicentis scopum, antecedentium & consequentium cohærentiam, Scripturæque analogiam eruitur, sive verba ista sint propria & a tropis libera, sive sint tropis affecta. Ipse Becanns part. 2. Theol. Schol. tom. 2. tract. 1. c. 3. qv. 5. fatetur. 1. *Hactenus ab Ecclesia* (i. e. Concilio a Papa confirmato) *non esse definitum, plures esse sensus literales sub eadem litera* 2. *Multa esse Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres varie interpretentur secundum literam, sed inde non sequi, plures esse sensus literales in illis testimoniis.* 3. *Inter antiquos Patres vix alium esse, præter Augustinum*, (lib. 12. Confess. c. 30. & 31.) *qui diserte affirmet, plures sensus literales sub iisdem vocibus contineri. Agnoscere*

quidem

quidem plures sensus, sed unum literalem, alterum mysticum. Et *non est unicus*, respectu quorundam dictorum, in quibus præter literalem & mysticus sensus intenditur, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed per res verbis significatas, in quantum illæ aliarum rerum typi, umbræ, figuræ, & signa vel symbola sunt. Vt Jonæ II. 1. dicitur: *Fuit Jonas in visceribus illius magni piscis tribus diebus & tribus noctibus.* Horum verborum sensus literalis est, *Jonam* Prophetam, qui suam descripsit historiam, in *pisce* a Deo creato, *per triduum fuisse.* Sensus autem illorum mysticus est: Christum tribus diebus & tribus noctibus futurum esse in sepulchro tempore mortis suæ, sicut ipse Christus ostendit Matth. XII. 39. 40. Glass. Phil. S. l. 2. part. 1. tract. 1. pag. 249. 265.

In Græco novi testamenti codice occurrunt, & non occurrunt barbarismi & solœcismi.

Joach. Hildebrandus in Corollariis Dissertationis de Veterum Concionibus: *In novo testamento*, ait, *barbarismos & solœcismos, prout quidem ab Augustino & Suida definiuntur, occurrere, haud inviti largimur.* Est autem barbarismus S. Augustino l. 2. de Doctr. Christ. c. 13. verbum non eis literis, vel sono enunciatum, quo ab eis, qui Latine ante nos locuti sunt, enunciari solet. Vt si quis verbum *ignoscere* pronunciat producta tertia syllaba. Suidæ est vitium dictionis contra celebrium Græcorum aut Latinorum consuetudinem. Solœcismus Augustino dicitur, cum verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptaverant, qui priores nobis non sine autoritate aliqua locuti sunt. Vt si aliquis dicat *inter hominibus*, pro, inter homines. Suidæ, sermo incongrue positus, ut illud: *Ego ambulans murus cecidit*, pro, me ambulante. Jam vero negari nequit

quit, *in Græco novi testamenti codice occurrere*, respectu linguæ Græcæ puræ, quæ in libris auctorum classicorum reperitur, vitia sive deflexiones quasdam dictionis, item incongruas quasdam constructiones, quibus, qui eleganter Græce loquebantur vel scribebant, non fuissent usi. Certe ostensum est a doctissimis viris, Glassio in Philol. S. lib. 1. tract. 4. p. 233. Dannhauero in Hodosoph. p. 40. & Hermeneut. S. p. 161. Dilherro in Tomo I. Dispp. p. 299. Calovio in Crit. S. p. 453. Joh. Musæo in Disquisit. de stil. N. T. Scherzero in Syst. Theol. L. 1. de Script. §. 14. & Bœclero in Dissert. de Lingua N. T. origin. totum idioma N. T. tale esse, quod Hebrææ V. T. linguæ, quam Græcæ communi, potius conveniat, seu, ut alii loquuntur, dari in eo hebraismos, adeoque & *barbarismos & solœcismos*: sic enim vocaret Demosthenes, aut alius bonæ notæ Græcorum, illos loquendi & construendi modos, quos scriptores novi testamenti, more Hebræorum, quales & ipsi erant, usurpare solent. *Neque hac assertione* (ut cum Hildebrando l. c. pergamus) *in Spiritum sanctum blasphemiam committi censemus, dicimusque cum Lactantio: Num Deus artifex mentis, vocis & linguæ, diserte loqui non potest?* Enimvero quid est ignorantia elenchi, immo quid est criminatio, si hoc non est? Perpendatur enim, quo respectu tribuantur barbarismi & solœcismi libris N. T. a viris nec indoctis nec impiis, quidque jam statim in altera Paradoxi parte dicatur, & cessabit tam virulenta atque intolerabilis imputatio. Nam & hoc dicimus, bonique illi viri ante nos dixerunt, *non ibi occurrere barbarismos & solœcismos*, respectu ipsius idiomatis Græci, quod in libris N. T. reperitur, quippe quod in se purum est, immo purissimum; neque etiam ratione scriptorum vel auctorum, utpote qui more consueto, adeoque non male scripserunt; minime vero omnium, intuitu Spi-

ritus S. qui in ſuggerendis verborum conceptibus accommodavit ſe ad indolem & conditionem ſcribentium. Idem plane docet Scherzerus, Dannhauerum ſecutus, l. c. inquiens: *Poteſt aliquid eſſe barbarum in græcitate pura, quod tamen non eſt barbarum in græcitate* ἑλληνιστικῇ, *i. e. mixta, ſive Ebræo Græca, vel græcaturiente ſtilo.* Et ante eos Jac. Fabricius, Hebrææ linguæ Prof. Wittebergæ, in præfat. Gymnaſii Syriaci Chriſtoph. Crineſii: *Ea eſt indoles rerum ſacrarum, ut proprietas primæ linguæ non ſolum ſe diffundat per veterem Scripturam, ſed etiam ſeſe inſinuet in græciſmum novi teſtamenti. Unde multis in locis N. T. græciſmus, pure Græcis eſt barbariſmus, propter phraſin Græcis ignotam. Eccleſiæ autem non eſt barbariſmus: agnoſcit enim ea ſermonem primævum, eumq; in Scripturas N. T. manare deprehendit.* Et diu ante Fabricium B. Hieronymus, qui in cap. III. epiſt. ad Epheſ. Tom. IX. p. 216. ſcribit: *Nos quotienscunq; ſolœciſmos aut tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malivoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus: quod Hebræus ex Hebræis, absq; rhetorici nitore ſermonis, & verborum compoſitione, & eloquii venuſtate, nunquam ad fidem Chriſti totum mundum transducere voluiſſet, niſi evangelizâſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute DEI.* Nimirum cum ſtylo novi teſtamenti Græco ſe res habet, ut cum aliis diverſarum provinciarum idiomatibus. Sicut enim Lombardicum hodiernæ Italiæ, Sabaudicum, & Neapolitanum, & Siculum Romanis; Provinciale & Languedocicum Pariſinis; Bavaricum, Suevicum, Franconicum Miſnenſibus videntur & dicuntur barbara, cum tamen in ſe non ſint barbara, ſed materna, & quodvis eorum non modo ad exprimenda animi ſenſa aptum, ſed etiam ſatis ornatum; ita idioma novi teſtamenti græcum, aut, ſi mavis, græcaturiens, etiamſi puritati græcæ adſuetis βαρβαρίζειν καὶ

σολοικίζειν non immerito videatur dicaturque, in se tamen recte se habet: tantum abest, ut sic solœcismis sit maculatum, vel barbarismis.

Principium probandorum dogmatum est, & non est unum.

Sermo est de *principio* cognoscendi, & *dogmatibus* theologicis. Horum principium, idque principale & primarium, non nisi *unum est*, videlicet Scriptura sacra canonica, utpote e qua sola, omnia fidei nostræ dogmata petuntur, probantur ac deducuntur, atque ad eam omnis disputatio theologica, quæ sub lumine fit revelationis ac fidei, tanquam ad fontem & centrum suum reducitur, in eaq; tandem, quum ulterius progredi altiusq; ascendere nequeat, merito subsistit. *Neq;* vero *unum*, sed duplex est illorum principium, Scriptura & Consensus patrum primitivæ ecclesiæ, qui per V. a nato Christo proxima secula floruerunt. De quo videatur Gerh. L. de Eccles. §.204. Nam præterquam quod res aliqua e Scripturis est probata, sæpe numero ejus probatio vel confirmatio etiam ex Ecclesiæ Patribus arcessitur, e.g. quando nobis lis movetur de pœdobaptismo, solemus provocare ad Ecclesiam christianam veterem, atque sic fere argumentari: Q. Patres primitivæ ecclesiæ, unanimi consensu docuerunt, illud utique verum est. Infantes quoque baptizandos esse, Patres primitivæ ecclesiæ, unanimi consensu docuerunt. E. Vbi sane major propositio est principium eductæ inde conclusionis, sub quo & facta subsumtio. Notandum vero, quando consensus Patrum, principium dicitur, id non capiendum esse de principio principali & primario, quod Scripturam S. esse diximus, ac perpetuo confitemur; sed de principio minus principali & secundario, vel subordinato, quod a Menzero in Exeg. epilogi A. C. p. 862. *testimonium secundarium*

um, ab Hunnio & Gerhardo *argumentum*, a Chemnitio *fundamentum*, ab Höpfnero in Saxon. Evang. p. 185. *instrumentum* & *regula* dicitur; adeoque non univoce in distinctione illa vocabulum principii sumi, sed analogice: atque hanc differentiam porro inter duo illa intercedere, quod principale principium fidem divinam pariat, secundarium vero fidem tantum humanam. G. Calixt. in part. 1. Refutat. Buscheri p. 5. & seqq. F. V. Calixtus in Exercit. de Universalis primævæ Eccl. Auctorit. §. 26. & in Resp. ad Thes. Antisyncretist. p. 25. Carpzov. in Isag. in LL. Symbol. p. 517.

** Libri symbolici Ecclesiarum Protestantium habent rationem normæ, & non habent.*

Libri symbolici nobis cum B. *Carpzovio* Isag. pag. 2. sunt confessiones publicæ, Ecclesiæ nomine ab orthodoxis viris scriptæ ac consignatæ, de certis articulis fidei, gravissimo consilio, non ut principium fidei generandæ sint, sed ut ex Scriptura explicent credenda, ab infidelium ignorantia & hæretica pravitate viva Ecclesiæ membra separent, & in una professione contineant illos, qui sub uno capite, sincero pectore militant, & ad unam etiam professionem sese obligant. Tales libri symbolici, e. g. Formula Concordiæ in plurimis Protestantium Ecclesiis, Corpus Julium apud Brunsvico-Lunæburgenses, Corpus Prutenicum in Borussia, & Dodecas Scriptorum Theologicorum apud Norimbergenses recepta, *habent rationem normæ*, ac dicuntur Normales (quemadmodum in præfat. libri Concordiæ dicitur, in eo esse sanioris doctrinæ normam) *non* absolute & simpliciter, quasi non detur norma superior & certior, videl. Scriptura sacra, neque ad hanc liceat provocare: contrarium enim disertis verbis docetur in illis ipsis libris, & patescit clarissime ex sapientissimi Magi-

Magiſtratus Norimbergenſis Decreto, menſe Martio anni 1573. promulgato; ſed certo reſpectu, & in ordine ad dogmata & formulas loquendi, quia Miniſtri ejus Eccleſiæ, ubi tales libri normales ſunt propoſiti & recepti, ad illos potiſſimum, & præ aliis humana opera conſignatis ſcriptis, conformari debent. Neque etiam ſymbolici iſti libri, quando ad regulam Scripturæ diriguntur & examinantur, normæ rationem amittunt: nam ſæpe in diſciplinis uſu venit, ut aliquid reſpectu unius ſit norma, & cauſa cognoſcendi & aſſentiendi, reſpectu vero alterius & ſuperioris aut dignioris principii, normatum. Bechm. Annotat. uber. in Comp. Theol. B. Hutteri p. 54. Carpzov. Iſag. p. 5. & Joh. Conr. Dürr. in Iſag. in libb. Norm. Eccleſ. Norimb. p. 29. ac Form. Conc. ſub initium Declar. de Forma dijud. Controverſ. p. 632.

** Symbolum Apoſtolicum, non eſt Apoſtolorum.*

Communis quidem & vetus eſt ſententia, Symbolum, quod appellatur Apoſtolicum, ſic dici ab Apoſtolis, quos habeat auctores: ſed dudum obſervârunt viri docti non tantum ex Reformatis, ut Perkinſius, Perkerus, Chamier, G. J. Voſſius, Pithæus, Uſſerius, Rivetus, Voetius, verum etiam ex Noſtratibus, Brentius, Forſterus, Lyſerus, Meiſnerus, Waltherus, Dannhauerus, Calixtus, & Calovius (qui omnes ita allegantur a Carpzovio, Iſag. p. 40. & 48. ut & ipſe illis adſtipuletur) non ipſos Apoſtolos illud confeciſſe, quia (1) Hiſtoria Apoſtolica & Epiſtolæ Apoſtolicæ nihil de eo memorant. (2) Hiſtoria Eccleſiaſtica plane tacet. (3) Non ex orientali ſolum Eccleſia, ſed etiam ex occidentali ante 400. annum non poteſt oſtendi forma ſymboli hujus, quæ tam quoad verba, quam quoad ſeriem & ordinem articulorum concordaret. Et (4) ruinoſo fundamento nituntur, aliter qui ſentiunt. Interim *Apoſtolicum* dicitur,

dicitur, non tantum ratione materiæ & objecti, quia doctrinam apostolicam ὡς ἐν ἐπιτομῇ continet, & præ aliis symbolis, etiam verbis gaudet Apostolorum, sed & quia ab apostolicis viris si non ex oralibus Apostolorum concionibus, certe ex eorum scriptis confectum fuit, nihilque aliud a viris illis apostolicis præstitum, quam quod verba & doctrinam Apostolorum in ordinem symboli redigerent, atq; ad sequentes ætates propagarent. Et hoc symbolum a B. *Dieterico* rectissime *summa evangelii* in Instit. Catech. p. 60. dicitur, atque sic definitur: *Symbolum Apostolicum est brevis & summaria omnium christianæ fidei & religionis articulorum formula, qua Ecclesia ejusque membra se ab aliis sectis discernunt.* pag. 259. Legi quoque de præsente materia meretur Rechenbergii Appendix Tripart. ad Libb. Eccl. Luth. Symbol. c. 8. p. 40. & Bechm. Annot. Uber. in Compend. theol. Hutteri p. 50.

Nec Athanasianum, Athanasii.

Negare quidem nec volumus, nec debemus, multos Nostratium symbolum Athanasianum ipsi S. Athanasio, Ecclesiæ Alexandrinæ Ægypti Diacono, & post Alexandri obitum Episcopo, qui a Gregorio Nazianzeno in orat. fun. in laudem Athanasii hab. *orbis oculus, antistes Sacerdotum, Confessorum dux & magister, vox sublimis, fidei columen, & secunda Christi lucerna appellatur*, tanquam auctori tribuere; sed existimandum est, illud non fieri, nisi ex sententia vulgari: Alias enim incertum est, quando, & ubi symbolum hoc fuerit concinnatum; incertius, an Athanasii tempore & seculis proximis fuerit cognitum; incertissimum denique, an ipse id adornaverit Athanasius. At certum hoc est, symbolum hoc esse antiquum, & fidem ab Athanasio professam fideliter complecti. Ut adeo propterea, quod summam Athanasianæ fidei tenet, atque ex ejus libris

ſedulo collectum fuit, *Athanaſianum* jure meritoque vocari poſſit. Vide Voſſ. Diſſert. II. de Symb. Carpz. Iſag. p. 72. & ſeq. Bechm. Annot. Uber. p. 51. Sand. Nucl. Hiſt. Eccl. 256. & Tenzelii Judicia Erudit. de Symb. Ath. collecta.

Johannes Baptiſta fuit propheta, & non fuit propheta, & fuit major, quam propheta.

Fuit Propheta, quoniam habuit a Deo revelationes propheticas, & per Spiritum Dei novit antehac ſibi ignotum Meſſiam; qui Dei Spiritus per ipſum etiam, ut per alios Prophetas, loquebatur. *Non fuit Propheta*, quia non prædicabat, ut reliqui Prophetæ, Chriſtum venturum, ſed præſentem digitis monſtrabat. *Et fuit major, quam Propheta*, ob eandem cauſam, & quoniam non miſſus erat, ut alii Prophetæ, ad homines, ſed ad Chriſtum ipſum, ut ejus eſſet angelus, & proxime eum præcederet. Præceſſit autem dimidio nativitatis, & officii anno. Fabric. B. Parens meus in MS.

Judæi traditione, quam Scriptura, magis, & non magis uſi ſunt.

Traditio vel ſignificat materiam traditionum, a verbo ſcripto differentium, vel modum tradendi id, quod etiam ſcriptum eſt. Poſteriore ſenſu verum eſt, *Judæos traditione, quam Scriptura, magis uſos eſſe*, ſicut & apud nos frequentiores ſunt conciones, quam prælectiones ſcriptorum biblicorum. Non autem priore. Neque obſtat, quod Deut. XXXII. Iſraëlitæ jubentur narrare filiis ſuis myſteria Domini: hæc enim ſunt illa, quæ etiam ſcripta erant; uti patet ex Deut. XXXI, 23. 24. collato cum c. IV, 2. & interpretatione Apoſtoli, ad Gal. III, 10. Hülſem. c. 3. Proleg. Comment. in Jerem.

S. Hieronymus Jeremiæ stylo tribuit, & non tribuit rusticitatem aliquam.

S. Hieronymus prophetæ *Jeremiæ stylo tribuit*, ex mente Hebræorum, *rusticitatem aliquam. Et non tribuit*, ex sua mente. Auctor epist. dedic. Commentario Hülsem. in Jerem. præfixæ.

Consuetudo contra canones valet, & non valet.

Consuetudo rationalis *valet contra canones*, cum jure divino & naturali non conspirantes. *Et non valet*, irrationabilis videlicet, *contra canones*, juri divino & naturali consentientes. Stryck. ad Brunnem. Jus Eccl. l. 1. c. 3. §. 8.

Moses fuit, & non fuit magus.

Moses fuit magus, voce magi sumta in sano sensu, pro sapiente, seu eo, qui in omni Ægyptiorum scientia, e. g. in numeris, geometria, universa musica, & occulta philosophia, versatissimus fuit. Qua de re consulendus Conring. de Hermet. Medic. c. 13. *Et non fuit magus*, in quantum hæc vox denotat hominem illicita & diabolica magia pollutum, & clandestinis artibus omnia perficientem. Cujus quidem vir sanctissimus inique poscitur a Plinio, Apuleio, Justino, aliisque scriptoribus ethnicis. Drechsler. de Mose, Sect. 2. c. 6.

Talmud est, & non est antiquius Christo.

Talmud est antiquius Christo, quoad doctrinam inibi contentam. *Et non est antiquius Christo*, ratione scriptionis seu collectionis: nam Mischna a R. Jehuda Sancto 200. circiter, & Gemara a Raf Asse, 400. post Christum natum annis concinnata est. Grellot. in præfat. Prodromi in Apoc. p. 18.

Talmud continet, & non continet fabulas & blasphemias.

Talmud, pro Gemara, imprimis Babylonica, ſumtum, vel pro Miſchna & Gemara ſimul, *continet fabulas & blasphemias*: *& non continet*, ſi pro ſola Miſchna accipitur. Wagenſ. in ep. ad Joh. Fechr. p. 127. Adde Henr. Mühl. Apolog. pro ſtud. Talmud. & de ea Actor. Eruditor. Supplem. p. 320.

Editio Hexaplorum Origenis erat, & non erat pura.

Hexapla Origenis vocatur codex biblicus, in quo adamantius & χαλκέντερος ille ſex columnas conſtituit, & in prima collocavit textum Hebraicum ſuis literis, in ſecunda eundem, ſed literis Græcis, in tertia & reliquis verſiones Græcas IV. videlicet Aquilæ, Symmachi, LXX. & Theodotionis. Quemadmodum *Octapla* ex iisdem, cum duabus aliis verſionibus, Hierichuntina nempe & Nicopolitana. Quarum illam *Quintam*, hanc *Sextam* appellavit Origenes. *Tetrapla* autem, quæ Hexaplis tempore poſteriora erant, ex quatuor primis, quas diximus verſionibus Græcis, ut Aquilæ, Symmachi, LXX. & Theodotionis, formabantur. Qua de re legendus Hotting. Theſ. Philol. p. 288. & inprimis Huet. l. 3. Origenian. ſect. IV. p. 255. Iſta igitur *Origenis Hexaplorum editio erat pura*, quia veritas verſionis LXX. Interpretum in ea continebatur: *& non erat pura* propterea, quod multa ex Theodotione aliisque interpretibus habebat immixta, quæ Alexandrinus Doctor aſteriſcis notavit. Valeſ. in epiſt. ad J. Uſſer. de LXX. Interpp. verſ. p. 314.

Exemplar Aug. Confeſs. quod A. 1531. Wittebergæ in 4. prodiit, eſt, & non eſt purum.

Exemplar Aug. Conf. quod A. 1531. Wittebergæ in 4. prodiit,

prodiit, eſt purum, quia quoad rem & ſenſum nulla ei ineſt corruptio, vel diſcrepantia a prototypo. Unde & Proteſtantes A. 1561. ei ſubſcripſerunt in Conventu Naumburgenſi, & Ferdinando Imp. id exhibuerunt. *Non vero eſt purum*, quia in eo variatio quædam eſt quoad verba, ſed quæ ipſi tamen inſtrumento nihil quidquam præjudicat. Hinc iidem Proteſtantes in ſubſcriptione clauſulam adhibuerunt expreſſam, non alia ratione ſe illi ſubſcribere, ſcriptumque exhibere, quam *prout, & in quantum* cum inſtrumento ipſo (cujus copia tunc temporis deſtituebantur) conveniret. Carpzov. Iſag. in LL. Symbol. p. 121.

Datur, & non datur notitia Dei inſita.

Per *notitiam Dei* intelligitur heic illa notitia, quam homines de Deo habent, agnoſcentes, Deum eſſe vel exiſtere. Talis *Dei notitia*, eaque *inſita, datur*, quia intellectui hominis, ſimul ac ille terminos hujus propoſitionis, *Deus eſt*, apprehendit, citra diſcurſum ineſt, non aliter ac ſi cum ipſa natura ei actu implantata, inſita, atque impreſſa eſſet. *Non* vero *datur*, ita videlicet, ut cognitio Dei actualis, aut ſpecies expreſſa, homini per naturam ante rationis uſum inſit. J. Muſ. Introd. in Theol. c. 2. §. 19. & in Ausführl. Erklär. p. 151. *De Deo.*

Eaque DEI notitia eſt, & non eſt habitualis.

Dei notitia, quam diximus inſitam, *habitualis eſt*, ſi per habitualem notitiam intelligitur perfectio ſeu lux quædam, ante ſpecies impreſſas ullas intellectui innata, & habitui ἀνάλογος, qua intellectus potens, vel in potentia propinqua conſtituitur ad actus cognoſcendi per ſe immediate, & citra ullam aliunde aſſumtam rationem cognoſcendi, eliciendos. *Non* vero *eſt habitualis*, quia non conſtat

ſtat ſpeciebus impreſſis, interque ſe bene coordinatis & diſpoſitis; (tales enim ſpecies impreſſæ non ſunt nobis ingenitæ) adeoque perfectio illa nobis indita, *diſpoſitio* potius, quam habitus proprie dictus, vocari poteſt ac debet. Ibid. Confer tamen etiam pag. 189. Comp. Baj. & Scherz. in Breviar. Hülſem. c. 2. p. 85.

Deum eſſe, eſt, & non eſt articulus fidei.

Ad explicationem theſeos hujus facit diſtinctio articulorum fidei in puros & mixtos. *Puri* dicuntur, qui unice ex revelatione divina peculiari cognoſcuntur, ut articulus de Filio Dei, & ſimiles alii. *Mixti*, qui non ſolum ex revelatione, ſed & ex lumine naturæ innoteſcunt. Jam ergo dicimus: *Deum eſſe, eſt articulus fidei* mixtus, quia hanc notitiam non tantum ex Scriptura habemus, ſed etiam ex luce illa, quæ mentibus noſtris inde a prima noſtri origine indita, &, ut ita loquar, infuſa eſt: unde non tantum credimus, Deum eſſe, verum etiam ſcimus. *Non eſt* autem articulus fidei purus, eo quod Deum eſſe, non ex ſola ipſius revelatione nobis conſtat. Klotz. Theol. Nat. diſp. III. §. 17. Joh. Meiſn. Comp. Theol. diſp. II. & F. U. Calixt. Demonſtrat. liquidiſs. p. 46.

Eſſentia divina eſt, & non eſt individua.

Eſſentia divina, per quam (ut habetur in Comp. Bajeri p. 190.) intelligitur illud, quod primo in Deo concipitur, & per quod Deus ab aliis rebus omnibus adæquate diſtinguitur, quodque noſtro concipiendi modo principium & radix eſt omnium perfectionum, quæ Deo per modum proprietatum tribuuntur, *eſt individua*, late & Grammatice accepto hoc termino, quia non eſt corporea & diviſibilis: Et *non eſt individua*, eodem ſtricte & logice ſumto, pro eo, quod eſt incommunicabile. Nam eſſentiam divinam tri-

bus personis communicatam esse, Ecclesiæ christianæ credunt. Priore sensu auctor Apologiæ Aug. Confess. statim in initio, essentiam divinam appellat *individuam*. Scherz. System. Theol. p. 38.

* *Deus potest, & non potest definiri.*

Deus potest definiri, non quod logica definitio, quæ per verum genus & differentiam fit, ei competat, sed quia præeunte ipsa Scriptura, prædicata quædam communia & specialia de eo enunciantur, habentia se, ut genus & differentia: quæ tamen isto nomine dicta nullam realem compositionem important, cum denominationes hujusmodi formaliter sint in intellectu, nec obstent infinitati Dei; siquidem *definiri* in præsenti non est finiri, sed secundum essentiam & quidditatem, in quantum illa in verbo revelata est, cognosci. Quæ fere verba sunt Parentis mei in Syst. Theol. p. 50. Qua ratione & Mart. Chemnit. in LL. Theol. L. de Deo c. 2. p. 25. *Nos*, inquit, *in investiganda definitione non scrutamur illa arcana essentiæ & voluntatis DEI, quæ nobis ignota esse voluit: sed ex patefactione ipsius Dei colligimus brevem summam, quantum nobis in verbo suo de sua essentia & voluntate revelavit. Et quia omnino vult Deus ita cognosci & invocari sicut se patefecit, tenenda est aliqua descriptio Dei, ad quam mens in invocatione se referat. Nihil enim aliud est adoratio, quam confessio, tribuens illi essentiæ, quam in invocatione alloquimur, omnia illa attributa, quæ in definitione ponuntur.* Sed & *non potest definiri*, si vocabulum definitionis stricte, &, ut Augustinus loquitur, proprie accipitur, ob duplicem hanc rationem, 1. quia immensus est; 2. quia quid ejus essentia & natura sit, homo in hac vita perfecte nosse non potest, perfectius sine dubio cogniturus in altera vita, dum Deus interim unus & solus eam perfectissima notitia assequitur,

atque comprehendit. Hinc Augustini lib. de Cognit. ver. vitæ c. 7. dictum : *Summus Spiritus, sicut a nullo intellectu valet proprie cogitari : ita nulla definitione poterit proprie definiri vel determinari.* Adde Dieter. Inst. Catech. p. 262.

Deus nulli legi subjectus est, & tamen lege naturæ suæ tenetur.

Deus nulli legi proprie sic dictæ, h. e. a Superiore latæ, *subjectus est*, quum talis subjectio majestati ejus repugnet. *Attamen lege naturæ suæ tenetur*, ita ut contra naturalem suam bonitatem, justitiam, & reliqua attributa, quæ ipsi quasi lex sunt, agere nequeat : *Ipse* enim *se negare non potest*, ut Paulus scribit in 2. ad Timoth. II, 13. Cum quo loco conferendum est, quod Servator dicit Matth. X, 33. & Mar. IIX, 38. Exempli gratia : Deus ex lege naturæ suæ, h. e. naturalis suæ bonitatis, non potest nobis, quippe creaturis suis, & quidem ad imaginem suam conditis, aut male, aut nihil omnino velle. Ergo saltem aliquo modo nobis omnibus bene velle, ex se ipse tenetur: licet interim inæqualiter, pro sapientia & libertate sua, hanc suam erga nos benevolentiam dispenset. Itaque in Scriptura S. dicitur *bonus esse universis*, Ps. CXLV, 9. *etiam malis & injustis*, saltem in hoc seculo, Matth. V, 45. Neque vero natura Dei aliter ferre potest : Omne enim bonum a se creatum Deus naturaliter amat, præsertim vero imaginem suam. Et proinde in quibus hanc videt, eis non potest non ea saltem velle bona, quæ ipsis ad finem, a se ipso propositum, omnino necessaria esse novit. Fabric. System. Theol. 333. Bajer. Comp. 222. & C. Vorst. part. I. Amicæ Duplicat. ad J. Piscat. Apologet. resp. p. 295.

Deus est, & non est corporeus.

Deus est corporeus, si vocabulum *corpus* sumitur pro vera

vera & ſolida ſubſtantia, quæ inani phantaſmati & umbratili accidenti opponitur. Quo ſenſu adhibetur ad Col. II, 17. & ad Heb. X. 1. Atque ita etiam Tertullianus lib. adv. Prax. c. 7. Deum appellavit *corporeum*: nam in lib. de Trinit. negat, eum membra habere effigiata, ac ſaltim inviſibile ei corpus tribuit: nec aliter hoc accipit, quam pro ſubſtantia, lib. adv. Hermog. c. 35. inque oppoſitione ad φάντασμα, & nihilum, lib. de Anima c. 7. hoc unum intendens, Deum habere eſſentiam veram, realem, nec umbratilem. *Et non eſt corporeus*, proprie & ſtricte, quatenus corpus ſpiritui opponitur, ſed potius ipſe eſt & dicitur *ſpiritus*, id eſt, eſſentia ſpiritualis, ſine mole corporea. Joh. IV, 24. Brochm. L. de Deo 122. & Fabric. Syſtem. 53.

DEUS in hac vita videri poteſt, & non poteſt.

Viſus vel proprie capitur, videlicet de corpore, vel improprie, ut de cognitione. Quando igitur dicitur, *Deum in hac vita videri poſſe*, intelligendum id eſt de viſu improprie dicto, ſeu de cognitione Dei vel majore vel minore, quam in hac etiam vita conſequi licet. *Et non poteſt videri*, proprie, oculiſque corporeis. Hinc etiam ἀόρατος *inviſibilis* dicitur, I. ad Tim. I, 17. Faciunt huc, quæ commentatur Jac. Cappellus ad cap. XII. 14. epiſtolæ ad Hebræos: *Si proprie loqui velimus*, Deum nemo videt, Joh. I. 18. *ſiquidem viſus de corpore proprie dicitur. Sed comparate figurateq; diceris ea* videre 1. *quæ melius noſti, quam alius; puta, ſi pictum hominem videas, melius ejus formam concipis, quam ſi verbis multis ea tibi deſcribatur.* 2. *Melius adhuc, ſi videas eum in ſpeculo.* 3. Κυριώτερον *adhuc diceris aliquem* videre, *ſi videas eum ſine ſpeculo, utut ambulantem, a tergo.* 4. *Multo magis, ſi faciem ejus in bono lumine collocatam, oculo ſano contempleris. Hic eſt perfectiſſimus aut maxime*

proprius cognoscendi modus. Eadem analogia patet in variis notitiæ Dei speciebus observari, & ita quidem, ut cum assecuti sumus supremum notitiæ Dei gradum, cujus creatura mera, ψιλὸς ἄνθρωπος, capax est, tum demum dicamur Deum videre a facie ad faciem, 1. ad Cor. XIII. 8. *Sic Israëlitæ cum quovis alio populo comparati dicuntur Deum* vidisse facie ad faciem, Deut. V. 4. Num. XIV. 14. *& Moses cum quovis alio viatore comparatus*, Num. XII. 6. Deut. XXXIV. 10. *cum tamen ei diserte dicatur* Exod. XXXIII. 20. 23. Non poteris videre faciem meam.

* *Deus potest, & non potest depingi.*

Potest depingi, prout se in verbo suo manifestavit, e. g. Deus Pater sub imagine senis, juxta Dan. VII, 9. aut viri solio insidentis, quo modo eum vidit Esaias, & ipse narrat c. VI, 1. Spiritus S. in specie columbæ, qua apparuit in baptismo Christi, Matth. III, 16. De Christo, qui verus homo est, quin in assumta humana natura depingi possit, nullum est dubium. At vero *non potest* depingi in essentia & natura sua, quia est spiritus invisibilis, & infinitus, sicut dicitur Joh. IV, 24. Rom. I, 20. & 1. Reg. VIII, 27. Atque huc spectant gravissimæ prohibitiones de non facienda Dei imagine, Deut. IV, 15. 18. & Esa. XL, 18. Vid. Helvic. in Vindicat. Locor. S. Script. V. T. p. 243.

* *Solus DEUS, & non solus DEUS est bonus.*

Solus DEUS est bonus, κατ' ἐξοχὴν & eminentissime, ac per essentiam, ita ut bonitatem suam non habeat ab alio, nec talem, quæ accidentibus sit perficienda. *Non solus* autem *est bonus*, quia etiam in creaturis bonitas reperitur, a Deo collata, sicut dicitur: *Omnis creatura DEI bona est*, 1. Tim. IV, 4. Confer Gen. I, ult. Ps. CXXV, 4. Matth.

XII, 35. Act. XI, 24. Quo pertinet illud Augustini: *Omnis creatura, in quantum est, bona est.* Idem in epist. 54. ad Macedonium Judicem scribit: *Deus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest: Nullius enim boni participatione bonus est; quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est: homo autem, cum bonus est, ab illo bonus est, quod a se ipso esse non potest. Illius enim spiritu boni fiunt, quicunque fiunt, cujus capax creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere & habere, quod dat, qui de suo bonus est: quo quisq; neglecto, de suo malus est.*

* *Deus ubique est, & nusquam.*

Ubique est, essentia, & quatenus præsentissima sua potentia omnia continet. *Nusquam est*, quatenus a nullo loco continetur, nec circumscribitur: *intra cuncta non inclusus, extra cuncta non exclusus.* Adscribere hisce placet verba S. Augustini, quæ reperiuntur in ep. 57. ad Dardan. p. 282. *Non per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & in cœlo & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.* Raupp. de Deo & Attrib. Div. p. 35. & Gerh. L. eod. §. 183.

* *DEUS est immutabilis, & tamen agit liberrime.*

DEUS est immutabilis, ratione voluntatis suæ, in sensu, ut in scholis loquimur, composito, h. e. si actuali volitione se ad rem aliquam determinavit, immutabiliter in re illa persistit, nec quicquam retractat, sicut ipse dicit Mal. III, 6. *Ego Dominus non mutor.* Unde & consilium ejus dicitur ἀμετάθετον, Hebr. IV, 17. Idem *tamen* etiam *liberrime agit*, quoniam id, in quo voluntatem tenet immutabilem, libere

ſtatuit, ita ut potuerit non ſtatuere, vel aliter ſtatuere. Quodſi mutaret ſententiam, non propterea liberior eſſet, aut diceretur, ſed varius & inconſtans: ſicut & quivis homo, quando a propoſito ſuo non recedit, habet voluntatem immutabilem in ſenſu compoſito, & manet nihilominus ens liberum, quia libere ad illud acceſſit, atque ita ſibi propoſuit; varius autem, inconſtans, atque mutabilis audiret, non liberior, ſi propoſitum mutaret ac deſereret. Vid. Parens meus in Syſt. Theol. p. 71.

* *DEUS novit ſucceſſiva, ſed non ſucceſſive.*

DEUS novit ſucceſſiva, ſeu ea, quorum unum poſt alterum fit aut contingit: *novit* enim *omnia*, uti Johannes ſcribit 1. ep. III, 20. & eſt *Deus ſcientiarum*, 1. Sam. II, 3. *ſed* illa *non* novit *ſucceſſive*, unum poſt alterum percipiendo: ſic enim in eo daretur pluralitas intellectionum, quæ cum ſimplicitate intellectionis divinæ ſtare non poteſt. Neque obſtat, eorum, quæ novit, alia eſſe præſentia, alia præterita, alia futura. Nam, ut Henr. Müller in Theol. Schol. §. 139. ſcribit, *in ſcientia divina ſecundum ſe non eſt vel præteritum, vel futurum, ſed tantum per denominationem extrinſecam temporum illi coëxiſtentium. Ita ergo ſi conſideremus ſcientiam DEI in ſua æternitate, nihil in ea mutatur, nihil eſt præteritum, aut futurum, ſed idem ſemper intuetur. Tametſi in rebus videt ſucceſſionem, & in ordine ad temporalem durationem, videt nunc, rem eſſe præteritam, & antea, fuiſſe futuram; ipſe tamen ſemper eam intuetur eodem modo.*

Cælum DEI eſt, & non eſt idem cum cælo beatorum.

Cælum DEI, eſt idem cum cælo beatorum, ſi conſide-

ratur, ut πȣ & ſpatium quoddam, quod velut ſedes Dei ac beatorum eſt, ubi ſe Deus glorioſe beatis conſpiciendum exhibet. Hinc Chriſtus ait Joh. XIV, 2. 3. *In domo Patris mei habitationes multæ ſunt: alioqui* (id eſt, ut Syrus explicat, ſi non ita eſſet) *dixiſſem vobis. Proficiſcor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rurſum veniam, & aſſumam vos ad me ipſum, ut, ubi ero ego, & vos ſitis.* Idem tamen *non eſt idem cum cœlo beatorum,* ſed diverſum, prout ſtatum, & conditionem notat: Sic enim Deus *lucem habitat inacceſſam*, 1. ad Tim. VI, 16. & *æternitatem*, quæ non tantum fine caret, ſed & principio, Eſa. LVII, 15. vel 19. Qua ratione ſedes beatorum non deſcribitur. Joh. Gerh. L. de Vita æterna §. 36.

Cœlo Dei etiam diaboli continentur, & non continentur.

Cœlo Dei interdum notatur omnipotens ac glorioſum Dei regnum, quo ille omnes creaturas ſibi ſubjectas habet, ac potenter gubernat, atque in eo ubivis majeſtatem ſuam exerit; & hinc appellatur *majeſtaticum*: interdum ſedes beatorum, vel gaudium, felicitas cœleſtis & ſtatus beatitudinis. Illo *etiam diaboli*, (ſi cum vulgo loqui licet: Sacra enim ſcriptura voce hac tantum in ſingulari utitur) ſeu dæmones, malique ſpiritus, *continentur*, utpote regimine Dei non excluſi; hoc autem *non continentur*, ſed detruſos in tartarum catenis caliginis tradidit, damnationi ſervatos. 2. Pet. II, 4. & in epiſt. Judæ v. 6. Æg. Hunn. L. de Sacram. c. 14. p. 1196. Tomi I. Operum.

Eſſentia divina generat, & non generat.

Eſſentia divina dupliciter conſiderari poteſt, (1) abſolute, uti communis eſt tribus perſonis; (2) relate ac determinate, prout eſt in una aliqua perſona Trinitatis. *Eſſentia*

tia igitur *divina generat*, ſpectata relate ac determinate, atque ut competit primæ perſonæ, ſeu Patri. Quo ſenſu Lutherus aliquando locutus eſt, ſine cauſa propterea vapulans a Forero. *Non* autem *generat*, abſolute conſiderata, & ut omnibus tribus perſonis ineſt. Sic etiam dici poteſt: *Natura divina*, ut hypoſtaſi τȢ λόγȢ determinata, *eſt incarnata*; & *non eſt* incarnata, in quantum communis eſt tribus perſonis. Carpz. Iſag. in Libb. Symbol. p. 779.

Præſentia DEI recipit, & non recipit gradus.

Præſentia Dei, quatenus efficacem Dei operationem extra ſe in creaturis importat, *recipit gradus*, ſeu magis & minus. Sic DEUS dicitur *venire* ad pios, iisque *prope eſſe*, *recedere* autem ab impiis, Joh. XIV. 15. Pſ. CXLV. 18. 1. Sam. XVI. 15. Qui locus conferatur cum cap. XV. 26. *Et non recipit gradus*, ſi in ſe & abſolute conſideratur. Sic enim DEUS, ob immenſitatem ſuam, æque præſens eſt omnibus creaturis. Baj. Comp. Theol. p. 199.

Ἀγεννησία *eſt, & non eſt notio Patris.*

Ἀγεννησία ſeu *Innaſcibilitas eſt* perſonalis *notio* DEI *Patris*: ea enim Pater nobis innoteſcit, & a duabus reliquis perſonis diſtinguitur, in quantum illa negat originem ab alio, quæ ſit vel per generationem, vel per ſpirationem. *Et non eſt notio Patris*, ut tantum negat originem per generationem. Sic enim etiam tribui poſſet Spiritui S. quippe qui ſpiratus eſt ac proceſſit a Patre & Filio, ut Latina confitetur Eccleſia, ſed non genitus. Unde in Dialogo I. de S. Trinit. apud Athanaſ. infertur: *Itaq; ingenitum eſſe, non eſt proprium Patris.* Dannh. Hodoſoph. p. 186. & Scherz. Syſtem. p. 65.

Eſſen-

Essentia divina est, & non est bonitas & justitia DEI.

Essentia divina est bonitas & justitia Dei, in sensu identico, quia attributa divina prædicantur de divina essentia & de se in sensu identico, cum ex parte rei idem sint cum essentia, & inter se. *Et non est* bonitas & justitia Dei. in sensu formali. Sic enim e contrario dicere possum: Bonitas Dei non est justitia Dei, quia tanquam formæ distinctæ a nobis concipiuntur. Fabric. System. p. 79.

Æternitas Dei coëxistit, & non coëxistit omnibus temporis differentiis.

Æternitas DEI, juxta Boëthium lib. 5. de Consolat. philos. pros. VI. est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, vel, secundum alios, duratio interminabilis, indivisibilis, & independens. Atque hæc dicitur *coëxistere omnibus temporis differentiis*, præterito, præsenti, & futuro, in quantum singulæ seorsum sumuntur, & sibi mutuo succedunt, e. g. hodie coëxistit æternitas hodierno diei, cras crastino, sicut hesterno heri coëxtitit. *Non* autem *coëxistit illis* simul existentibus, seu quasi illæ simul possent aut deberent existere. Quemadmodum si cœlum dicitur coëxistere hominibus, qui inde a condito mundo vixerunt, vivunt, & victuri sunt, non inferre licet, illos omnes junctim & simul vivere, aut ita vivere debere. Brochm. ibid. p 127.

Attributa DEI differunt, & non differunt ab ejus essentia.

Attributa Dei differunt ab ipsius essentia formaliter, & juxta nostrum concipiendi modum: nam Dei attributa dicuntur perfectiones, quæ essentiam Dei, seu id, quod primo

mo in Deo concipimus, noſtro modo intelligendi conſequuntur, atque ita Deo per modum formarum adjacentium tribuuntur, licet revera non ſint accidentia, quæ dicuntur prædicamentalia. Diſtinguuntur autem ab eſſentia divina pariter & inter ſe, propter infinitam Dei perfectionem. *Et non differunt ab ipſius eſſentia* realiter: alioqui realis in Deo foret compoſitio, ex ſubjecto videlicet & accidentibus; qualem non admittit ſumma Dei ſimplicitas. Fabric. in Syſtem 78. & Bajer. Comp. 191.

Eſſentia divina eſt univerſale, tres autem perſonæ individua, & non ſunt.

Eſſentia divina eſt univerſale, & nominatim ſpecies, *perſonæ autem tres, individua*, ut appellat Damaſcenus lib. 3. de Orthod. fid. c. 4. & 6. Sed id intelligendum ſecundum ſimilitudinem aliquam, eo quod natura divina, juxta modum prædicandi, ſic fere communis eſt inferioribus ſive individuis ſuis. Nam uti dico: Abraham eſt homo, Iſaac eſt homo, Jacob eſt homo, nec hi tres differunt ſpecie, ſed eatenus unum ſunt; ita pariter dico: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus S. eſt Deus, & hi tres in Deitate ſuaviter conveniunt, nec diſcrepant. Sed *& non ſunt*, quia ſpecies illa divina non poteſt multiplicari in ſuis individuis, nec tria individua dici tres Dii, ſicuti de Abrahamo tamen, Iſaaco & Jacobo dicere poſſum, eos tres eſſe homines. Petr. Lombard. lib. I. Sentent. diſt. 19. & Fabric. Syſtem. Theol. p. 88.

** Sunt, & non ſunt tres omnipotentes.*

Tres ſunt omnipotentes, quoniam omnipotentia æque competit Filio, & Spiritui S. ac Patri. Aſt *non ſunt tres omnipotentes*, ita, ut quælibet perſonarum divinarum peculiarem habeat eſſentiam vel ſubſtantiam. Atque hæc

eſt

eſt fides catholica, in ſymbolo Athanaſiano expreſſa, ubi inter alia dicitur: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens.* Cur? quia, ut in præcedentibus Auctor Symboli loquebatur, *neque confundendæ ſunt perſonæ, neque ſubſtantia ſeparanda,* cum *alia* ſit *perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. ſed Patris, & Filii, & Spiritus S. una divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.* Cui plane ſimilia docet S. Auguſtinus lib. XI. de C. D. c. 24. *Hoc totum, inquiens, & Trinitas ſit propter proprietatem perſonarum, & unus Deus propter inſeparabilem omnipotentiam: ita tamen, ut etiam cum de ſingulis quæritur, unusquisque eorum & Deus & omnipotens eſſe reſpondeatur: cum vero de omnibus ſimul, non tres Dii vel tres omnipotentes, ſed unus Deus omnipotens: tanta ibi eſt in tribus inſeparabilis unitas, quia ſic ſe voluit prædicari.*

S. Trinitatis doctrina ſufficienter, & non ſufficienter in SS. literis revelata eſt.

S. Trinitatis doctrina, pro fide, & ad ejus inſtructionem, *ſufficienter in SS. literis revelata eſt,* ita ut ad eam nulla opus ſit traditione, ſed ejus notitiam ex illis ſolis petere liceat. Eadem vero *non ſufficienter* ibidem revelata eſt, ad omnes Scholarum quæſtiones & diſceptationes, quæ de illa moventur, decidendas aut præſcindendas. Horſum enim Scriptura non eſt data, nec dari eam oportuit. Heic itaque traditione opus eſſe fatemur, non quidem ad fidem myſterii, attamen ad conſenſum Antiquitatis, & dictorum de eo agentium ſimilem cum noſtra explicationem oſtendendam, & deducendam. Mart. Chemnit. P. 1. Exam. Conc. Trid. p. 65. & ſeqq.

Dogma de Trinitate, poteſt, & non poteſt ex naturæ lumine probari.

Enim vero probatur aliquid ***ex lumine naturæ*** vel ſolide & plene, vel obiter duntaxat, ſecundum ſimilitudinem, & vacillanter, illuſtrando magis, quam confirmando & demonſtrando. Poſteriore hoc modo ***dogma de Trinitate, poteſt*** inde ***probari***; ***non autem*** priore. Et congruentiæ illæ naturales, atque analogia rerum creatarum cum hoc myſterio, non divinam fidem, ſed opinionem tantum humanam generant. Hülſem. prælect. in Form. Conc. p. 257.

* *Pater cogitando genuit, & non genuit cogitando Filium.*

Utrumque dici poteſt in ſano ſenſu. Nempe ***Pater cogitando genuit Filium***, juxta opinionem non tantum Philippi Melanchthonis in Exam. Theol. p. 795. & Defin. Theol. p. 924. 932. edit. libb. Normal. Norimb. & Lutheri in cap. 1. Gen. ſed etiam SS. Patrum, Baſilii & Auguſtini, ut ſcribit Wigandus in Syntagm. N. T. part. 3. item Nazianzeni & Athanaſii, narrante Paulo Tarnovio in Comm. in Joh. 1. p. 108. ſi quis generationem divinam, alioquin ineffabilem, rudi quaſi Minerva per quandam ſimilitudinem delineare velit, ita, ut res ab omnium apprehenſione & intellectu remota, duntaxat exemplo quodam, a verbo aut ſermone, vel etiam cogitatione mentis noſtræ petito, adumbretur. ***Non*** autem ***cogitando genuit Filium***, ſi quis locutione hac æternæ generationis modum definire, & ad vivum quaſi exprimere, eamq; ut articulum fidei aliis obtrudere audeat: eſt enim modus ille omnino ἄῤῥητος, ut S. Juſtinus loquitur, καὶ ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ κατάληψιν, & fatendum cum Huttero LL. Theol. p. 107. neq́e hanc, neq; ullam

ullam aliam similitudinem mysterium generationis Filii exprimere posse, & caute atque sobrie hac etiam similitudine utendum esse: nam, ut Parens meus in Syst. Theol. p. 141. scribit, *hoc ipsum intercedit discrimen inter verbum nostrum & divinum illud, quod nostrum verbum est accidens menti inhærens, adeoque ἀνυπόστατον, & consequenter diversæ naturæ a mente, eaque producente posterius tum natura, tum tempore, quin plane inanimum & fluidum: quæ & alia hujusmodi in verbum divinum nullo modo quadrare, manifestum est.* Agnoscenda itaque est hæc dissimilitudo ei, qui similitudine illa velit uti. Unde & a Correctore librorum Normalium Eccles. Norimb. in Erratis prudenter monitum est, verba illa de generatione Filii per intellectum, *cum grano salis esse accipienda.* Vid. etiam Chemn. Judic. de Controv. quibusd. p. 8. & seqq. & Wigandi tractat. de Generatione Filii Dei.

In divinis notiones personales sunt, & non sunt tantum duæ.

In divinis notiones personales, speciatim sic dictæ, & proprietatibus personalibus contradistinctæ, *sunt tantum duæ*, ἀγεννησία i. e. Innascibilitas, & Spiratio activa: per illam enim Pater innotescit, ut non genitus, nec procedens ab alio: per hanc vero Pater & Filius a Spiritu S. distinguuntur. Bajer. in Comp. 251. *Et non sunt tantum duæ*, sed quinque, latius sumta voce notionis, & connumeratis proprietatibus personalibus, quarum tres sunt: Paternitas, Filiatio, & Processio stricte sic dicta, seu Spiratio passiva. Fabric. Syst. Theol. 125.

Filius DEI semper gignitur, & semper natus est.

Filius DEI semper gignitur, quia in immutabili æternitate perpetuo, absque successione & innovatione ac fine,

a Patre generatur. Ad quod indicandum dicit Pater æternus in Pſ. II, 7. *Ego hodie genui*, vel gigno, *te.* Vt adeo generationis illius actus ſit indeſinens, & hac ratione Filius Dei dici queat ſemper naſci, ſed citra imperfectionem; ſicut radii ſolares ſemper & inceſſanter, nec imperfecte tamen, generantur & emanant. Vnde apud Auguſtinum legimus: *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius.* epiſt. 174. Sed *& ſemper natus eſt*; ob permanentiam æternitatis, & perfectionem geniti. Et hæc locutio magis, quam illa probatur Thomæ Aquinati, & dicto Pſalmi allegato etiam eſt convenientior. Fabric. Syſtem. 132.

In Trinitate eſt alius & alius, non vero aliud, & aliud.

Propoſitio hæc eſt Gregorii Nazianzeni in ep. ad Cledonium, ſeu orat. 51. Nimirum eſt *alius & alius*, quoniam una perſona differt a reliquis; *Non vero aliud & aliud*, quum tria illa divinitatem habeant communem. Cui effato Scriptura S. adſtipulatur, teſtans, *Filium alium eſſe a Patre & Spiritu S.* Joh. XIV. 16. & *tres illos eſſe unum*, videlicet quoad eſſentiam, & ſic non aliud atque aliud, 1. Joh. V, 7. Fabric. Syſt. Theol. p. 124.

* *Mundus in tempore eſt, & non eſt factus.*

De Creatione. *Mundus*, ſive ſyſtema omnium rerum a Deo conditarum, *factus eſt in tempore*, in ſenſu negativo, quia non eſt conditus ab æterno. *Non autem factus eſt in tempore*, poſitive accepto hoc termino, ſed potius una cum tempore, quia tempus non exſtitit, antequam fieret mundus, ſed, cum ſit duratio rerum, ei fuit concreatum. Atque ita, hac de re philoſophatur ipſe S. Auguſtinus l. XI. de C. D. c. 6.

Si lite-

Si literæ sacræ, maximeque veraces, ita dicunt, in principio fecisse Deum cœlum & terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta, quæ fecit, procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore, & post aliquod fit, & ante aliquod tempus: post id, quod præteritum est; ante id, quod futurum est. Nullum autem ante mundum posset esse præteritum, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est mundus, si in ejus conditione factus est mutabilis motus, sicut videtur se habere etiam ordo ille primorum sex vel septem dierum, in quibus mane & vespera nominantur, donec omnia, quæ his diebus fecit, sexto perficiantur die, septimoque, in magno mysterio, DEI vacatio commendetur. Hactenus Episcopus Hipponensis. Cui etiam conformiter docent Calov. in System. Theol. & Zanch. de Attrib. div. p. 90.

* *Mundus ex nihilo est conditus, etiamsi ex nihilo nihil fiat.*

Ex nihilo nihil fit, naturaliter, sive juxta ordinem in natura jam creata institutum, & ab hominibus. ***Mundus*** autem ***ex nihilo est conditus***, per summam & infinitam Dei potentiam, non quod nihilum causa fuerit materialis, unde res sint constitutæ, sed quia nulla creatura aut materia præexstitit rebus conditis, quæ ad illarum constitutionem faceret. Rom. IV, 17, Ebr. XI, 3. & Exod. XX, 11. Ex nihilo igitur dicuntur res conditæ, quia simul cum omnibus suis principiis sunt productæ, sive secundum totum esse suum, vel, quod eodem recidit, secundum se totas effectæ, ut essent, quæ antea prorsus non erant, nisi in potentia, non materiæ, sed causæ efficientis. Hinc recte

S. Irenæus l. 2. adv. Hær. c. 11. ſcribit : *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum: quoniam homines quidem de nihilo non poſſunt aliquid facere, ſed de materia ſubjacente. DEUS autem, quam homines, melior, eo quod materiam fabricationis ſuæ, cum ante non eſſet, ipſe adinvenit.* Conf. Scherzeri Breviar. Hülſem. enucl. & auct. pag. 161.

* *Creatio fuit actio ſucceſſiva, & inſtantanea.*

Succeſſiva, ſi totam mundi ſcenam ſimul ſpectemus, & uno complectamur intuitu. Etenim, ut ex hiſtoria creationis a Moſe deſcripta novimus, non ſubito aut uno momento, ſed intra ſex dies mundum creare, atque perficere DEO placuit. Unde apud Moſen Gen. I. dicitur: *Sic fuit veſpera, & fuit mane diei primi, ſecundi, tertii* &c. Ut indicetur, DEUM primo, ſecundo, tertio, & ceteris diebus nihil aliud feciſſe, quam quæ feciſſe memoratur. *Inſtantanea* vero, ratione ſingularum ſpecierum, quippe quæ non longo temporis tractu, aut integri diei ſpatio, ſed uno momento conditæ ſunt. Quo enim momento dixit DEUS, *Fiat lux*, illico facta eſt. Quo momento dixit: *Eſto expanſum*; *Herbaſcat terra*; *Fiant luminaria*; *Producat terra animantia* &c. ſubito in ejus conſpectu hæc ſingula ſteterunt, ita, ut volebat, abſoluta. Parens meus in Syſt. Th. p. 240.

* *Creato mundi, ex naturæ lumine cognoſci poteſt, & non poteſt.*

Creatio mundi cognoſci poteſt ex naturæ lumine, (1.) ratione cauſæ efficientis. Deum enim eſſe auctorem vel creatorem mundi, aut, quod idem eſt, mundum non extitiſſe a ſe ipſo, ſed ab alio originem accepiſſe, non tantum

exre-

ex revelatione verbi, verum etiam ex rationis dictamine cognosci potest. Quo pertinet dictum Augustini lib. XI. de C. D. c. 4. *Exceptis propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & nobilitate, & visibilium omnium pulcerrima specie, quodammodo tacitus, & factum se esse, & non nisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulcro fieri se potuisse proclamat.* (2) Si Creationis vox sumitur γενικῶς, late & abstracte, pro rerum omnium a Deo productione, quocunque tandem modo, & quocunque tempore facta. (3) Ratione potentiæ productionis: nam potuisse Deum vel ab æterno, vel in tempore mundum creare, ex rationis luce non minus constare potest, quam Deum esse æternum, omnipotentem, & agens liberrimum. Sed **non cognosci potest ex naturæ lumine**, (1) si sermo est de effectu seu actione ipsa, hæc enim non cadit sub lumen rationis. (2) Si creationem sumis εἰδικῶς, stricte, & concrete, ac formaliter; nimirum pro ejusmodi productione, quæ facta est ex nihilo, sine alteratione prævia, certo tempore, & eo modo ac ordine, quo nobis a Mose describitur: Sic enim est purus articulus fidei. (3) Si actum intelligis, quod videl. DEUS hoc & non alio tempore, nec ab æterno, & quidem ex nihilo mundum produxerit. Quod rursus non nisi fide cognoscitur, nec per naturam lumine verbi destitutam vel a priori, vel a posteriori investigari potest. Gerh. in Dispp. Isag. L. de Creat. c. 2. §. 4.

* *Mundus potuit a DEO melior fieri, quam factus est, & non potuit.*

Potuit melior fieri, quam factus est, quatuor modis: 1. secundum quantitatem, tam continuam, quam discretam. Cœli & elementa potuerunt fieri majora, quam sunt: & potuit DEUS facere plures cœlos, ac plura sidera

ſidera. 2. Secundum plenitudinem & uuiverſitatem rerum, quia infimæ rerum ſpecies plures creari potuerunt. 3. Secundum durationem: Potuit enim ita fieri mundus & antiquior,& diuturnior 4. Secundum perfectionem accidentalem rerum naturalium. *Non potuit* autem fieri melior, ac factus eſt, 1. Secundum ſubſtantialem rerum perfectionem. 2. Secundum ordinem & diſpoſitionem partium mundi, & aliorum, quæ in eo ſunt. 3. In regimine & gubernatione mundi, quæ eſt omnium optima. 4. Secunpum proportionem & convenientiam, atque aptitudinem partium mundi inter ſe, & cum ipſo mundo. 5. Reſpectu ejus finis, propter quem a DEO factus mundus. Hæc totidem verbis e Thoma Aquin. & Bonaventura, Gerh. in l.c. c.7. §. 6.

Cœlum & terra fuere, & non fuere producta primo die.

Cœlum & terra primo creationis *die fuere producta*, ſecundum formam ſuam ſubſtantialem: niſi enim ſic ſtatuatur, non appareret ex Moſe, quando illa tandem creata eſſent. *Et* primo illo die *non fuere producta*, quoad ipſorum diſtinctionem, aſpectum & exornationem: nam tertio demum die ex aquis emerſit, apparuitque, & herbis, arboribus ac fruticibus veſtita fuit terra; quarto autem cœlum ſole, luna, cæteriſque ſtellis nobilitatum & condecoratum. Hutter. in LL. Theol. de Creat. quæſt. 111. p. 201.

Dantur, & non dantur aquæ ſupracœleſtes.

Dantur aquæ ſupracœleſtes, ſi Hebræorum more appelles שמים ſive *cœlum*, quicquid ſupra humum elevatum eſt. Ita ſane nubium vapores, e quibus pluvia gignitur deciditque, aquæ ſupracœleſtes vocari poſſunt,

quo-

quoniam aëre, qui Hebræis, & ipsi etiam S. Scripturæ Gen. I. 26. 28. 30. ac Deut. IV. 15. שמים seu cœlum dicitur, sunt altiores. Aut, si juxta modernorum Astronomorum & Physicorum hypothesin, intelligas eas, quæ postmodo iu lunare corpus collectæ sunt. *Et non dantur*, si illas in pure æthereo ac supra elementa posito cœlo, aut supra illud contineri & servari concipias. Quo enim argumento id evinces? Theol. Jenens. Ausführl. Erkl. p. 198. Baj. in Comp. 261. T. Burnet. Tellur. Theor. Sacr. 177. Hisce addam, quod A. 1695. in hac materia ad me scripsit vir quidam clarissimus. *Dura & coacta*, inquit ille, *mihi semper est visa ea textus sacri interpretatio, quæ per aquas supracœlestes, vapores & nubes intelligit, qui non nisi materia aquæ, & plerumq; remotior sunt. Ut de vocis cœli æquivocatione nihil dicam, ac illud taceam, quod in illo firmamento seu expanso, quod cœlum postea dictum, quarta die stellas quoque locatas fuisse dicitur, quas in aëre non existere palam est, ut dicendum foret, illud expansum seu firmamentum, de quo v. 6. Gen. I. sermo est, diversum fuisse ab eo, de quo v. 17. Et unde vapores ac nubes die creationis secundo, cum sol nondum esset, vaporum & nubium causa præcipua? Quo pacto etiam superiores aquæ ab inferioribus divisæ dicentur eo casu, quo vapores, nebulæ, nubesq; terram ipsam & maria contingunt, quod non raro accidit? Quanto planior futurus esset sensus verborum in sua proprietate retentorum, si supracœlestes illæ sint aquæ, quæ postmodum in lunare corpus, ut infracœlestes in corpus telluris (cum utrumque esset plenius elaboratum) collectæ sunt; uti certe indubia fere aquarum in globo lunari existentium indicia deprehenderunt Astronomi & Physici moderni, magno consensu.*

Omnia, & non omnia propter hominem ſunt facta.

Omnia, intra ambitum mundi noſtri, *propter hominem ſunt facta*, in quæ dominium utile ei a Deo conceſſum, juxta Gen. I, 26. 28. 29. 30. & Sir. XVII. 3. 5. *Et non omnia*, reſpectu totius univerſi, quæque hominis poteſtati ſubjecta eſſe non memorantur: nam ſupremos cœlos, quos ne aſpeximus quidem, & abſentiſſimas ſtellas, quas ne cognitione quidem attingimus, noſtri cauſa conſtituta & ordinata eſſe, difficile ſit probatu. Nec deſunt intra orbis noſtri limites, quæ dominium hominis nullo modo agnoſcunt, ut tempeſtates, ſeu venti, pluviæ, nives, grandines, & alia his ſimilia. Unde & Theologi noſtri obſervant, dominium, quod primus homo habuit, pertigiſſe ad animalia duntaxat & univerſam terram, hoc eſt, ad ſublunaria: quod enim corpora cœleſtia attinet, in ea primus homo dominium nullum habuit; nec pro lubitu illis uti potuit, ſed potius aſtris, quoad univerſalem eorum influxum, ut alia ſublunaria, ſubjectus fuit. Neque obſtat, quod dicitur Pſ. IIX. 7. Id enim de Chriſto homine intelligendum, vel ſi de hominibus, reſtricte tamen, ut ſequentia indicant. Vid. Janſen. in h. l. Burnet. Tell. Sacr. Theor. lib. II. c. 8. p. 234. Boyle Diſquiſit. de Final. rer. natural. Cauſis, in Actis Erudit. A. 1688. p. 492. Sam. Pufend. de I. N. & G. lib. IV. c. 3. p. 519

* *Angeli ſunt, & non ſunt in loco.*

De Angelis. *Sunt in loco*, late ſumendo phraſin iſtam, & prout ſubdividitur per *eſſe in loco definitive, & circumſcriptive.* Angeli quippe non ſunt in loco circumſcriptive, ſeu non circumſcribuntur ſpatio aliquo externo, quia non habent corpus; ſed definitive, h. e. ſibimet ipſi definiunt ubi ſuum, & ſunt in ſpatio aliquo, toti in toto, & toti in qualibet parte, nec per naturam aliter alicubi eſſe poſſunt. *Non*

ſunt

sunt in loco, si stricte accipias vocabulum loci, nimirum pro loco physico, qui corporis affectio esse putatur. Brochmand. L. de Ang. quæst. 4. p. 238. & Scheibl. in Metaph. l. 2. c. 4. n. 33. & n. 85. ubi recte monet, ad præsentiam Angeli describendam rectius nominari *ubi*, quam *locum*.

Angeli sunt, & non sunt ad imaginem DEI conditi.

Angeli sunt ad imaginem Dei conditi, quatenus ratione intellectus & voluntatis eximiam cum divino Numine habebant conformitatem, præditi luce habituali, cujus beneficio cognoscerent, quæ ad finem supernaturalem consequendum proficua erant, & justitia ac sanctitate habituali, qua omnes actiones juxta normam legis divinæ æternæ instituere valebant. *Et non sunt ad imaginem DEI conditi*, eo, quod Scriptura κτ̀ ῥητὸν non ita loquitur, sique imaginem DEI latius & generaliter sumas, prout præter justitiam & sapientiam concreatam, suo ambitu etiam complectitur immortalitatem corporis, & dominium in alias creaturas: neutrum quippe horum, Angelis competere, extra dubitationis aleam est positum. Raupp. L. de Angel. p. 163.

* *Angeli in bono confirmati non desinunt esse liberi, quamvis non possint male agere.*

Liberum arbitrium est quidem ad opposita, sed hæc opposita non sunt necessario bonum & malum, ut libertas versetur inter bene & male agere. Potest enim satis se exserere in genere boni: sicut DEUS, qui non nisi bene agit, agens nihilominus est liberrimum. Potest enim creare, & non creare. potest hoc & illo modo bonitatem suam libere

communicare. Quorum utrumque est bonum. Ita beati *Angeli*, qui obedientia erga DEUM & observantia sua id beneficii adepti sunt, ut *in bona voluntate sua* sint *roborati*, adeo ut *peccare* jam *non possint*, suaque excidere felicitate, *possunt libere* hoc & aliud medium, inserviendi DEO & hominibus, eligere & non eligere. Quod sufficit ad arbitrii libertatem. Quæ sane eo perfectior est, quo longius abest a malo. Gerh. in L. de Creat. & Ang. §. 62. & Parens meus in Syst. p. 233.

Angelis in Scriptura tribuitur, & non tribuitur nomen יהוה

Nomen יהוה, quod proprie DEI est, atque a LXX. Interpretibus per ὁ κύριος redditur, in Scriptura sacra, ut Gen. XI. 7. XVI. 13. XVIII. 1. Ex. XX. 1. & alibi, *Angelis tribuitur*, quia Dei personam agunt, ejusque directam orationem referunt sicut is, qui in scena Alexandri personam induit, Alexander dici solet; vel, quod eodem recidit, quia Deus in iis apparet: quemadmodum, nulla ratione instrumenti habita, ei, qui instrumento utitur, actionem solemus tribuere. Sic Rex dicitur scripsisse aut locutus esse, quod Minister Regius, ipsius nomine, vel scripsit, vel locutus est. Unde fit, ut talis in diplomate vel epistola non aliter loquatur, ac ipse loqueretur Rex, si calamo ad scribendum uteretur. Et Angelus eo magis, ut DEUS, loqui potest, quod inconspicui Dei vices agit, ac sæpe etiam ipse manet invisibilis. Audiamus Hieronymum in ep. ad Gal. III, 19. Quod *autem*, ait, lex ordinata per angelos, *hoc vult intelligi, quod in omni veteri testamento, ubi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex ministris pluribus, quicunque sit, visus, sed in illo Mediator loquatur, qui dicat*, Ego sum Deus Abraham &c. *Nec mirum, si Deus loquatur in Ange-*

Angelis, cum etiam per Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Aggæo, & ait Angelus, qui loquebatur in me, *ac deinceps inferente:* Hæc dicit Dominus omnipotens: neque *enim Angelus, qui esse dictus fuerat in Propheta, ex sua persona audebat loqui.* Hisce paria docet etiam Augustinus de C. D. lib. XVI. cap. 5. & 29. nec non Gregorius M. præfat. in Job. c. I. Luther. Tom. I. Isleb. p. 297. & Brent. Comment. in Ex. XIX, 16. *Et non tribuitur* Angelis, proprie, & prout seorsum a Deo considerantur.

Angeli fuerunt, & non fuerunt fide præditi.

Angeli fuerunt fide præditi, prout illa scientiæ evidenti contradistinguitur, cognoscentes sub ratione veri, non per evidentiam objecti, sed per auctoritatem dicentis aut revelantis Dei. *Et non fuerunt fide præditi,* illa videlicet, quæ Christi merito nititur, & hominum est propria. Baj. Comp. p. 298.

* *Dæmones necessario, & non necessario male agunt.*

Necessario male agunt, in genere; non possunt enim, nisi male agere. At *non necassario male agunt*, in particulari: omnia quippe mala, quæ faciunt, non necessario faciunt; possent enim multa, quæ faciunt, non facere; & ideo non necessitate hoc & illud peccatum committunt, sed voluntate. Quemadmodum homo in servitutem peccati per lapsum præceps datus, in genere semper aliquid mali perpetrat, cum tamen hoc præ alio malum libere eligat, atque ex eo delectationem capiat. Bellarm. l. 5. de Grat. & lib. arb. c. 14. & ex eo Gerh. Disp. Isag. L. de Lib. arb. c. 3. §. 13.

* Diabolus potest facere miracula, & non potest.

Potest facere miracula, late sumta hac voce, ut nimirum idem denotet, ac mirabilia: etenim per instantaneam applicationem causarum activarum naturalium, quarum vim & operationem exactissime perspectam habet, multa mirabilia perficere potest, quæ simpliciores pro miraculis habent, quoniam illorum causas ignorant, &, quomodo fiant, oculis non vident. Adde, quod idem impostor varias oculis hominum præstigias objicere possit, ut, quod revera non vident, videre sibi persuadeant. *Non potest* autem *facere miracula* stricte sic dicta; hæc enim sunt opera externa solius Dei, præter & supra usitatum naturæ ordinem facta, ad nominis divini gloriam, veritatis confirmationem, & Ecclesiæ salutem. Raupp. L. de Ang. pag. 186.

Protoplasti erant, & non erant immortales.

De Imagine Dei. *Protoplasti*, ante statum peccati, erant corporibus suis *immortales*, secundum quid, quandoquidem per Dei gratiam sublata erat mors quoad necessitatem & actum moriendi. Et *non erant immortales*, absolute & simpliciter, seu quoad potentiam. *Potuit homo*, ut ex vero Calixtus docet in Tract. de Pactis §. 10. *ita se gerere, ut necessitatem moriendi declinaret; sed & ita se gerere potuit, ut incurreret, & potentia aliquando in actum prodiret.* Similiter Meisnerus in Anthropol. Sacra, IV. ponit modos immortalitatis. I. est *a se ipso*, & a nemine dependens. Et hoc modo solus Deus immortalitatem habet, 1. ad Tim, VI, 16. II. est *naturalis segregatio a materia.* Et hoc modo immortales sunt Angeli & Anima rationalis. III. quum *manente materia moriendi, potentia cessat.* Et hac ratione Beatorum & damnatorum corpora sunt immortalia. IV. est, quum non *materia*

materia tantum, sed *& moriendi potentia remanet, ita tamen, ut nunquam ea actuetur, si homo recte se gerat.* Atque ita immortales erant primi Parentes. Hinc etiam S. Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. c. 25. *Corpus Adæ*, scribit, *erat* mortale & immortale, *ex alia atque alia causa.* Mortale, *quia poterat mori*: Immortale, *quia poterat non mori. Aliud enim est, non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud autem est, posse non mori. Quo modo primus creatus est homo immortalis. Quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis beneficio conditionis.* Vid. Hildebr. Syst. Theol. c. 9. §. 27. Glass. in Judic. de Controv. Theol. p. 42. Zanch. de Operib. VI. dier. l. 3. c. 4. q. 1. & 2.

** Imago DEI fuit, & non fuit donum naturale.*

Imago Dei, ad quam primus homo est conditus, & sub qua etiam immortalitas corporis comprehendebatur, *fuit donum naturale*, si naturale dicas, quod intrinsece naturæ inhæret, aut eam reddit perfectiorem, vel cum ea in posteros transfunditur, *Non* autem *naturale*, sed potius supernaturale donum fuit, si per naturale intelligas id, quod naturam in esse suo constituit, aut ex natura constituta proxime sequitur. Sic enim docet Gerhardus in Conf. Cathol. l. 2. Part. 3. Art. 20. n. 7. p. 1372. *Naturale dicitur quinque potissimum modis. Primo constitutive, pro eo, quod ipsi naturæ dat esse. Sic naturalia homini dicuntur propria essentialia, Corpus & Anima. Secundo consecutive, pro eo, quod naturam specificam necessario consequitur, ita ut ex rei essentia, seu forma essentialiter fluat. Sic homini naturalis est risibilitas. Tertio subjective, pro eo, quod naturæ arctissime est infixum. Sic naturale*

est quibusdam, abhorrere a caseo. Quarto perfective, pro eo, quod naturam promovet & perfectiorem reddit. Sic quibusdam naturalis est εὐφυΐα. Quinto transitive, pro eo, quod cum natura simul in alios propagatur. Sic generositas in liberos propagatur. Quando justitiam primo homini naturalem fuisse dicimus, non primo vel secundo, sed tertio, quarto, & quinto sensu naturalem fuisse intelligimus, ob inhæsionem scilicet, perfectionem, & propagationem. Eandem doctrinam, sed pluribus verbis proponit & Parens meus in Disp. de Imag. Dei th. 5. & seqq.

* *Dominium in bruta fuit, & non fuit pars imaginis divinæ.*

Facile atque innoxium *dominium in bruta*, Protoplastis concessum, *fuit pars imaginis divinæ*, generaliter acceptæ: & *non fuit pars*, sed consequens quoddam imaginis divinæ, specialiter sic dictæ. Generaliter autem accipitur imago divina, quando præter justitiam & sapientiam homini primo concreatam, suo ambitu includit etiam ipsum esse spirituale animæ humanæ, ejusque potentias, intellectum & voluntatem, simul etiam immortalitatem corporis, & dominium in creaturas alias. E contrario specialiter accepta imago divina, importat perfectiones quasdam accidentales, intellectui & voluntati primorum hominum concreatas, perfectionibus, quæ in Deo sunt, conformes, & collatas hominibus ad actiones suas recte instituendas ac perficiendas, finis ultimi consequendi causa. Bajer. in Compend. Theol. p. 333. 340.

* *Amissa DEI imagine, naturalia hominis manserunt, & non manserunt integra & pura.*

Amissa, per lapsum, *DEI imagine, naturalia hominis manse-*

manserunt *integra & pura*, quatenus perfectiones illæ, in quibus imaginem Dei specialiter sic dictam constitisse dictum est, non constituerunt essentiam & naturam hominis, neque ex ea necessario profluxerunt. Et *non manserunt* integra & pura, quatenus modo dictæ perfectiones habentur pro dono naturali, seu quatenus homo per naturam ordinatur ad vitam, pie, juste & sobrie ducendam, tanquam ad actus sibi connaturales, & finis ultimi, ad quem homo tendit, consequendi causa requisitos. Idem p. 342. Scherzerus hoc ita effert: Natura humana per amissionem imaginis divinæ fuit depravata, *quoad vires*; non vero *quoad essentiam*. In System. p. 144.

Eva in statu innocentiæ Adamo æqualis fuit, & non fuit.

Eva in statu innocentiæ Adamo æqualis fuit, quoad imaginem divinam, quatenus illa in justitia originali, item in corporis immortalitate & essentialibus hominis refulsit: *eiq;* in illo statu *non fuit æqualis*, ratione scientiæ rerum naturalium. Hinc Satanas callidissimus Evam, tanquam infirmiorem, tentare maluit. Qua de causa Apostolus 1. ad Tim. II. 14. scribit, *Adamum non fuisse deceptum, sed Evam.* Porro etiam ratione dominii aliqua inter eos inæqualitas intercessit, cum vir esset caput mulieris, & hæc illi subjecta. Et huc pertinet, quod legitur 1. Cor. XI. 7. Baj. Comp. p. 346.

Providentia divina specialissima datur, & non datur.

De Providentia Dei.

Providentia divina specialissima datur, ex mente eorum, qui providentiam divinam triplicem constituunt, generalem videlicet, specialem, & specialissimam, generali subjicientes quasvis creaturas, speciali homines, specialissimæ

fideles. *Et non datur*, juxta alios, qui ſpecialiſſimam referunt ad ſpecialem, atque adeo DEI providentiam duplicem duntaxat faciunt, univerſalem, puta, & particularem, ſeu generalem & ſpecialem, & ſpeciali præcipue fideles contineri ajunt. Gerh. Iſag. LL. diſp. 16. c.5. de Provid. §. 12.

* *Deus circa mala culpæ providet quidem, illa tamen ipſa non providet.*

Quod enim providetur, illud eſt effectus divinæ voluntatis ac providentiæ. Jam vero mala culpæ ſive peccata non eſſe effectus divinos, non tantum ex ſacra Scriptura, ſed ex ſana etiam ratione notiſſimum eſt. Non itaq; proprie & per ſe continentur ſub objecto divinæ providentiæ, adeoque Deus ea quidem prævidere dicitur, *neutiquam* vero *providere*. Aliquo tamen modo & improprie posſunt & ipſa objecto divinæ providentiæ accenſeri, non quidem tanquam effectus, ſed *tanquam terminus* impediendus, vel deſtruendus per divinam providentiam, aut *tanquam materia circa quam*, & cujus occaſione, aliquid faciendum ordinat Deus, ut nempe agatur pœnitentia, aut ut pœna ab aliquo juſte ſumatur. Et talia, videlicet pœnitentia & peccatorum pœnæ, ordinantur quidem ac providentur a Deo, minime autem peccata ipſa. Raup. L. de Provid. p. 279. & Parens meus in Syſt. Theol. p. 252. & 259.

* *Peccata fiunt, & non fiunt præter intentionem Dei.*

Diſtinguendum eſt cum Arm. de Bello Viſu tr. 2. cap. 266. inter intentionem intellectus, & intentionem voluntatis. Illa eſt actus, per quem tenditur intelligendo ad objectum: hæc, actus voluntatis ad objectum ſe applicantis,

tis. *Peccata* ergo *fiunt præter intentionem* voluntatis Dei, quippe quæ peccatum, ut peccatum, minime appetit, immo appetere non poteſt, eo, quod eſt difforme voluntati divinæ. *Non* autem *fiunt præter intentionem* intellectus divini, quia, ut omnia, ita & actiones vitioſas Deus omnino novit. Calov. in Exegem. A. C. art. 19. §. XI. & Velthem. in Metaph. p. 262.

** Chriſtiani appellatione Fortunæ uti poſſunt, & non poſſunt.*

Chriſtiani uti poſſunt appellatione fortunæ, ſive vocabulum iſthoc cum in ſermone, tum in ſcriptis adhibere, ſi eo intelligatur cauſa per accidens in iis, quæ cum electione operantur, ſeu actio hominis voluntaria, quam effectus ſequitur, qui non eſt ex intentione agentis, ut, ſi fodiens terram inveniat theſaurum, dici poteſt, ipſum fortuna inveniſſe theſaurum. Sed *non poſſunt*, ſi fortunam credant eſſe numen cœcum, & Deam volubilem, eventuum humanorum procuratricem, & pleraſque hominum res pro beneplacito ſuo moderantem. Quo pacto a Gentilibus ſuperſtitioſe ac impie culta fuit & adorata. Atque hoc ſenſu, ajunt doluiſſe S. Auguſtinum, nomen fortunæ toties a ſe fuiſſe uſurpatum, quando ſic ſcribit l. 1. Retr. c. 1. *Non mihi placet, toties me appellaſſe fortunam, cum videam, homines habere in peſſima conſuetudine, &, ubi dici debet,* Hoc Deus voluit, *dicere,* Hoc voluit fortuna. Fabric. Syſtem. Theol. p. 251. Sed ipſum contextum legat, oportet, qui accuratius ſancti Patris mentem perſpicere & cognoſcere cupit.

Terminus vitæ humanæ eſt, & non eſt abſolute a Deo prædefinitus.

Humanæ vitæ terminus eſt vel naturalis, quo homines quidam, vi temperamenti ſui, ad certum vitæ ſpatium

possunt pertingere; vel supernaturalis, isque vel gratiæ, quoad pios, vel iræ, quoad impios, dum illis vita aut prolongatur aut abbreviatur, hisce autem citius abrumpitur. Quando igitur jam dicitur, *terminum vitæ humanæ esse absolute* & pro beneplacito *a Deo* constitutum & *prædefinitum*, intelligendum id est non de termino vitæ naturali, sed præternaturali, neque adeo de omnibus, sed de quibusdam duntaxat hominibus. Exemplum præbet Scriptura S. in Hiskia Rege, cui ex morbi vehementia moriendum fuisset in ipso ætatis vigore, nisi vita ipsi prolongata fuisset a Deo, summo illo vitæ n cisque arbitro: producta autem fuit in XV. annos, ut legimus Es. XXXIIX. 5. Ecqua causa hujus beneficii? An devotæ ægrotantis preces? Hæ sane erant conditio, sine qua majoris ætatis compos reddi non potuisset Hiskias. At enim vero quod Deus illas in hoc subjecto habuit ratas, & præcise ad XV. nec plures, nec pauciores annos prorogare ei voluit vitam, id singularis erat & absoluti beneplaciti divini. Cui etiam tribuendum, quod aliis vitæ filum citius, & sic quidem, atque hoc tempore secatur. Et huc pertinent dicta Es. LVII, 5. Sap. IV, 7. Gen. VI, 13. & c. VII, 4. Exod. XI, 5. c. XIV, 17. Ps. LV, 24. verissimumque manet pariter effatum Gerhardi: *Terminus hyperphysicus seu divinus semper est hypotheticus, includens conditionem pietatis, vel impietatis, ususq; vel contemtus mediorum.* In Dispp. Isag. L. de Provid. c. 6. §. 23. *Neq;* vero *absolute a Deo prædefinitus est*, quasi absolute necessarium esset, ut quisque hominum eo tempore, ac genere mortis, quo moritur, diem suum obeat. Alias enim irritæ forent preces & vota piorum, irritus medicamentorum usus, & irritæ Dei promissiones atque comminationes. J. Tob. Major, secutus Hülsemannum, in disp. de Termino vitæ, habita sub Joh. Majore, §. 8. & Pater meus in System. p. 256. & in Conc. in Jobica p. XIV, 2. 3. p. 326.

No-

Novissima sunt quatuor, & non sunt quatuor.

Intelligenda eſt hæc theſis non de μακροκόσμῳ ſeu mundo: hujus enim non niſi unicum eſt noviſſimum expectandum, quod dicitur Conſummatio ſeculi; ſed de μικροκόσμῳ ſeu homine. Hominis igitur *novisſima ſunt IV.* nimirum Mors, Reſurrectio, Judicium, Mora æterna, damnatorum videlicet in inferno, & piorum in cœlo. *Et non ſunt IV.* ſed *V.* ſi loco moræ æternæ ponas & numeres Damnationem & Vitam æternam. Gerh. L. de Noviſſ. in genere, §. 7. *De Novisſimis.*

Cauſæ phyſicæ mortis temporalis ſunt, & non ſunt trium generum.

Quamvis mortis, utpote privationis, cauſa efficiens per ſe & proprie loquendo non detur, diſſolutionis tamen animæ & corporis, cum qua conjuncta eſt, ſeu in qua conſiſtit mors, dantur cauſæ efficientes, eæque partim phyſicæ, quæ realiter agunt in unionem animæ & corporis, eamq; deſtruunt; partim morales, quæ non quidem realiter deſtruunt talem unionem, aliquid tamen ad ejus deſtructionem conferunt, adeo ut hæc illis recte imputetur. Tales *cauſæ phyſicæ mortis temporalis ſunt trium generum:* dividuntur quippe in naturales, præternaturales, & violentas. *Et non ſunt trium*, ſed duorum duntaxat *generum*, ſi præternaturales vel ad naturales, ceu quibusdam placet, vel ad violentas referuntur. Bajer. in Comp. 432.

Sancti poſſunt, & non poſſunt invocari.

Sancti, de quibus loquimur, ſunt non tantum homines beate in Domino defuncti, quorum animæ, a corporibus ſeparatæ, ſunt cum Chriſto, ſed etiam Angeli in bono confirmati. Vtriusque hujus generis ſancti *poſſunt invocari*, ſi

invocatio idem eſt ac nuda compellatio, qua invitantur, ut pro viventibus in hoc ſeculo apud Deum intercedant: quamvis enim non tam certum ſit, recte ſalutari ſanctos defunctos, quam certi ſumus, recte compellari vivos, (nam de hac poſterioris generis compellatione habemus mandatum, promiſſionem, & exempla in SS. literis) tamen, quia Eccleſia antiqua ejusmodi ſalutationes, ex fide de beatitudine defunctorum, & charitate in Eccleſiam triumphantem profectas, probavit, nos eas ſimpliciter non damnamus. Sed nec facile imitamur, cum Scriptura de iis nihil habeat, & magnum periculum ſit, ne in religioſas invocationes degenerent. Itaque & hoc addimus, *ſanctos non poſſe invocari*, ſeu non eſſe invocandos, religioſo, puta, & divino cultu, & quaſi largitores atque auctores donorum ſpiritualium & corporalium. Dreier. in Diſpp. contra Pontific. p. 877. & Amica Tractat. int. part. apud Chytr. in Hiſt. A. C. p. 243.

Pro mortuis licet, & non licet orare.

Pro iis *mortuis*, qui in fide & pietate deceſſerunt, *licet*, ſemel atque iterum, ex libera devotione, *orare*, ut, ſicut Apoſtolus loquitur 2. ad Tim. I, 18. concedat eis Dominus, Deus Pater, invenire miſericordiam apud Dominum, Chriſtum, filium ejus, judicem omnium, in die illo extremi judicii. *Et non licet*, ſub opinione neceſſitatis, indeſinenter, & cum imitatione earum ſuperſtitionum, quas antiquæ, nec a Scripturis alienæ conſuetudini poſteriora ſecula aſſuerunt. Urb. Rhegius in Form. caute loqu. c. 16. §. 11. 12. Guil. Forbeſ. in Conſider. Controv. p. 246. Le Févre dans les Motifs invincibles p. 309.

Pere-

Peregrinationes ad ſepulcra ſanctorum poſſunt, & non poſſunt ſuſcipi.

Peregrinationes ad ſepulcra ſanctorum poſſunt ſuſcipi, hiſtoriæ, informationis, memoriæ & cognitionis ac prudentiæ alicujus gratia, & ſi vocationis debito per eas nihil decidit. *Non* autem *poſſunt*, ſuperſtitioſo fine, ſi tibi perſuadeas, cultum religioſum per eas Deo exhiberi, te gratiorem in his, quam aliis locis Deo reddi, meritum tibi aliquod acquirere, pro peccatis ita ſatisfacere, aut peculiarem gratiam exſpectare vel impetrare poſſe. Nam *nobis*, ajebat pius Antonius, ut S. Athanaſius in ejus vita refert, *nulla proficiſcendi, nulla transfretandi fluctus neceſſitas imminet. In omni ſede terrarum conſtituta ſunt regna cœlorum.* Et Hieronymus ſcribit ad Paulinum: *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandum eſt. De Hieroſolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœleſtis: Regnum enim Dei inter vos eſt.* Raupp. L. de Morte p. 30.

Animæ ſeparatæ ſciunt res hujus mundi, & non ſciunt.

Animæ hominum a corporibus *ſeparatæ ſciunt res hujus mundi* in generali & confuſo, quæque propria experientia edoctæ fuerunt: *Et non ſciunt* in particulari ac diſtincte, videlicet hujus aut illius anguſtias, preces, deſideria & ſimilia: ad hoc enim opus eſt omniſcientia. Unde & Apologia Aug. Conf. concedit, eas, æque ac Angelos, *in genere orare pro Eccleſia* militante. *Etiamſi enim* (ut ſcribit Parens meus in Syſtem. Theol. L. de Invocat. p. 635.) *membra Eccleſiæ militantis ſingulatim non ſint cognita ſanctis in altera vita, cum tamen nôrint in genere, Eccleſiam, hujus mundi adverſitatibus & periculis expoſitam eſſe, & charitas eorum non ſit exſtincta, ſed magis aucta, non dubitandum eſt*

temere,

temere, quin sub generali conceptu, prout unum cum illis corpus Christi constituimus, pro nobis in sua beatitudine apud Deum intercedant. Possit admitti etiam, (addit idem) *in particulari beatos pro aliquibus orare: puta, Parentes pro liberis, conjuges pro conjugibus, fratres pro fratribus & sororibus, amicos pro amicis: nec enim charitas, qua juncti invicem in hoc ævo fuerant specialius, id aliter videtur permittere, quam ut relictorum post se incolumitatem DEO specialius commendent.*

Resurrectio mortuorum dependet & non dependet a merito Christi.

Resurrectio mortuorum vel significat specialem, seu gloriosam fidelium resurrectionem, vel generalem omniumque hominum resurrectionem. Priore modo si illa sumitur, dicendum est, eam *dependere a merito Christi*, tanquam causa impulsiva externa, idque inprimis 1. ad Cor. XV. probatur IV. argumentis, videl. 1. a Communione fidelium cum Christo, tanquam membrorum cum suo capite. 2. a pari collatione Adami & Christi, tanquam stirpium contrariarum, quarum utraque suis ramis, hoc est, posteris, communicat id, quod in se continet. 3. ab amplitudine & perfectione regni Christi, quæ plane requirit, ut Christus omnes tandem inimicos suos, inter quos postremum locum mors obtinet, sibi subjectos habeat, & proinde mortem ex ex omnibus suis membris quam longissime profliget. 4. a consequente absurdo, videlicet Epicurismo: qui sine dubio consequetur, ubi resurrectionis spes tollitur. Posteriore autem modo sumta, *non dependet a merito Christi*, sed potius a finali impiorum malitia & impœnitentia, propter quam *manifestare* eos vult Deus *coram tribunali Christi, ut, quæ mala fecerunt, in corpore suo reportent*, 2. ad Corinth. V, 10. Gerh. L. de Resurr. Mort. §. 55.

Corpus hominis resurget, & non resurget.

Corpus hominis resurget, qua substantiam & esse suum, eritque verum corpus, non phantasticum, idemque numero, non aliud, illud, in quo quis vel bene, vel male operatus est in hac vita, 2. ad Cor. V, 10. *Et non resurget*, qua statum, qualitates & terrenam conditionem. Non enim mortale, corruptibile, fragile, vile, inglorium, & quotidianis mutationibus naturalibus obnoxium erit, sed immortale, spirituale & gloriosum. Vid. 1. ad Corinth. XV. & Hunn. in h. l. Atque ita, ut 1. ad Cor. VI, 13. dicitur, *venter destruetur*, non quoad substantiam, sed quoad usum, qui coquendis cibis non amplius inserviet.

Resurrectio mortuorum jam facta est, & tandem fiet.

Notandum est discrimen inter Resurrectionem spiritualem & temporalem, quarum illa alias prima dicitur, qua homo a peccato resurgit; hæc secunda, quæ fiet in corpore proprio, qua homines in die extremo, ad tubam Archangeli, e monumentis prodibunt. Quando jam dicitur, *resurrectionem jam factam esse*, capiendum id est de spirituali; sicut alterum, *futuram demum esse*, de corporali resurrectione. Gerh. L. de Resurr. mort. §. 3.

Resurrectio mortuorum ex natura probari potest, & non potest.

Resurrectio mortuorum ex natura probari potest obscure, remote, obiter, imperfecte & probabiliter, ut cum dicunt 1. Rationem posse investigare hominis creationem; ergo & resuscitationem. 2. Animam etiam a corpore separatam, inclinationem habere ad corpus, quam in actum nunquam esse deducendam, vero vix videatur simile. 3. Providentiam divinam requirere, bonis tandem ut bene sit,

malis autem male. 4. In universo tres esse naturas, corporalem tantum, spiritualem tantum, & ex utraque compositam. Mansuram igitur æque hanc in æternum, ac illas. *Non* autem *potest* exinde *probari* plene, clare, accurate, & apodictice, sed ita ex sola Scriptura, quia hoc dogma est meræ fidei & puræ revelationis. Raupp.L. deResurr.Mort. p. 77. Quantum vero chemicis experimentis, quibus plantarum, & animalium, atque ipsius hominis, ex cineribus suis restaurationem promittunt, tribuendum sit, docet Henr. Meibomius in epist. ad Theoph. Spizel. quæ hujus Considerationi Corporis Gloriosi præmissa est.

Christus est judex omnium hominum, & nullius.

Pro duplici adventu & statu Christi, & pro discrimine judiciorum, thesis hæc explicanda. Nimirum venit Christus in mundum ad obeundum munus mediatorium, ac venturus aliquando est ad judicium. In primo illo adventu subiit statum humiliationis, in secundo autem conspicuum eum reddet status gloriæ. Judicium aliud est condemnationis, aliud salutis & beatitudinis. Positis hisce, dicimus, *Christum esse judicem omnium hominum*, cum piorum, tum impiorum, tam mortuorum, quam eorum, quos dies extremus vivos inveniet, in secundo adventu, & in statu gloriæ, ubi unicuique redditurus est, quod egit in corpore, sive bonum, sive malum, adeoque non modo salvaturus credentes & pios, sed etiam damnaturus incredulos & impœnitentes. In primo autem adventu, atque in statu humiliationis, *nullius fuit judex*, puta, ad condemnationem. Sic enim ipse tunc dixit: *Ego non judico* vel condemno *quenquam*. Joh. IIX. 15. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut damnet mundum, sed ut servetur mundus per eum.* Joh. III. 17. Id quod sic intelligendum, quod

per

per se non venerit ad puniendum & condemnandum, sed potius ad salvandum. Per accidens tamen & vitio hominum, etiam ad puniendum venit, prout ipse dicit Joh. IX, 39. Fabric. in Syst. 518.

Animæ a corporibus separatæ fruuntur, & non fruuntur beatitudine completa.

Animæ hominum, in fide defunctorum, *a corporibus separatæ, fruuntur beatitudine completa*, si per hunc terminum intelligis fruitionem DEI: Simul ac enim ab Angelis in sinum Abrahæ portantur, solatio ibidem refocillantur, ac Deum intuitive cognoscunt, amore erga illum summo flagrantes, gaudioque perfusæ ineffabili. *Et non fruuntur beatitudine completa*, quando hæc ad eum modum sumitur, ut præter fruitionem Dei, includat etiam animarum beatarum cum corporibus reunionem, corporumque glorificationem. Nam reunionem & glorificationem istam illis adhuc expectandam esse, in aprico est. Bechm. in Annot. in Hutter. p. 838.

In resurrectione mortuorum, beati accipient, & non accipient corpora spiritualia.

Beati in resurrectione mortuorum accipient corpora spiritualia, quæ virtutes & proprietates habeant spirituum, neque amplius ad sui & speciei suæ conservationem indigeant cibo & potu, somno, matrimonio, aliisque rebus ad usum animalis vitæ, quam in hoc seculo agimus, pertinentibus. 1. Corinth. XV. 44. Matth. XXII 30. *Et non accipient corpora spiritualia*, quæ ratione essentiæ suæ conversa sint in spiritus: corpora enim illa beatorum erunt vere corpora, corpora materiata, immo eadem, quæ in hoc seculo gesta fuerant, sed glorificata, & excellentissimis vestita dotibus. Æg. Hunn. in 1. ad Cor. XV. 44. p. 269.

In beatis erit, & non erit major aut minor perfectio cognitionis.

In vita æterna aliquando *in beatis erit major aut minor cognitionis perfectio*, extensive spectata, ita ut alii plura, alii pauciora extra Deum objecta sint cognituri. *Et non erit*, intensive, & respectu visionis beatificæ considerata: hæc enim in omnibus beatis hominibus erit æque perfecta, quum SS. literæ nullum heic discrimen faciant quoad hos vel illos, sed promiscue omnibus eam attribuant. 1. Joh. III. 2. 1. ad Cor. XIII. 12. Ecquî possit, quando Deus videtur & cognoscitur, sicuti est, cognitio illa intendi aut remitti, tamen ut clara maneat & intuitiva? P. Mus. lib. de Æt. Beat. §.41. & 58. Baj. Comp. 379. 386.

Beatorum intellectus cognoscet, & non cognoscet libera Dei hominumq; decreta.

Beatorum intellectus cognoscet libera Dei hominumq; decreta, intercedente peculiari revelatione, si Deus eam communicare voluerit: ubi lumen gloriæ pariter intellectum aptum reddet atque idoneum, ut absque ulla dubitatione assentiatur. *Et non cognoscet illa*, per ipsam nempe visionem beatificam. Mus. l. c. §. 41.

Beatitudo consistet, & non consistet in una DEI clara visione.

Beatitudo essentialiter, seu quoad essentiam suam, *consistet in una Dei clara visione*: hac enim consequemur & possidebimus Deum, ut summum bonum: hæc per se expetitur, & per se etiam expetenda esset, si (quod fieri tamen non potest) summus Dei amor auferretur: hæc primus beatitudinis conceptus est: hæc naturæ intelligenti quam optime congruit: hæc denique excellentissimi objecti est contem-

contemplatio. *Et non consistet in illa* sola, si quoad integritatem, vel partes integrales, consideratur: Sic enim est totum quid per aggregationem, & includit omnes qualitates sive perfectiones, quæ corpus & corporis potentias ornabunt, quales sunt corporis & sensuum glorificatio, impassibilitas, immortalitas, agilitas, & similes aliæ. Hoc modo beatitudinem ex Boëthii lib. III. de Consolat. vocabimus *statum omnium bonorum aggregatione perfectum*. Id §. 54. & seqq.

Beatitudinis dabuntur, & non dabuntur diversi gradus.

Beatitudo cœlestis, eaque futura, potest spectari vel ratione essentiæ, & prout consistit in visione intuitiva sive cognitione intima Dei, cum qua conjunctus est amor erga Deum ardentissimus, & gaudium ineffabile; vel ratione accidentium, & ut resplendet in variis corporis ornamentis. Posita hac distinctione, dicunt, ratione accidentium *datum iri diversos beatitudinis gradus*: ut enim *alius decor solis, alius decor lunæ, & alius decor stellarum, stella enim stellæ præstat decore, ita erit & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. XV, 41. Quibus verbis ajunt clare significari, sicut alia astra majorem, alia minorem lucem habent, ita quædam beatorum corpora luce ac splendore aliis præstitura esse. *Non* autem *datum iri* ratione essentiæ: sic enim æqualem fore in omnibus beatis, prout & lumen gloriæ æqualiter omnibus communicabitur. Bechm. in Annot. uber. in Comp. Hutter. p. 903.

Beati erunt, & non erunt in loco.

Beati homines *erunt in loco*, metaphysico scilicet, h. e. certo ubi & spatio, moli ac dimensioni suæ proportionato, quandoquidem non futuri sunt nullibi, aut ubique

in ſpatiis infinitis. Unde & Salvator noſter diſcipulis ſuis ait: *In domo Patris mei habitationes multæ ſunt; alioqui dixiſſem vobis*, ſi aliter eſſet. *Proficiſcor paraturus vobis locum: & quum profectus fuero, & paravero vobis locum, rurſus veniam, & aſſumam vos ad me ipſum: ut, ubi ego ero, & vos ſitis.* Et *non erunt in loco*, phyſico & tali, qualis ſublunaribus competit, quique conſervare, ſuſtinere & fovere locatum debet. Raupp. L. de Vita æterna p. 301.

Corpora beatorum erunt, & non erunt inviſibilia.

Corpora beatorum erunt inviſibilia oculis non glorificatis, & dum non videbuntur neceſſario. *Et non erunt inviſibilia*, ratione oculorum glorificatorum, & ſi Deus peculiari diſpenſatione unum vel alterum illorum conſpiciendum præbere vellet oculis eorum, qui beatæ gloriæ non ſunt participes. Bechm. in Annot. uber. in Comp. Hutt. p. 901.

Etiam in hac vita offeruntur, & non offeruntur hominibus dona æterna.

Dona æterna offeruntur & exhibentur *hominibus etiam in hac vita*, objective nimirum, & in ſe talia, ut Dei gratia, meritum Chriſti, remisſio peccatorum, filiatio divina, vita beata. *Et non offeruntur* exhibenturque *dona æterna*, ſubjective, & in eorum poſſeſſoribus ſpectata, quia non omnes homines, quibus dantur & donantur, ſemper ea & immutabiliter retinent, ſed multi a fide deficiunt, eorumque damnum patiuntur. Carpz. Iſag. in LL. Symb. p. 747.

* *Vitæ æternæ forma nobis in hac vita eſt comprehenſibilis, & incompre- henſibilis.*

Vitæ æternæ forma, quæ conſiſtit in ſumma felicitate, gloria ac beatitudine, qua electi ab omnibus malis liberati ac liberi, corpore & anima pleniſſime & jucundiſſime in omnem æternitatem perfruentur, *nobis in hac vita eſt comprehenſibilis,* ſecundum quid, & prout tantam de ea notitiam habemus, quantam DEUS O. M. in verbo ſuo nobis revelavit. Eadem vero etiam eſt *incomprehenſibilis,* & ineffabilis, ſi de accurata, quidditativa, & ſcientifica cognitione agatur. Gerh. L. de Vita æt. §. 48. 49. & ex eo Raupp. L. eod. p. 281. ac Brochm. p. 7052.

* *Nullum malum opus damnat.*

Ante promulgatam primam promiſſionem evangelii, peccatum ſimpliciter fuit mortis meritorium: poſt factam autem ſponſionem Filii Dei ad ſatisfaciendum pro pomine, nulla peccata ſimpliciter & immediate ſunt inductiva mortis, ſed ſecundum quid & mediate, ſi expiatio peccatorum non applicetur fide, ſed repudietur per incredulitatem. Et hoc eſt, quod Lutherus dicit in lib. de Libert. chriſt. *nullum malum opus damnare,* ſed ſolam incredulitatem. Ubi non conſiderat opus malum abſolute & in ſe, qua malum eſt, ſed reſpective, in relatione ad expiationem ſanguine Chriſti factam, qua omnia peccata expiabilia fecit, ut, licet in ſe mereantur mortem, tamen non eveniat ipſis damnatio, niſi per incredulitatem venia & remiſſio peccatorum impediatur. *Judicium Chriſti condemnat infideles,* inquit Chemnitius, c. 28. Harm. Evang. p. 160. non proprie, quia peccârunt; potuiſſent enim remiſſionem peccatorum in evangelio oblatam recipere, ſed quod magis

gis dilexerunt tenebras, quam lucem. Immo incredulitas ipsa, prout est meritoria damnationis, non immediate damnat, sed prout est impedimentum apprehensionis meriti Christi. Ob peccata reliqua merentur homines damnationem, sed damnatio ipsa non evenit, si eorum expiatio a Christo facta, per fidem applicetur in justificatione: incredulitas autem, prout est privatio medii, damnationem promeritam avertentis, inducit eventum damnationis. Henric. Müller in Theol. Scholast. c. 14. p. 190. 191.

Deus est, & non est causa damnationis.

Deus est causa vel auctor *damnationis* triplici ratione: (1) quia locum inferni paravit. Matth. XXV. 41. (2) quia impios inferno adjudicat. Joh. III. 15. 36. (3) quia ipse horrendas istas, sed justissimas pœnas infligit. 2. Pet. II. 4. 2. Cor. V. 10. *Et non est causa damnationis*, neque quatenus est damnatio & ipsa perditio, Hos. XIII. 9. neque ut medium, huc ducens, peccatum est. Ps. V. 5. Jac. I. 13. neque ex absoluto beneplacito: Consequentis enim, non antecedentis voluntatis divinæ hic actus est, quo fertur in pœnam impiorum, adeoque præcognitorum, quatenus tales sunt; neque influxu positivo speciali, quo voluntas damnatorum determinetur ad ea, quæ moraliter mala sunt. Brochm. L. de Inferno c. I. Sect. III. p. 7032. Baj. Comp. 414.

Inferni ignis erit, & non erit proprie dictus.

Inferni ignis erit verus & *proprie dictus*, ob expressam Scripturæ literam, a qua recedendi nulla apparet necessitas. Nam Mar. IX. 43. gehenna describitur per *ignem inextinctum*; &, ne ulla dubitandi ratio relinquatur, hoc ipsum mox repetitur in vers. seq. quando dicitur, quod *ignis ibi*

non

non extinguatur. Adde Matth. XXV, 41. ubi ipſa Judicis ſententia ſic fertur, ut execrati jubeantur abire in ignem æternum, qui paratus diabolo & angelis ejus. *Et non erit proprie dictus*, ſed tropicus, conſiſtens in angore & horrore: *ibi enim erit fletus & ſtridor dentium*, Matth. XXII. 13. fletus præ triſtitia, Eſ. LXV. 14. ſtridor dentium autem ex impatientia dolorum & invidia erga beatos, Pſ. CXII. 10. *afflictio & anguſtia in omnem animam hominis perpetrantis malum*, Rom. II. 9. *nec habebunt requiem die ac nocte*, Apoc. XIV. 11. ita ut *vermis eorum non moriturus, & ignis eorum non extinguendus ſit*, Mar. IX. G. Calixt. de Bono perf. ſummo p. 48.

Deus poteſt, & non poteſt dici cauſa peccati per accidens.

Deus dici poteſt cauſa peccati per accidens, quando loqueris de cauſa per accidens ex parte non cauſæ, ſed effectus, & quidem talis, qui heic loci non dicatur caſualis & fortuitus. Porro ut terminus *per accidens* ſit ac habeatur terminus, ut in ſcholis loquuntur, diminuens & alienans, veramque & propriam cauſam negans, ac pernegans, ita, ut hæc propoſitio, *Deus eſt cauſa peccati per accidens ex parte effectus*, non alium, quam hunc habeat ſenſum: Deus non eſt cauſa ipſius peccati, ſed tantum effectus, cum quo peccatum, præter Dei intentionem, & absque ullo ejus influxu, conjungitur. Ut in furto, Deus concurrit ad extenſionem manus hominis furantis, ſed non ad ablationem rei alienæ ſeu peccatum ipſum, quod cum effectu, ſeu extenſione illa manus, per accidens copulatur. *Et* ſic ſe res habet in omnibus aliis peccatis. *Non* autem *poteſt dici cauſa per accidens peccati* Deus benedictus, ſi cauſæ per accidens ullam ſive phyſicam, ſive moralem cauſalitatem ineſſe ſtatuas. Nam Deus non eſt cauſa phyſica peccati, quia *De Peccato.*

peccatum non in classe entium realium, sed privationum continetur; neque etiam moralis, quia non vult, nec suadet, nec præcipit peccatum, nec hominem ad illud determinat & necessitat, nec deniqne actionem hominis dirigit ad objectum, a quo ea formaliter & per se habet, ut sit peccatum. Kesler. in Quadriga discurs. theol. item Theologi Jenens. Ausführl. Erklär. p. 310. Calov. Exegem. A. C. art. XIX. n. 6. & seqq. Fabric. Syst. Theol. 264.

Homo per peccatum originis determinatus, & non determinatus est ad peccati actus.

Inter effectus peccati originalis recensentur etiam peccata actualia specie & numero multa. Sed quæritur, an homo per peccatum originis, seu corruptionem naturæ, ad illa determinatus sit, nec ne? Utrumque dici potest, dummodo distinguatur inter determinationem confusam & distinctam, & inter aliquos, ac certos in individuo peccati actus. Nempe enim *homo per peccatum originis ad* aliquos *peccati actus*, confuse *determinatus est*, ita ut, si in statu regenerationis sit, saltim a peccatis quotidianæ incursationis, ut Tertullianus appellat, seu peccatis imbecillitatis humanæ & ignorantiæ: si autem non renatus sit, a peccatis actualibus in genere, non possit sibi plane cavere. *Non* autem *determinatus est* distincte, ad hunc vel illum in individuo peccati actum, sed, si quem suscipit, libere suscipit, ita ut eum omittere potuerit. Bajer. Comp. 520.

Peccata infirmitatis possunt, & non possunt deponi.

Si sermo est de fidelibus, eoque, quod fieri potest per gratiam Dei, modo illi donis sacro in baptismo acceptis recte velint uti, Deique auxilium ardentissimis invocare precibus, & devoto S. cœnæ usu sese excitare ad serium studi-

ſtudium bonorum operum, an dubites aſſerere, *peccata infirmitatis*, ut cenſentur, aliqua *deponi* & corrigi poſſe? Qualia ſunt ira ſubita, proclivitas ad deierationes & exſecrationes, item ſuſpiciones ac interpretationes pravæ, & præcipitantia in judiciis de proximo ſiniſtris, &c. Huc enim etiam tendere videntur adhortationes apoſtolicæ de ſectanda majore perfectione, deponendo veteri homine, crucifigenda carne, & facienda peccato reſiſtentia. Quo usque autem ſeſe extendat hæc depoſitio, in puncto mathemathico non poteſt oſtendi aut præſcribi, ſed hoc relinquendum expertis, qui in luce ſtant & ambulant, & ſtudent obſervare Pauli monitum, quod extat in ep. ad Hebr. XII. 1. *Proinde nos quoque, abjecto omni pondere, & peccato ad nos circumcingendos proclivi*, ſeu nos in periculum adducere apto, *per tolerantiam propoſitum nobis ſtadium decurramus. Non* autem *deponi poſſunt* in univerſum omnia, certe non juxta illecebras, quæ nobis invitis oboriuntur: Nam *ſi dixerimus*, ait Johannes, *nos peccatum non habere, nos ipſi fallimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. ep. c. I. 9. Hinc quotidie tenemur rogare Patrem noſtrum cœleſtem: *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Matth. VI. 12. Gerh. in Schola piet. lib. I. c. 6. p. 132.

** Peccatum eſt, & non eſt nibil.*

Magnum, ait Philippus l. 4. Dialect. p. 325. *diſcrimen eſt privationis & negationis. Nibil negative, ſignificat talem interitum, ubi nec ſubjectum reliquum eſt, ut Alexandri equus jam nihil eſt, negative. Nam & cadaver diſſipatum eſt in auras. At privatio eſt deſtructio bonæ rei in ſubjecto, quod reliquum eſt, aut eſt abſentia rei bonæ, quæ competit ſubjecto, quod ſupereſt, ut cœcitas eſt amiſſio viſus in oculis.* Jam *peccatum eſt nibil*, privative, quia ingentis boni deſtructio eſt, & ordinis confuſio in voluntate & corde, cujus confuſio-

nis causa fuit ipsa voluntas hominis, avertentis se a DEO. *Et non est nihil*, negative, quia subjectum ejus non est nihil, sed manet reliquum, contaminatum quidem, & propterea a Deo juste rejicitur, ut coquus rejicit ollam rimosam. Hutter. in LL. p. 233.

* *Peccati formale est, & non est reatus culpae & poenae.*

Peccati, respective & in ordine ad subjectum, quod afficit, eique denominationem tribuit, considerati, *formale est reatus culpae & poenae*: nam per reatum peccati, homo constituitur coram DEO injustus, filius irae, & aeternae damnationis reus. *Et non est reatus culpae & poenae*, si peccatum consideratur absolute, & in se: sic enim formale peccati est ἀνομία, seu carentia conformitatis cum lege; materiale autem id, cui accidit illa ἀνομία. Joh. Musaeus in disp. de Peccato. §. 14.

* *Protoplasti peccato originali fuerunt, & non fuerunt subjecti.*

Subjecti fuerunt peccato originali, suo modo, quatenus corruptio illa, quae in nobis est, & peccatum originale dicitur, revera in illis post lapsum sedem habuit, ceu patet ex Gen. III, 7. *Cognoscentes* enim *se esse nudos*, senserunt inordinatam & ignominiosam concupiscentiam recens contractam. Unde profecto carentia justitiae originalis colligi potest. Sed ei *non fuerunt subjecti*, proprie loquendo, quia illa corruptio ab origine naturae ipsorum, atque ab initio existendi, illis non adfuit. Bajer in Compend. Theol. pos. pag. 512.

* *Pecca-*

* *Peccatum originis est, & non est tantum privativum.*

Est tantum privativum, si abstractive & formaliter sumitur, sive prout notat privationem rectitudinis, a lege requisitæ, quæ inesse debebat facultatibus aut actibus hominum. Quo respectu a Johanne 1. ep. III, 4. ἡ ἁμαρτία definitur esse ἀνομία, & sic nihil positivæ entitatis aut realitatis involvit. *Non est* autem *tantum privativum*, sed simul etiam positivum quid, si sumitur concretive & materialiter, h. e. ut præter illam privationem justitiæ, seu conformitatis cum lege carentiam, involvitur etiam subjectum, cui privatio illa adjacet. Posteriorem hanc vocis acceptionem respiciunt ex Nostratibus illi, qui peccatum originis vocant qualitatem positivam, eoque magis sic loqui amant, quo tenacius peccatum originis, potentiis aut actibus positivis adhæret, ut neque adeo notabile discrimen inter materiale & formale sæpe appareat, & Scriptura ipsa, loco formalis, frequenter materiale substituat. Ubi tamen simul etiam notandum, non intelligere illos ista secundum ἀκρίβειαν methaphysicam, quasi peccatum exquisite & per omnia sit qualitas positiva, sed terminum istum usurpare ἐν πλάτει, vel in quadam latitudine, sic, ut ἁμαρτία illa εὐπερίστατος ens positivum dicatur, potissimum ob constantem adhærentiam, & profundam corruptionem, non secus atque morbus corporis non modo privatio sanitatis est, sed etiam positio pravæ dispositionis, & vitia animi virtutibus opponuntur non privative tantum, verum etiam contrarie. Quæ omnia ad mentem Menzeri, Meisneri, Graueri, & Gerhardi docet Dürr. in Observat. ad Aug. Conf. p. 180. 181.

** Peccatum originis & pœna est, & peccatum.*

Peccatum originis pœna est, quatenus est privatio justitiæ originalis, tanquam boni utilis & jucundi. Idem vero etiam, & vere *peccatum est*, quatenus est privatio justitiæ originalis, tanquam boni moralis. Carpz. in Isag. in LL. Symbol. p. 152.

** Peccatum originis est, & non est naturale.*

Est naturale, in oppositione ad peccatum accersitum & personale, quoniam cum natura trahitur, non vero a pridem natis acquiritur, & est vitium naturæ potius, quam personæ, eo processu exortum, ut primum quidem in Adamo persona infecerit naturam, postea autem natura vitiata infecerit personam. *Non est naturale*, si per naturale intelligas, quod est pars naturæ, aut ex natura profluit. Chemnit. Part. 1. LL. p. 223, & Æg. Hunnius in volum. Theol. Dispp. disp. 6. th. 40.

** Peccatum originis & alienum est, & cujusque proprium.*

Alienum, qvoniam aliena voluntate est introductum: *per unum* namque *hominem peccatum in mundum intravit*, h. e. fluxit in universam ejus progeniem, perinde ut mors; ab Adamo nempe in filios, a filiis ad nepotes, per nepotes ad pronepotes, per hosce ordine suo ad reliquos posteros, ut junctim & indivulse nunc quidem disseminentur natura & contagium peccati. Non autem alienum est, sed *cujusque proprium*, quoniam in iis hæret, quibus imputatur, ipsa generatione ad singulos una cum natura propagatum. Parens meus in System. p. 315.

* *Peccatum originis eſt, & non eſt actuale.*

Actuale dicitur peccatum dupliciter, 1. cauſaliter atque effective. 2. formaliter, & in ſeſe. Priori modo actuale idem eſt atque actuoſum, activum, operoſum, non ceſſans: poſteriori vero, actus eſt contradiſtinctus ſuo habitui, ex quo fluit. Jam *peccatum originis eſt actuale*, juxta priorem acceptionem: nimirum propter efficientiæ ſuæ vim, & quia perpetuo actuoſum eſt, atque actiones malas, ſive προαιρετικῶς, ſive ἀπροαιρέτως producit. *Non* autem *actuale eſt*, poſteriori modo. Sic enim peccatis actualibus, tanquam effectis & fructibus, aut potius zizaniis ſuis contradiſtinguitur. Carpzov. Iſag. in LL. Symb. p. 156.

* *Peccatum originis eſt accidens ſeparabile, & inſeparabile.*

Eſt accidens ſeparabile, quoad gratiam DEI, & futuram vitam. Idem *eſt accidens inſeparabile*, quoad nos & vires noſtras, immo etiam quoad hanc vitam. Vide Andr. Poach, in Conſilio ad Joh. Guilielmum, Ducem Sax. cujus excerptum exſtat apud Portam in Paſtorali p. 179. & 180.

* *Concupiſcentia pertinet, & non pertinet ad peccatum originis.*

Concupiſcentia poteſt dupliciter conſiderari: 1. ut continet motus vel actus a potentiis humanis prodeuntes, & exactiſſimæ legis divinæ normæ adverſantes, v. g. motus inordinatos diffidentiæ erga Deum, puſillanimitatis in rebus adverſis, iracundiæ, libidinis. Habetque hæc acceptio fundamentum in loco apoſtolico Rom. VII, 10. *Non facio bonum, quod volo, ſed malum, quod nolo, hoc ago.* Ad quæ verba vide, quid commentetur auctor Conſtitutionis

Eccleſ.

Eccleſ. Norimb. in Libris Normal. Norimb. p. 1670. 2. ut continet vitioſos motus & inclinationes, præter, ac contra voluntatem hominis obrepentes. Quo ſenſu Apoſtolus jam jam laudatus, qui verſ. 19. dixerat, *facere ſe malum*, verſu ſtatim ſequente ait, *ſe non operari malum*, puta voluntario mentis conſenſu & approbatione. Unde Chemnitius L. de Peccatis actual. num. 4. adducit diſtributionem graduum in peccatis, quæ a veteribus tradita ſit, quorum primus ſit *fomes*, ſeu depravatio inhærens, quæ complectatur etiam defectus : ſecundus *ſuggeſtiones* cogitationum & affectuum, id eſt, quando depravatio originalis moveat ſe aliqua inclinatione: tertius *delectatio*: quartus *conſenſus*: quintus ipſum *opus*; & poſtea ait : *Ex his gradibus primi duo pertinent ad originale: reliqui tres ad actuale peccatum.* Nec minus perſpicua ſunt, quæ paulo poſt ſubjicit : *Concupiſcentia, ſive inclinationibus moveatur, ſive flammis affectuum tumultuetur, pertinet ad peccatum originale. Actualis vero concupiſcentia*, Coloſſ. III. 5. *eſt, quando accedit delectatio, conſenſus &c.* Itaque jam dicimus, quod *concupiſcentia* juxta poſteriorem acceptionem *pertineat ad peccatum originis : non* vero juxta priorem. Dürr. in Obſerv. ad A. C. p. 181. 182.

* *In baptiſmo tollitur formale peccati originalis, & non tollitur.*

In baptiſmo tollitur formale peccati originalis, quando per formale intelligitur culpa & reatus peccati. Atque hæc tolli dicuntur, quando condonatur culpa, & ab obligatione ad pœnam homo abſolvitur. *Non* autem *tollitur* ejus formale, ſi per formale intelligitur ἀνομία. *Duplex* enim, inquit Chemnitius Tom. 1. LL. Theol. p. 237. *eſt formale peccati originalis, in prædicamento qualitatis, & relationis*

lationis. In baptismo formale relationis plenaria remissione tollitur: formale vero qualitatis incipit quidem in baptismo mortificari & sanari, non autem omnino tollitur. Nam manere morbos & defectus, id est, formale qualitatis, manifestum est ex Scripturæ testimoniis.

Solum, & non solum peccatum originis regnat.

Peccatum regnare dicitur, quando homo ei morem gerit, indulgendo pravis cupiditatibus, & membra sua, id est, omnes animi corporisque sui vires, peccato, velut domino, mancipat. Hoc autem pertinet, ex communi Doctorum sententia, *ad solum peccatum originis*, de quo intelligendum ajunt Apostoli dictum ad Rom. VI, 12. *Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis. Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato. Non* autem illud *solum regnat,* in quantum a nonnullis & peccata habitualia, crebris actionibus acquisita, dominari & regnare in hominibus dicuntur, quoad usque non minuuntur, sed vigent, & ad frequentanda actualia peccata stimulant. Bajer. Comp. 527.

Peccatum originis reddit, & non reddit hominem mortuo similem.

Peccatum originis reddit hominem mortuo similem, quoad actiones vitæ spiritualis: nam sicut mortuus aliquis, per separationem animæ a corpore, impotens est ad eliciendos exercendosque actus vitales, ita homo per privationem justitiæ originalis, in qua formaliter peccatum originis consistit, destituitur omnibus plane viribus ad actus & motus spirituales. Atque ideo mortuus dicitur in lapsibus & peccatis, ad Eph. II, 1. mortuus in offensis, ℣. 5. *Et non reddit hominem mortuo similem,* sed potius vivum &

valde actuosum, videlicet ad vitam a DEO alienam, Eph. IV, 18. ad vitam hujus seculi & faciendas cupiditates carnis. cap. II. 3. Ratio hujus rei est, quod facultates animæ, quamvis careant viribus ad vitam Deo placentem necessariis, non tamen omnem vim vitalem perdiderunt, sed sectantur aliam vitæ rationem, a priori, quam imago divina largiebatur, plane diversam. Quanquam hæc vita vitæ nomine indigna est, & miserrima. Id. 496.

** Peccatum actuale est voluntarium, & non est voluntarium.*

Peccatum actuale dupliciter accipitur, stricte nimirum, & late. Stricte acceptum id dicitur, quod est voluntarium, sive quod aliquis contra legem delinquendo addit ad illud, quod nascendo traxit, interveniente voluntate, ejusque deliberatione & consilio. Late vero acceptum, complectitur quoscunque motus & actiones, sive internas, sive externas, cum divina voluntate pugnantes, licet citra προαίρεσιν, & inconsulto ac indeliberate, quin vel ab invitis proficiscantur. Juxta strictiorem itaque vocis acceptionem *peccatum actuale est voluntarium*; juxta latiorem vero, peccatum actuale etiam illud dicitur, quod *non est voluntarium.* Atque hoc posteriore modo & infantibus peccata actualia adscribuntur, minime autem priore illo. Unde Philippus in LL. Commun. qui quidem exstant in Libb. Normal. Norimb. p. 674. ait: *Pueri moriuntur, qui nondum admiserunt peccatum, quod vocant actuale.* Vid. Parens meus in Syst. Theol. p. 320. & Zeidler. in Diss. de Peccat. actual.

** Omne, & non omne peccatum est mortale.*

Mortale dicitur, vel quod morte dignum est, aut mortem

tem meretur, vel quod mortiferum eſt, & peccanti, actu ſecundo ad mortem imputatur. Quando ergo jam dicitur, *omne peccatum eſt mortale*, intelligendum eſt, omne peccatum mereri mortem, ſeu morte dignum eſſe. Quando autem additur, *quoddam peccatum non eſſe mortale*, ſenſus eſt, quoddam peccatum, e. g. veniale, licet per ſe morte dignum ſit, non tamen eſſe mortiferum, nec ad mortem peccanti imputari. Chemn. in Part. 3. LL. de Diſcrim. pecc. mort. & ven. p. 107.

* *Peccata inter ſe ſunt paria, & non ſunt paria.*

Paria inter ſe ſunt, & conveniunt, eo quod omnia ſunt ἀνομία ſeu aberratio a lege Dei, & ſua natura ſupremum Legislatorem offendunt, ac delinquentem conſtituunt æternæ reum condemnationis. *Non* autem *ſunt paria*, quia unum altero longius a norma legis recedit, & ratione objecti, cauſæ, perſonæ, loci, modi, finis, aliarumque circumſtantiarum, aggravatur, ac plus in ſe habere vitii flagitiique æſtimatur, atque adeo etiam magis ſummum lædit cruciatque Legislatorem. Secundum quam gravitatem, æternam quoque pœnam quoad intenſionem exaſperatum iri, credimus ex Matth. V. 22. & c. XI. 22. 24, Chemn. in part. III. LL. p. 108. & Fabric. Syſt. 305.

Peccatum cordis gravius, & non gravius eſt peccato oris, & operis.

De peccatis cordis, oris & operis ſermo eſt Matth. V, 21. 22. 28. & c. XV, 19. Cumque primæ ſpeciei peccata ſint *incboata*, duarum autem reliquarum *conſummata*, an non mirum dictu videtur, *peccatum cordis* eſſe *gravius peccato oris, & operis*? Attamen veriſſime hoc dicitur de quibusdã cordis peccatis, e. g. de odio habituali erga proxi-

mum innocentem, aut inveterato nocendi conatu: quæ ſane majora ſunt peccata, & vehementiorem merentur pœnam, quam reſponſum aſperius, quod inſons effutiit, adverſus injuriam inferentem, aut exceſſus aliquis in ſui tutela commiſſus, vel leviculum vulnus alteri præter intentionem inflictum. *Et non eſt gravius*, ſi peccata cordis, oris & operis ſpectantur, ut ſubordinata. Bajer. in Comp. 548.

Omnia, & non omnia peccata in DEUM committuntur.

Omnia peccata in DEUM committuntur, ſaltem mediate & indirecte, ut quando aliquis peccat in proximum, aut ſe ipſum: Omnia enim ac ſingula Dei offenſam important, quia ſunt ἀνομίαι, ſeu violationes ſanctiſſimæ legis ab univerſi Domino latæ & ſancitæ. *Et non omnia* immediate & directe *in DEUM committuntur*, ſed ſic quædam in proximum, alia in nosmet ipſos. Cellar. diſp. de Peccato. §. 17.

Peccatum in Spiritum S. eſt, & non eſt remisſibile.

Peccati in Spiritum S. diverſæ ſunt ſpecies: nam peccari in eum poteſt vel reſiſtendo, vel eum contriſtando, vel alio offenſionis modo. *An autem ex nobis ullus eſt, qui gloriari poſſit, ſe nunquam deliquiſſe contra Spiritus S. illuminationem, mentibus & conſcientiis noſtris factam? An nunquam egimus adverſus ejus motus & directiones? Nonne peccat contra Spiritum S. qui contra eum concupiſcit? Sed ubi eſt ille Chriſtianus, in quo caro non concupiſcit contra ſpiritum? Væ nobis, ſi nullum, quod adverſus Spiritum S. committitur, peccatum, unquam remittitur!* verba hæc ſunt Joh. Deſpagne Tom. III. Oper. in Schibboleth p. 28. Enim-

vero

vero *peccatum in Spiritum S.* de hac vel illa jam dicta specie acceptum, interveniente seria pœnitentia, omnino *remissibile est*: nam quis credat aut dicat, omnes illos Israëlitas, qui *rebellârunt, & dolore affecerunt Spiritum sanctitatis DEI*, ut Esaias loquitur c. LXIII. 10. ab omni misericordia, & peccatorum remissione exclusos fuisse? Immo ipse Propheta subjungit, *Deum eorum benigne recordatum esse, & Spiritum suum ipsis dedisse ductorem.* *Non* autem *remissibile est*, si de certa illa specie intelligitur, de qua Christus loquitur Matth. XII, 31. 32. dicens: *Blasphemia in Spiritum S. non remittetur hominibus. — Quisquis fuerit locutus adversus Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Hoc igitur peccatum oportet esse *blasphemiam*, seu convitium, & quidem *in Spiritum S.* cujus ope & virtute vera patrantur miracula, ita ut blasphemans, ea, quæ novit, non nisi a Deo profecta esse, nihilominus tamen ex pura puta malitia, uti heic faciebant Pharisæi, Satanæ adscribat, & execrandam hanc animi perversitatem, quam in Pharisæis quasi coram videre (scivit enim cogitationes eorum, ℣. 25.) ac prædicere, promeritamque pariter pœnam indicare poterat Christus, obstinatissime retineat & nunquam deponat. In quem sensum si quisquam, certe Balth. Cellarius, meus olim in hoc Athenæo præceptor & hospes, pro ea qua pollebat ἀκριβείᾳ & integritate, rectissime peccatum hoc in Spiritum S. ita descripsit, *esse talem blasphemiam, qua doctrina cœlestis operaque vere divina ad confirmationem ejus spectantia, ex mera malitia, diabolo adscribuntur, cum oblectatione & voluntate perseverandi.* Disp. de Peccato §. 18. *Quatenus itaque* (ut ibidem addit) *peccatum hoc finalem impœnitentiam includit, remissionem non potest non excludere, adeoque peccatum irremissibile erit, seu tale, quod nunquam remittetur.*

Christus est, & non est primogenitus creaturarum.

De Christo. *Primogenitus* quis dicitur vel proprie, qui inter plures ejusdem naturæ fratres primum natus est, ut Gen. XXII, 21. XXV, 13. & alibi; vel improprie, qui inter plures habet præeminentiam. *Christus* igitur *est*, atque ita etiam vocatur in epist. ad Coloss. I, 15. *primogenitus creaturarum*, vocabulo *primogeniti* improprie accepto, quia (ut loquitur Seb. Schmid. in paraphrasi) ita natus est, ut per nativitatem primus sit ac præcipuus præ omnibus creaturis, infinite eas in omnibus superans, natura videlicet, majestate, duratione, operibus, officio, & aliis rebus, quippe qui ejusdem cum Patre est essentiæ. Quo sensu in Lutheri translatione rectissime dicitur der Erstgebohrne vor allen Creaturen. Idem tamen *non est primogenitus* creaturarum, si proprie vocabulum illud accipiatur: nam creaturæ non habent eandem cum Filio Dei naturam. Hæc dignitas, natum esse ex Deo ab æterno, solius est λόγου, Salvatoris nostri, qui est splendor gloriæ Patris, & character personæ ejus, Hebr. I, 3. & hinc non primogenitus, sed unigenitus Dei vocandus, ex Joh. I, 14. 18.

* *Tota natura divina est incarnata, & sola persona Filii est incarnata.*

Tota natura divina dicitur *incarnata*, non quia est incarnata in omnibus personis, sed quia personæ incarnatæ nihil deest de perfectione divinæ naturæ. *Et sola persona Filii* prædicatur *incarnata*, personam Filii opponendo non naturæ divinæ, sed reliquis in Trinitate personis. Quamvis ergo persona & natura τοῦ λόγου realiter distincta non sint, formaliter tamen & secundum nostrum concipiendi modum differunt, ideoque personam primo & im-

& immediate, naturam vero non nisi mediante persona carnem assumsisse dicimus. Raupp. in L. de Perf. & Incarnat. Christi p. 111.

* *Humana Christi natura habet, & non habet suam subsistentiam.*

Subsistentiæ nomen æquivocationi obnoxium est. Vel enim notat actualem essendi modum, qui opponitur modo essendi in alio, tanquam in subjecto inhæsionis; cujusmodi subsistentia in ipsa definitione & essentiali conceptu cujusvis substantiæ, ut talis, includitur: vel magis stricte significat ultimum terminum substantialem, quo omnis substantia individua in existendo ita completur, ut per se & sine omni alio sustentante, actu existat; qualis subsistentia in ratione substantiæ non actu, sed aptitudine tantum includitur, ad suppositum autem necessario requiritur, a quo non aliter differt, nisi ut abstractum a concreto: atque hinc dicitur etiam *suppositalitas*, &, si in natura sit intelligente, *personalitas*. Priore modo *humana Christi natura*, hoc ipso, quod substantia est, non accidens, *habet suam subsistentiam*: nec enim existit in verbo, ut subjecto, cui inhæreat ad modum accidentis. Posteriore autem modo humana Christi natura *non habet* suam subsistentiam, sive, quod hîc eodem recidit, personalitatem propriam, atque hinc ultimo, & hypostatice est incompleta. Breviter: Substantia humanitatis Christi est ens per se subsistens, sed non ultimo. Parens meus in Syst. Th. p. 160. Rauppius cum Gerhardo hoc ita effert L. de Christo p. 142. Humana Christi natura est ἀνυπόστατος, non absolute & simpliciter, sed secundum quid, videlicet ratione propriæ subsistentiæ.

* *Et omnia, & quædam, & nulla idiomata divina communicata ſunt carni Chriſti.*

Omnia idiomata ſeu attributa *divina ſunt communicata carni Chriſti*, quoad κτῆσιν ſive poſſeſſionem, quoniam omnia ab humana Chrtſti natura in perſona τοῦ λόγου poſſidentur, quandoquidem tota plenitudo τοῦ λόγου carnem περιχωρεῖ, ac veluti templum ſuum replet. Et hîc valet canon theologicus: *Communicato uno idiomate communicantur omnia*; neque enim poſſunt a ſe invicem ſeparari, cum ſint ipſa indiviſibilis eſſentia divina. Sed & *quædam* tantum ſunt communicata, puta, quoad prædicationem immediatam, ſeu talem, quæ non mediante alio attributo fit; verum ita, ut ſtatim in caſu recto de carne Chriſti prædicari poſſint: qualia ſunt ἐνεργητικὰ, operantia, quæ operantur, e. g. Omniſcientia, Omnipotentia. Non enim tantum dicere licet: Caro Chriſti poſſidet omniſcientiam, omnipotentiam &c. ſed etiam: Caro Chriſti eſt omniſcia, eſt omnipotens &c. cum interim quieſcentia attributa, quæ non operantur, ut Æternitas, Infinitas, Immenſitas, Independentia &c. communicata ſint quoad ſolam κτῆσιν, ita ut non niſi in caſu obliquo prædicari poſſint, e. g. Caro Chriſti habet æternitatem, immenſitatem, ſibi videlicet inhabitantem ad poſſeſſionem, ſicut habet ſibi inhabitantem τοῦ λόγου divinitatem. Non enim in caſu recto dici poteſt: Caro Chriſti eſt immenſa, infinita, æterna. *Nulla* vero ei ſunt communicata, formaliter & ſubjective. Chemnit. de Duab. Nat. in Chriſto c. 23. Wigand. de Communicat. idiom. p. 217. J. Gerh. in peculiari orat. quæ ſubjuncta eſt Loco de Perſona & officio Chriſti, p. 189. & Scherz. in Breviar. Hülſem. aucto p. 399.

* *Propo-*

* *Propositiones personales possunt, & non possunt dici accidentales.*

Propositiones personales vocantur, quibus concretum unius in Christo naturæ enunciatur de concreto alterius naturæ, e. g. Deus est Homo, Homo est Deus, & similes. Atque hæ præpositiones alias dicuntur *inusitatæ*, quia in universa natura nullum datur exemplum, in quo duo disparata in casu recto proprie de se invicem prædicentur, aut citra manifestam falsitatem de se prædicari possint. Eædem vero *possunt dici accidentales*, quoniam eatenus ad modum prædicandi accidentalem referri possunt, quatenus in illis prædicatum est extra primum conceptum subjecti, nec per modum proprii ex eo fluit. *Et non possunt dici accidentales*, si deinde unio ipsa, quam, tanquam modum essendi, modus ille prædicandi sequitur, accidentalis esse credatur. Bajer in Comp. Theol. Pos. pag. 581.

* *Humana Christi natura est, & non est omnipræsens.*

Humana Christi natura, in statu exaltationis considerata, est omnipræsens, præsentia modificata, quæ cum operatione est conjuncta, & fundamentum habet in voluntate Christi. *Et non est omnipræsens*, per naturæ humanæ intrinsecam proprietatem, aut per aliquam ejus immensitatem. Hinc Chytræus in Orat. p. 487. scribit: *Quod de Ubiquitate quæritur, Dominum & Redemtorem nostrum JEsum Christum, Emanualem, non modo divinitate sua, verum etiam secundum humanam naturam vere præsentem adesse, ubicunque se verbo suo præsentem fore promisit, non dubitemus, nec debitam Christo veritatem & omnipotentiæ gloriam auferamus. Ubiquitatem autem illam prodigiosam, qua corpus*

Christi eodem modo, quo divinitas immensa & infinita, ratione suæ essentiæ aut proprietatis essentialiter communicatæ, ubique diffusum, & divinitati coëxtensum, vel prorsus exæquatum esse fingitur, toto pectore damnemus & execremur. Et Rungius in Disputationum aliquot Wittebergæ, A. 1606. impressarum quarta, de Ascensu Christi in cœlum &c. §. 135. *Censemus, in hoc mysterio de Christi præsentia in terris, mentes & linguas continendas esse intra metas vocis divinitus patefactæ, & sine illius expressa auctoritate ex meris ratiocinationibus, ab unione & sessione ad dexteram petitis, nihil asserendum, neque ociose de lapidibus & lignis, propter quæ Christus non est incarnatus, sed de cœna Domini, de Ecclesia, ejusque membris in medio inimicorum positis, disserendum, quomodo Christus illis adsit, quomodo credentes consoletur, regat, in medio hostium servet, ac denique salvet.* Hisce adde Form. Conc. & quidem Epit. artic. controv. c. 8. p. 787. Chemnit. de duab. Nat. in Christo c. 30. p. 188. Breviar. Hülsem. auct. p. 410. & Theol. Jen. Ausführl. Erkl. p. 542. & seqq.

Unio duarum naturarum in Christo, non est naturalis.

Unio duarum in Christo naturarum non est qualiscunque earum conjunctio, sed talis, qua natura divina, prout est Filii Dei natura, seu ut in hypostasi τῦ λόγυ subsistit, intra hanc ipsam hypostasin, citra commixtionem seu confusionem & conversionem, arctissime tamen & indissolubiliter, sibi conjunctam habet naturam humanam, & cum ea constituit unum ὑφιςάμενον, quod & verus Deus & verus homo est. *Neque* tamen hæc unio naturarum *naturalis est*, quoniam neutra natura ad alteram per se, aut per hoc, quod est talis natura, vel ad constituendam cum altero extremo unam naturam tertiam ordinatur. Bajer. in Comp. 579.

Recte & non recte dicitur, unum Christum esse duas naturas, & duas naturas unum Christum.

Unum Christum esse duas naturas, & duas naturas, unum Christum, recte dicitur, quia Christus non est tertium quid præter ambas, quibus constat, naturas. *Et non recte*, hoc sensu, quod, quæcunque de Christo prædicantur, de duabus naturis prædicentur. Ex eo enim multa sequerentur absurda. Gerh. L. de Christo §. 199.

Propositiones, in quibus de concreto personæ enunciatur concretum alterius, aut utriusque naturæ, sunt, & non sunt personales.

Personales propositiones proprie illæ vocantur, in quibus concretum unius naturæ enunciatur de concreto alterius naturæ, v. g. Deus est homo, Homo est Deus. Jam autem dantur etiam propositiones, in quibus de concreto personæ enunciatur concretum alterius, aut utriusque naturæ, e. g. Christus est Dei filius, Christus est homo, Christus est θεάνθρωπος. Et hæ similesque propositiones etiã *sunt personales*, quoniam & ipsæ habent aliquid inusitati. *Non* autem sunt *personales*, sed formales potius, in quantum utraque natura in formali conceptu *Christi* continetur. Bajer. in Comp. p. 584. & 588.

Christi persona est, & non est σύνθετος.

Persona λόγου post incarnationem, seu *Christi, est σύνθετος*, quia assumsit sibique in unitate personæ copulavit humanam naturam. Et sic illam vocârunt Dionys. c. 3. de Hier. eccl. Augustinus l. 13. de Trinit. c. 17. Gregor. M.

 homil.

homil. 38. in Evang. & Damascen. l. 3. c. 4. *Et non est* σύνθετος, si tibi σύνθετον idem est, ac compositum. At enim vero hæc duo longe a se invicem distant: nam σύνθετον non nisi simplicem conjunctionem denotat; Compositum autem talem duorum conjunctionem, quæ mutuam inclinationem habent ad tertium constituendum. Gerh. §. 121. & Carpzov. in Isag. p. 89.

Communicationis idiomatum genera sunt, & non sunt tria.

Tria sunt communicationis idiomatum genera, ut in Compendiis & Systematibus Protestantium communiter hodie numerantur: primum, in quo vel divina, vel humana idiomata de alterius, aut etiam utriusque naturæ concreto; secundum, quo majestas divina de Christo homine, aut ejus carne; tertium, quo actiones, aut nomina officii de Christo enunciantur. *Et non sunt tria*, sed unum, ut Majores nostri olim docebant, videlicet id, quod hodie primum genus dicimus; vel quatuor, ut numerat Brochmannus L. de Christo, primum nostrum genus in duas partes dispescens, ac primum communicationis genus vocans id, quo de tota persona, alterius naturæ propria enunciantur, e.g. *Christus passus est carne, Christus nobiscum est omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*: secundum, quo humana de Filio Dei prædicantur, ut: *Filius Dei tradidit se pro me, Deus manifestatus est in carne*. p. 781. & 783. Præterea est etiam in aliquibus Nostratium libris, quoad ordinem posteriorum duorum generum, differentia: nam quod nobis est secundum, in Formula Concordiæ tertio ponitur loco. Sed quod vocabula & appellationes attinet, faciles esse debemus, ut & quod ordinem, judice G. Calixto in Epit. p. 99.

In primo genere communicationis idiomatum datur, & non datur ἀλλοίωσις.

Quum duæ in Chriſto naturæ, ſint ἄλλο καὶ ἄλλο, ideo uni indiviſoque Chriſto diverſa competunt attributa κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, hoc eſt, ſecundum aliam atque aliam naturam. In quo conſiſtit ipſisſima ἀλλοίωσις, ſeu permutatio. Et hæc *in primo genere communicationis idiomatum datur*, prout, ſecundum Damaſcenum, nihil aliud eſt, quam ἀντίδοσις, qua de una eademque perſona, divina & humana realiter prædicantur, κατ' ἄλλο tamen, καὶ ἄλλο; quæ particulæ diſtinctivæ oſtendunt, ſecundum quam naturam unumquodque de ſubjecto prædicetur. *Et non datur*, qua pro nomine perſonæ ſubſtituitur nomen naturæ, ac talis in hiſce propoſitionibus fingitur tropus, quo aliud dicatur, aliud intelligatur. Gerh. §. 198. & J. Lud. Fabricius Tract. de Perſ. Chriſti p. 270.

Communitatio idiomatum eſt, & non eſt verbalis.

Communicatio idiomatum eſt verbalis, notificative, dum phraſibus, prædicationibus & loquendi modis, qui utique verbales ſunt, ſeu verbis conſtant, exprimitur. Unde & Lutherus, Melanchthon, Mart. Chemnitius aliique, eam *phraſin* vocant, & *prædicationem*. Sed intelligenda eſt prædicatio objectiva & realis, hoc eſt, illa proprietatum participatio verbis enunciatur, ſed verbis ſenſus ſubeſt, & ſenſui objectiva veritas, adeo ut commnnicatio idiomatum realis ſit, immo realiſſima. *Et non eſt verbalis*, excluſive, quaſi tantum eſſet verbalis prædicatio, nullum in re habens fundamentum. Mart. Chemnit. de II. in Chriſto Natur. c. 12. p. 61. Gerh. §. 158.

Vnio personalis est, & non est facta ad constituendum unum ὑφιςάμενον.

Vnio personalis est facta ad constituendum unum ὑφιςάμενον, quatenus hypostasi jam per se existenti alia natura, nempe humana, accessit & copulata fuit, quæ nullum aliud diversum ὑφιςάμενον constitueret. Et *non est facta* ad constituendum unum ὑφιςάμενον, quasi ex natura divina & humana τὸ ὑφιςάμενον cœperit fieri & existere, quod prius non erat, nec subsistebat; sicut ex anima rationali & corpore organico persona hominis oritur & existere incipit. Gerh. L. de Christo §. 133.

Est, & non est naturarum περιχώρησις.

In Christo, post factam incarnationem, *est* intima *naturarum* περιχώρησις seu immeatio, permeatio, insessio, immanentia, & circumplexio, (totidem enim vocabulis placuit interpretibus reddere nomen illud Græcum) eaque personalis, ob unitatem personæ. *Et non* est, essentialis videlicet, qualis datur inter personas divinas, ob unitatem essentiæ. Idem §. 121.

Tota, & non tota natura divina est in humana.

Tota natura divina in humana Christi *natura* est, quia totus λόγος est incarnatus, non autem aliqua duntaxat pars ejus. *Et non tota*, sed est etiam extra humanam naturam, quia nec divina per unionem transmutata, nec humana divinæ exæquata est, seu quia divina natura non est eadem cum humana, quum illa infinita sit, hæc finita, & neutra de alterius essentia. Et ita *Extra essentiale* admittit, cum quo nihil commercii habet *Extra Nestorianum*. Sic licet anima hominis & corpus sibi invicem arcte sint conjuncta, una tamen illarum partium est extra alteram: nec enim

cor-

corpus eſt intra definitionem animæ, nec anima in formali ſuo, ut loquuntur, conceptu includit corpus. Pari modo in ferro ignito ignis eſt extra ferrum, ferrum extra ignem: nec enim ignis conſtituit eſſentiam ferri, nec ferrum conſtituit ignem. Gerh. L. de Chriſto §. 43. 48. 52. & 121.

Humana Chriſti natura Trinitati eſt, & non eſt facta interna.

Difficultatem, quæ heic occurrit, tollit Gerhardus, diſtinguens inter id, quod eſſentialiter, & quod perſonaliter internum eſt Trinitati. Enimvero *humana natura* a λόγῳ aſſumta, *S. Trinitati facta eſt interna* perſonaliter, & ideo, quod ſecunda perſona divinitatis, carnem ſibi hypoſtatice univit. Si quis igitur carnem aſſumtam ſecluderet a conſortio Trinitatis, is eandem ſecluderet a conſortio verbi. *Et non eſt facta interna Trinitati* eſſentialiter, in quantum non eſt intrinſecus deificata, nec eſſentia Dei ex ea conſtituitur. Idem §. 121.

Caro Chriſti eſt, & non eſt omniſcia, omnipotens, vivifica.

Caro, ſive humanitas, vel humana natura *Chriſti* τῦ θεανθρώπε, *eſt omniſcia, omnipotens, vivifica*, per communicationem idiomatum divinorum, factam in unione hypoſtatica, ita tamen, ut illa formaliter & ſubjective ſint ac maneant in divina natura. Aliis dicitur *extrinſece omniſcia* &c. Ger. Wolt. Molanus, nunc Abbas Luccenſis, in diſp. inaugur. de Communicat. & prædicat. idiom. §. 65. laudata ipſi etiam Heideggero in vita J. L. Fabricii p. 56. *Et non eſt* talis, in & ex ſe ipſa, atque extra unionem hypoſtaticam, & quaſi divinitas Chriſti, facta prædictorum idiomatum communicatione, aliquod detrimentum ſenſerit, nec permanſerit, quod erat: vel nova & creata, adeoque alia omniſcientia, omnipotentia, & virtus vivificandi ſit in humani-

manitate Christi, quam in divina ejus natura; vel denique humana Christi natura per se sola operetur & exserat omniscientiam, omnipotentiam, & vim largiendi vitam spiritualem & cœlestem. Joh. Wigand. lib. de Comunicat. idiom. p. 216. & seqq. Jos. Hall in Gesselii H. E. tom. II. 649.

Christus quoad humanitatem est, & non est filius Dei naturalis.

Christus quoad humanitatem est naturalis Dei filius, si naturalis dicitur filius, qui a primo suo ortu talis est. Hinc Angelus dicit Mariæ: *Sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur filius Dei.* Luc. I, 35. *Et non est naturalis*, sed adoptivus, quia secundum carnem non est ejusdem cum Patre cœlesti essentiæ. Brochm. L. de Christo p. 823. & G. Calixt. in progr. anni 1643. quod veritatis causa, & in charitate opposuit amicissimo Collegæ suo, Conr. Hornejo.

Christus, ut Sacerdos, docuit, & non docuit.

Si officium Christi duplex esse statuitur, *Sacerdotale & Regium*, ut adeo sub Sacerdotali *Propheticum* comprehendatur, tunc dici potest, quod *Christus docuerit, ut Sacerdos.* Si vero dispescitur in tres partes, aliudque dicitur esse Propheticum, aliud Sacerdotale, aliud Regium, doctrina & informatio Christi ad Propheticum ejus munus rectissime revocabitur. De utroque scribit Gerhardus in Exegesi, Loc. IV. de Pers. & Offic. Christi §. 321. *Officium Christi vulgo triplex statuitur*: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. *Quod tamen revocari potest ad duo membra, ita ut duplex Christi statuatur officium*, Sacerdotale & Regium: *Sacerdotis enim est, nonsolum sacrificare, orare, intercedere & benedicere, sed etiam docere. Quod* (ultimum, videlicet *Docere*, alii) *ad propheticum officium referunt.*

Quem secutus Bechmannus in Not. uber. ad Comp. Hutteri L. III. q. 35. p. 179. *Autor*, ait, *geminum constituit Christi officium*, Sacerdotale *&* Regium, *& sic sub Sacerdotali complectitur officium Christi* Propheticum, *quia sicut Sacerdotum in V. T. non solum erat sacrificia offerre, intercedere ac benedicere, sed etiam docere populum, quod etiam Prophetarum erat; ita Christus Sacerdos non solum se ipsum, tanquam victimam, Deo Patri obtulit, & pro nobis intercessit, sed etiam viam salutis docuit & monstravit.*

* *Christus a morte abhorrens, vult, & non vult id, quod Deus vult.*

Christus a morte naturaliter *abhorrens*, ac dicens: *Transeat a me calix iste*; & iterum: *Non sicut ego volo*, & quidem naturali voluntate, *non vult id, quod* humana, *Deus vult*; at divina voluntate idem *vult, quod DEUS. Nulla hic*, ait Henr. Müller in Christo pat. p. 17. *voluntatum contrarietas est, sed potius amica subordinatio. Non, quæ distincta, statim sunt contraria: non adversa, quæ diversa. Nam divina voluntate Christus omnino semper idem vult, quod Pater*, Ps. XL, 9. Joh. X, 18. *at humana & quidem naturali, quæ ferebatur in objectum (præsens malum) secundum se tantum consideratum, ut erat inclinationi naturæ contrarium, declinare illud cupiebat, sine omni tamen peccato, cum subjiciat se divinæ, & sub hac conditione cupiat, si velit Pater; cum autem Pater nolit, nec ipsa id vult, scilicet deliberata, & respiciens objectum cum omnibus suis circumstantiis. Contraria autem non sunt naturale & deliberatum, quoniam non versantur circa objectum eodem modo consideratum.* Adde Estii Comment. in lib. 3. Sentent. dist. 17. §. 3. p. 50. & Horneji Eth. l. 4. c. 3. p. 605.

* *Passio Christi ad legem pertinet, & ad evangelium.*

Ad legem pertinet, quatenus ex peccatis nostris orta iram Dei ob oculos ponit, & realis quasi concio pœnitentiæ est: ad *evangelium* vero, quatenus est λύτρον pro peccatis, & sic causa recuperatæ gratiæ divinæ. Hæc est mens, atque hæc fere verba sæpius citati Bajeri in Compend. Theol. Pos. pag. 826. Ei autem sic præivit Form. Conc. in art. V. de Lege & Evang. ubi p. 593. ita dicitur: *Etsi concio illa de passione & morte Christi, filii Dei, severitatis & terroris plena est, quæ iram Dei adversus peccata ostendit: unde demum homines ad legem Dei propius adducuntur, postquam velum illud Mosis ablatum est: tamen, quamdiu nobis Christi passio & mors iram Dei ob oculos ponunt, & hominem perterrefaciunt, tamdiu non sunt proprie concio evangelii, sed legis, & Moysis doctrina: & sunt alienum opus Christi, per quod accedit ad proprium suum officium, quod est, prædicare de gratia Dei, consolari, & vivificare. Hæc propria sunt prædicationis evangelicæ.*

Deus est passus, & non est passus.

Si sermo est de Christo, quem Christiani Deum & hominem confitentur, ejusque passione, tunc dicere possum, *Deus est passus*, materialiter sumta voce, hoc est, is, qui Deus est, passus est. *Et non est passus* formaliter, ut est Deus, seu in deitate sua. Alii hoc sic efferrent: Deus est passus καθ' ἄλλο, videlicet non in sua divina natura, sed in alia, & ab hac distinctissima, vere tamen sibi unita, nempe in humana. Fabric. System. 182.

Huma-

Humana Christi natura sola, & non sola passa est.

Quum ex vulgari canone, *actiones & passiones sint suppositorum*, convenientius sane de persona Christi, quam de altera ejus natura passio prædicatur: attamen, si, uti etiam nonnunquam fit, propositio sic formatur, *sola humana Christi natura passa est*, sciendum est, hoc dici in oppositione ad divinam naturam, quippe ad quam passio non pertinuit formaliter. *Non* autem *sola* illa passa est, in oppositione ad personam. Immo si naturam velis cum persona contendere, hæc magis proprie dicetur pati, quam illa. Antapolog. Witteb. p. 387. Et autor Defens. Admonit. Neustad. p. 13.

Christus est passus, & mortuus, quiescente, & non quiescente verbo.

Christus est passus & mortuus quiescente verbo, dum λόγος non usus est potentia & vi divina contra hostes & occisores. Quid enim ipsi facilius fuisset, quam se tueri adversus nefariorum istorum & imbecillium hominum invasionem atque injuriam? quid facilius, quam petere ac impetrare a Patre cœlesti aliquot legiones invictissimorum angelorum? *Et non quiescente verbo*, quia *egit utraq; forma* (seu natura) *cum alterius communione, quod cujusque proprium est, verbo operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est*, ut Leo M. loquitur in ep. X. ad Flavianum c. 4. Fabric. System. 194.

Christus dolores infernales sensit, & non sensit.

Christus in passione sua *dolores infernales*, quos nos peccatis nostris, quæ ille in se suscepit, commeriti eramus,

senſit, quoad ſummos apices. *Et non ſenſit*, ſecundum omnes numeros, gradus, & durationem. Dannh. Hodoſoph. Chriſt. 715. & Dorſch. Theol. Zach. part. 1. p. 190.

Caro Chriſti eſt, & non eſt adorabililis.

Caro Chriſti eſt adorabilis in, & per, & propter λόγον, a quo hypoſtatice aſſumta eſt. Unio enim hypoſtatica efficit, ut deitatem in Chriſto adorare non poſſimus, niſi ſimul humanam quoque in eo naturam adoremus. Hinc cum introducit Deus primogenitum in orbem terrarum, ait: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*, eum, id eſt, totum, Deum & hominem ſimul, Ebr. I. 6. *Et non eſt adorabilis*, in ſe conſiderata, quum ſit creatura. Scilicet objectum cultus divini quod, ſive adæquatum, eſt ipſum ſuppoſitum, Chriſtus: objectum quo, ſive inadæquatum, natura non ſolum divina, ſed etiam humana. Baj. Comp. 596.

Vnica gutta ſanguinis Chriſti fuit, & non fuit ſufficiens ad noſtrî cum DEO reconciliationem.

Vnica gutta ſanguinis a Chriſto profuſi ſufficiens fuit ad noſtrî coram Deo reconciliationem, ratione ſui, & quia perſona erat infinita. *Et non fuit ſufficiens*, ratione Dei, qui ſolus optime novit, quantum ad plenam ſatisfactionem requiratur, & cur Filium ſuum præciſe tot plagas, nec pauciores, nec plures, pati voluerit. Et certum eſt ex Ebr. IX. 15. non unica gutta, ſed morte ipſa ad ſatisfactionem opus fuiſſe. Joach. Hildebr. in Theol. Dogmat. p. 425.

Chriſtus fuit, & non fuit obnoxius infirmitatibus naturæ humanæ.

Infirmitates humanæ naturæ aliæ ſunt *communes*, ut fames, ſitis, ſomnus, lasſitudo, lacrymæ, mœror, indigna-

tio, & similes plures; aliæ *personales*, quas assumi nec generi humano expediebat, & dignitati naturæ derogâsset. Quales sunt morbi varii, cœcitas, deformitas &c. Quando igitur dicitur, *Christum obnoxium fuisse humanæ infirmitatibus naturæ*, intelligendum id est de infirmitatibus communibus; *non* vero de personalibus. Lombard. III, Sent. dist. 15.

Natura Christi humana in triduo mortis mansit, & non mansit integra.

Natura Christi humana in triduo mortis mansit integra, materialiter spectata, & prout importat partes, corpus & animam: Vt enim anima apud Deum erat, & in paradiso, ita corpus in sepulcro reconditum. *Non* autem *mansit*, formaliter spectata, sive quatenus præter corpus & animam importat etiam unionem inter duas istas partes essentiales, quippe quæ mortis tempore cessabat. Meisner. in Qq. vexat. & Grauer. in III. artic. Aug. Conf. Rixner in Tract. de Usu & abusu princip. metaph. in Theol. p. 64.

Christus fuit, & non fuit absq; peccato.

Christus fuit absq; peccato proprio, & actuali & habituali, sive connato sive acquisito: Sic enim dicitur *non cognoscens peccatum*, 2. Cor. V, 21. *innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, Ebr. VII, 26. *agnus inculpatus & incontaminatus* 1. Petr. I, 19. *qui non peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius*, c. II, 22. adeo ut hostium suorum conscientiam appellare sustinuerit, ac interrogare: *Quis ex vobis arguit me de peccato?* Joh. VIII, 46. *Et non fuit absq; peccato* alieno: nostra enim peccata, eaque omnia, ipsi fuerunt imputata, ut satis pro illis faceret. *Quo* sensu Johannes baptista eum monstravit, dicens: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Joh. I, 29. Breith. Inst. Theol. l. 4. c. 1. p. 411.

Meritum Christi est, & non est universale.

Meritum Christi est universale, ratione sufficientiæ, seu quia Christus perfectum λύτρον solvit pro redemtione omnium hominum: *Sic enim dilexit mundum*, id est, omnes in mundo homines, *ut filium suum unigenitum* (in mortem pro ipsis) *daret*. Joh. III. 16. Immo *in hoc commendat Deus charitatem suam erga nos, quod, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit*, ad Rom. V. 8. Et quemadmodum *Deus vult omnes homines salvos fieri, ita unus* etiam *est Mediator, qui sese dedit pretium redemptionis pro omnibus*. 1. ad Tim. II, 4. *Et non est universale*, ratione efficientiæ, quia multi sunt homines, immo plurimi, qui efficaciæ seu, ut alii loqui malunt, efficientiæ meriti Christi obicem ponunt, idque vera ac viva fide non apprehendunt, nec peccata, pro quibus Christus est mortuus, missa volunt facere. Et sic tantum fideles ac pii dicere possunt cum Paulo: *Christus mortuus est pro peccatis nostris*. 1. ad Cor. XV. 3. *Christus Jesus dedit se ipsum* (in mortem) *pro peccatis nostris*, ad Gal. I, 4. *Christus dedit se ipsum pro nobis oblationem & victimam, in odorem bonæ fragrantiæ*, ad Eph. V. 1. Alii distinguunt inter ipsam mortem sive meritum Christi, ejusque salutarem fructum & applicationem, quæ fit per fidem. Id quod, secundum rem, idem est cum data explicatione. C. Dieter. Instit. Cat. 530.

Totum genus humanum est, & non est Deo reconciliatum.

Totum genus humanum Deo est reconciliatum, si oblatio Dei spectatur. *Et non totum*, sed sola credentium multitudo, si ad eventum sive actualem reconciliationem respiciamus. *Cum enim sub conditione fidei hæc reconciliatio toti mundo offeratur, certe qui conditionem illam recusant,*

sua ipsorum culpa tanto beneficio sese privant, nec ullam justam de Deo conquerendi causam habent, verba sunt C. Vorstii in comment. in Epp. apostol. p. 213.

Christus potest, & non potest dici legislator.

Christus dici potest legislator, quia leges tulit de fide, sacramentis, & moribus, legemq; moralem confirmavit, & dexterrime contra Pharisæorum corruptelas interpretatus est. Vide Joh. XIV. 1. Matth. XXIIX. 19. XXVI. 26. XV. 12. 17. & Matth. V. 6. 7. Quibus adde Joh. XIII. 17. 34. XIV. 15. 23. 24. XV. 10. 12. 14. 17. 1. Joh. II. 3. 4. III. 22. 23. 1. ad Cor. VII. 22. XIV. 37. Apoc. XXII. 14. & Luth. T. III. Altenb. p. 301. T. IV. 580. 592. 596. T. V. 258. & T. VI. 590. Loquitur etiam ad modum legislatoris in locis allegatis prioribus. Salutatur quoque in Scriptura *Rex*, *Princeps*, *Dominus*, *Magister*. Omnia autem hæc nomina legislativam potestatem arguunt. *Non* vero *potest dici legislator*, cum exclusione officii mediatorii & confusione legis ac evangelii, quasi Christus ita sit legislator, ut non sit simul salvator & redemtor noster, & quasi officii, quod Christus obit, potissimum objectum sit lex, aut evangelium sit lex, legemve involvat: est enim evangelium annunciatio gratiæ & remissionis peccatorum. De quo videatur Bajer. in peculiari Disputatione. Attamen novum pactum, quod a potiore parte & fine per se obtento *Evangelium* dicitur, habet leges, sicut quodvis aliud pactum certis initur & sancitur legibus. Fabric. Systém. Theol. 419. Scherzer. 213. & 260. Forbes. in Considerat. controvers. p. 364.

Christus sibi ipse aliquid meruit, & non meruit.

Christus obedientia sua perfectissima, quam usque ad mortem, eamque ignominiosissimam pariter ac sævissi-

mam

mam præstitit, *sibi ipse aliquid meruit*, verbo *mereri* generatim sumto, pro comparare, vel per industriam & labores acquirere, sive obtinere atque adipisci: nam Christus licet ex gratia & ordinatione divina gloriam cœlestem & summam dignitatem consecutus sit, revera tamen non nisi per viam obedientiæ & passionis, ad eam pervenire potuit, immo sua obedientia & humilitate, utpote omnium dignissima & perfectissima, tanquam causa antecedente, sive efficiente, prædictam gloriam vere sibi peperit atque obtinuit. Hinc se *glorificari* petit, *eo, quod opus sibi a Deo mandatum perfecisset*, Joh. XVII. 4. 5. Sic Luc. XXIV. 26. testatur, non nisi per acerbam mortem & passionem, aditum sibi ad gloriam cœlestem patuisse. Huc etiam spectant, quæ leguntur Es. LIII. per totum, præsertim ℣. 10. 11. 12. ad Hebr. II. 9. c. XII. 2. 3. & ad Phil. II. 9. Ad quem ultimum locum G. Calixtus in Exposit. liter. sic commentatur: *Quamvis hæc exaltatio, quæ complectitur resurrectionem cum dotibus corporis gloriosi, ascensionem in cœlos & sessionem ad dextram Patris, una cum potestate regnandi in cœlis terrisque, & judicandi vivos & mortuos, Christo debeatur ratione unionis hypostaticæ, fieri tamen aliter non potest, quin humanitas divinitati & genuino Dei filio hypostatice unita, omnibus his modis exaltetur: eadem tamen exaltatio alio quoque titulo, nempe ob perfectissimum obedientiæ & humilitatis meritum debetur. Prius quidem jus sibi soli retinuit, posterius autem nobiscum etiam communicat.* Et Patres, nominatim Ambrosius, Hieronymus, Beda & alii, in commentariis ad eundem locum diserte affirmant, Christum humilitate sua gloriam illam promeritum esse. Sic Augustinus in tract. 104. super caput XVII. Joh. *Humilitas*, inquit, *claritatis est meritum, claritas autem humilitatis præmium.* Eadem habet Vigilius lib. V. contra Eutychianos. Nec inutiliter leges hac de re disserentem Guil. Forbesium, Episco-

Episcopum Edenburgensem primum, in Considerat. modest. & pacific. Controvers. p. 364. Sed & hoc verum est, Christum *nihil sibi meruisse*, si loquaris de merito stricte dicto, quod est 1 indebitum, 2. propriis viribus præstitum, 3. in commodum & utilitatem ejus, cui præstatur, & 4. mercedem accipiens, tanquam stricto jure sibi pro opere debitam, absque interventu liberalitatis & gratiæ vel minimæ. Et hoc sensu Nostrates dicunt, particulam διὸ in ep. ad Phil. II, 9. non esse causalem, meritoriamve, sed consecutivam. Glass. Phil. S. lib. 3. tract. 7. p. 834. & Gerh. in Exeg. L. de Christo §. 330.

** Christi ascensio hyperphysica fuit, licet successive & visibiliter facta.*

Christi ascensio, sive elevatio ac sublatio ex terra *in cœlum*, sedem illam beatorum, vera fuit ac propria, dum vere ac proprie corpus ejus e monte olivarum sursum fuit elevatum; *facta* quoque est *visibiliter ac successive*, dum, discipulis spectantibus, Dominus ab imo in altum, a distantia ad distantiam ascendit; interim non physica fuit, aut physici motus rationem habuit, sed *hyperphysica*, partim propter corpus, quod infirmitatibus non erat amplius obnoxium, sed spirituale: non quidem ratione essentiæ, sed qualitatum: quarum respectu & nos aliquando erimus ἰσάγγελοι; partim propter terminum, cœlum scilicet, eo quod non locus fuit, aut terminus ad quem physicus; partim propter motum corporis, absque omni violentia in sublime factum. Carpz, Isag. in LL. symbol. p. 187.

** Liberum arbitrium per lapsum est, & non est amissum.* *De Libero arbitrio.*

Liberum arbitrium in foro theologico sumitur vel pro

viribus ac facultatibus humanis, ad bona ſpiritualia inchoanda, promovenda, conſummanda; vel pro ipſa voluntatis libertate & indifferentia in agendis tam bonis, quam malis, undecunque etiam vires ad bona ſuppeditentur. Priore ſenſu liberum arbitrium, per lapſum primorum Parentum, *eſt amiſſum*, &, ut alii loquuntur, infirmatum, captivum, ſervum, immo nullum: nam poſteri illorum non ſunt liberi a ſervitute peccati, a miſeria, a morte: naſcuntur enim ſervi peccati, & propter peccatum, quod nec in renatis penitus ceſſat, obnoxii ſunt omnis generis miſeriis, ac denique etiam morti. Unde S. Auguſtinus l. 14. de C. D. c. 11. *Arbitrium voluntatis*, inquit, *tunc eſt vere liberum, quum vitiis peccatisque non ſervit. Tale datum eſt a Deo, quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi.* Poſteriore autem ſenſu *non eſt amiſſum*: neque enim homo poſt lapſum, & in medio peccati ſtatu non agit libere. Quare prædictus Hipponenſium Præſul, vel quicunque auctor eſt, l. 3. Hypognoſt. non minus recte, ac nervoſe ſcribit: *Per peccatum, liberum arbitrium hominis, poſſibilitatem perdidit, non nomen, & rationem.* Titius in diſſert. de Virib. hum. ſive Lib. Arb. th. 13. 14. & ante ipſum Gerhardus L. de Lib. arb. c. 2. & 3.

Vetus illud, Facienti, quod in ſe eſt, Deus gratiam non denegat, *approbamus*, & *non approbamus*.

Vetus illud, Facienti, quod in ſe eſt, Deus gratiam non denegat, *approbamus*, certo ſenſu, & in quantum eo indicatur, externis mediis recte utentibus Deum donare gratiam internam, cujus virtute, ſimul adjuvante Spiritu ſancto, poſſint fidei actum elicere. *Et non approbamus*, ſenſu Pelagiano, quaſi externorum mediorum uſus internam mereatur gratiam: nam hæc datur ex mero DEI

bene-

beneplacito & misericordia, citra ullum nostrum meritum. Christ. Franck. in Exercit. Anti-Wendelin. exercit. II. §. 22.

Discretionis causa est, & non est in homine.

Discretionis credentium a non-credentibus *causa est in homine*, dum alius vel externis mediis, vel internæ conversionis gratiæ voluntarie ac libere, viribus naturalibus, resistit, qua resistentia fides excluditur; alius vero neque externis mediis, neque internæ conversionis gratiæ obicem ponens, virtute hujus gratiæ, nullis suis meritis provocatæ, & adjuvante simul Spiritu sancto, adeoque viribus supernaturalibus actum credendi elicit. *Et non est causa in homine*, hoc sensu, quod homo ad sui conversionem, sive in initio, sive in progressu ejus, quidquam conferat, aut conferre possit, sibi suisque viribus relictus. Idem loco cit.

Regeneratio fit, & non fit in instanti.

De Regeneratione, Conversione & Pœnitentia.

Regeneratio hominis adulti *fit in instanti*, si eam sumis pro justificatione, aut si intelligis collationem initiorum fidei, quoad prinam cogitationem sanctam, & pium desiderium. *Et non fit in instanti*, sed successive, dum Spiritus S. per prævios actus supernaturales a se ipso excitatos, fidem habitualem confert. Sic docet Joh. Olear. in Indic. Bald. & cum eo Bajer. in Comp. 675.

Virtus illuminandi & convertendi homines verbo Dei per se, ac intrinsece inest, & non inest.

Vt terminus *per se* opponitur vel termino *per aliud*, vel termino *per accidens*, & *ei, quod contingenter inest*; ita vocula *intrinsece* vel significat idem, ac *formaliter & subjective*

jective aut inhæsive, sicut accidens alias est in subjecto, e. g. calor in igne; vel ut opponitur parastatico Rathmanniano, h. e. errori Herm. Rathmanni, statuentis, S. Scripturam non habere in se virtutem illuminandi, sed in se esse literam mortuam, lectæ autem, vel explicatæ, & auditæ accedere illam virtutem forinsecus, a Spiritu sancto, ad eum modum, quo securis non habet in se virtutem findendi ligna, sed accipit extrinsecus, quando lignifissor eam in manus sumit, eaque lignis secandis dat operam. Præmissa hac terminorum explicatione, dicimus: *Virtus illuminandi & convertendi homines*, Scripturæ sacræ seu *verbo Dei inest per se*, & non per accidens, contingenter ac separabiliter, quia intrinseca est verbo Dei, & juxta Dei ordinationem sic conjuncta cum illo, ut pertineat ad internam illius perfectionem; inest etiam *intrinsece*, prout vocabulum hoc opponitur parastatico Rathmanniano, atque indicat, verbum Dei virtutem illam in se continere, etiam extra usum, saltim actu primo. *Et non ei inest per se*, quatenus hic terminus opponitur τῷ *per aliud*: habet enim virtutem illam participatam a Spiritu sancto; *neque etiam intrinsece*, in quantum hic terminus æquipollet τῷ formaliter, & subjective vel inhæsive: nam virtus illuminandi & convertendi nihil est aliud, quam immensa Dei virtus ac potentia, quæ secundum rem est ipsa Dei essentia infinita, neq; magis in verbo Dei scripto ac prædicato potest esse formaliter & subjective aut inhæsive, quam Deus vel essentia divina potest in eo esse formaliter, & subjective, aut inhæsive. Theol. Jenens. Ausführl. Erklär. p. 74. & seqq.

Verbum DEI est, & non est instrumentum conversionis.

Instrumenta alia sunt *passiva*, quæ cum causa principali conjuncta non sunt, nisi in usu, ut securis, malleus, culter: alia

alia *activa & cooperativa*, quæ causam principalem etiam extra usum sibi semper conjunctam habent supposito & virtute, ac proinde etiam virtutem agendi causæ principalis semper in se habent, v. g. manus. Jam *verbum Dei est instrumentum conversionis* activum, quippe quod ut semper, etiam extra usum, Spiritum S. supposito & virtute sibi conjunctum habet, ita ejus, tanquam causæ principalis, virtutem illuminandi & convertendi, semper, etiam extra usum in se habet. Musæus Introd. in Theol. p. 588.

* *Conversio hominis est, & non est renovatio.*

Vocabulum *Renovatio* interdum late sumitur, ita ut ipsam conversionem sive regenerationem, immo & justificationem, cum sequente sanctificationis opere, complectatur. Quo sensu ii, qui in Christo Jesu sunt, *nova creatura* dicuntur, 2. ad Cor. V. 17. Eo autem refertur ipsa cum Deo reconciliatio & justificatio per Christum, v. 19. & 20. Interdum vero stricte, & ut a conversione distinguitur, ac justificationem sequitur, atque alias appellatur *sanctificatio*. His præmissis, non difficile est explicatu, quomodo *conversio hominis* sit, & non sit renovatio. *Est* enim vero, si late: *non est*, si stricte sumis terminum *renovatio*. Baj. Comp. 765.

Tres sunt conversionis causæ, & non sunt.

Tres sunt conversionis causæ, si illa in progressu spectatur, Verbum Dei, Spiritus S. & Voluntas humana; verbum Dei, cui talis effectus tribuitur, Rom, I, 16. & c. X, 18. Spiritus S. qui cum verbo datur, atque eo mediante intus in homine operatur, Act. X, 44. & voluntas humana, per verbum, virtute Spiritus sancti, mota primum & excitata, eodemque Spiritu porro adjuta & confirmata. Qua rati-

one membrum posterius præsupponit prius, & postremum priora; ac verissimum manet, nullas hominem habere vires naturales ad sui conversionem vel inchoandā, vel complendam, sed unice per vires gratiæ eum converti, neque etiam necessitatem ipsi per gratiam inferri. Ita docet Phil. Mel. in LL. Theol. & in Exam. p. 809. item in Resp. ad art. Bavar. p. 991. 995. Libror. Normal. Noriberg. Neq; hanc Philippi doctrinam improbat, sed approbat Chemnitius L. de Lib. Arbitr. c. 7. sub finem: *Recte*, inquiens, *dicitur, tres esse causas bonæ actionis, 1. Verbum DEI. 2. Spiritum S. 3. Voluntatem humanam: si modo recte & commode intelligatur. Concurrit enim voluntas humana, non ita, quasi ex suis viribus adjuvet actiones spirituales, sed quia potest resistere Spiritui S. & destruere opus Dei — non captiva & mortua, qualis per se & sua natura est — sed liberata & vivificata per Spiritum S.* Sed & hoc verum est, *non tres*, sed duas tantum esse causas conversionis, si de hujus initio loquamur, nempe Spiritum S. & verbum, illum, ut causam efficientem principalem, hoc, ut causam instrumentalem; adeoque hoc respectu voluntatem humanam non esse annumerandam. Et hoc rursus docet Philippus in LL. Commun. p. 665. & seq. (prout extant in Libb. Norm. Norib.) scribens: *Sicut* hominis irregeniti *intellectus pro natura sua nihil cernit (aut intelligit) nisi carnalia, spiritualium prorsus ignorans, ita nihil affectat voluntas, præter carnalia bona, vitam, opes, gloriam, bonam valetudinem &c. nihil fugit præter mala carnalia, mortem, inopiam, ignominiam, adversam valetudinem &c. Deum nec amat, nec metuit. Vides, quantum possint intellectus & voluntas secundum naturam.* Et in Resp. ad Art. Bavar. p. 996. *Simul fateor, plurima Deum in omnibus Sanctis ita agere, ut voluntas tantum sit subjectum patiens.* Immo non nisi unica est conversionis causa, videlicet principalis, Spiritus S.

qui *dat velle & efficere*, Phil. II, 13. per verbum cœleste, tanquam organum suum, ex quo pœnitentia & fides. Olear. in Continuat. Isag. Carpz. 1269.

Deus trahit, & non trahit volentes.

Dannhauerus Hodosoph. p. 616. ait, cum grano salis accipiendum esse illud Chrysostomi homil. 45. in Joh. *Deus nolentes non cogit, sed volentes trahit.* Nimirum, Deus in conversione hominum, *trahit volentes*, dum illi per ipsam tractionem volentes fiunt, seu, ut Parens meus p. 292. System. Theol. loquitur, *trahit Deus homines suis ipsorum voluntatibus, sed quas ipse operatus est.* Cui consentit Basilius homil. de Pœnit. *Tantum voles, & DEUS ipse ultro occurret.* Supponit autem motum voluntatis, a Patre cœlesti inditum. *Et non trahit* volentes, quasi, quum jam incipiunt trahi, volentes sint.

Pœnitentia est, & non est secunda post naufragium tabula.

Pœnitentia, sic loquentibus SS. Patribus, Hieronymo epist. ad Demetriad. de Serv. virginit. T. I. p. 97. ad Sabinian. p. 229. in cap. 3. Esaiæ T. V. 18. & in c. 16. Ezech. T. V. 431. Ambrosius l. ad Virg. lapf. c. 4. & Tertullianus lib. de Pœnit. *est secunda post naufragium tabula*, intelligendo, & quidem (ut Gerhardi verbo utar ex L. de Pœnit. §. 13.) *rectissime* intelligendo hoc de naufragio fidei & bonæ conscientiæ, quam per peccata contra conscientiā amittimus, sed per seriam pœnitentiam iterum recuperamus. Sic enim ipse ait Apostolus 1. ad Tim. I. 19. *expulsa bona conscientia, nonnullos naufragium fidei fecisse. Et non est secunda post naufragium tabula*, si quis hac phrasi intendat dicere, fœdus, quod in baptismo nobiscum iniit Deus, fragile & temporarium esse, ita ut baptismi navis plane dissiliat, nec ejus

ejus virtus per omnem vitam duret atque prorogetur. Quo sensu præsens locutio minime probanda, meritoque rejecta est a Luthero in Catech. Maj. p. 121. LL. Normal. Norib. & Chemnit. in Exam. C. T. Part. 2. p. 180. Atque ei obstant dicta Hos. II. 19. ad Rom. XI. 29. & 2. ad Tim. II. 13.

Pœnitentia consistit, & non consistit in mortificatione carnis, & vivificatione spiritus.

Pœnitentia consistit in mortificatione carnis, & vivificatione spiritus, si per illam intelligas Contritionem, per hanc, Fidem. Quo sensu Philippus Melanchthon scribit in Locis Communib. prout habentur in Libb. Normal. Norimb. p. 780. *Pœnitentia, mortificatio nostri est, in vitam, seu ut renovemur.* Et paullo post: *Mortificatio fit per legem: nam hæc conscientiam terret, & occidit. Vivificatio per evangelium. Quod* mortificationem *nos vocamus, Scholastici* contritionem *voluerunt dici.* Et in Apol. A. C. p. 375. *Paulus fere ubique, cum describit conversionem seu renovationem, facit has duas partes*, Mortificationem & Vivificationem, ut Col. II, 11. *Neque hæc verba*, Mortificatio, Vivificatio, Exspoliatio corporis peccatorum, Resuscitatio, *platonice intelligi debent de simulata mutatione, sed* Mortificatio *significat veros terrores, quales sunt morientium, quos sustinere natura non posset, nisi erigeretur fide.* Et Vivificatio *intelligi debet non imaginatio platonica, sed consolatio, quæ vere sustentat fugientem vitam in contritione.* Hæc Philippus. *Non* autem *consistit in mortificatione & vivificatione*, quatenus *mortificatio* significat refrenationem vitiosorum affectuum, *vivificatio* autem vitæ innovationem & pium studium bene operandi: sic enim sunt fructus & effectus pœnitentiæ, & tota vita a justificatis debent perfici. Fabricius System. p. 561, & 563.

* *Partes pœnitentiæ ſunt, & non ſunt duæ.*

Veræ ac ſalutaris *pœnitentiæ*, qua homo peccator ex Dei lege peccata ſua agnoſcit, eorumque cauſa angitur, & per fidem ad Deum ſe convertit, *partes* eſſentiales non niſi *duæ ſunt*, nimirum Contritio & Fides; quarum illa tamen remotius, & per modum materiæ concurrit, hæc propinquius, & per modum formæ: illa enim conſiſtens in agnitione peccatorum, eorumque ſeria deteſtatione, cum propoſito non amplius voluntarie peccandi, prior eſt; hæc, ſi non tempore, ſaltem natura, eſt poſterior, poſita in actu aſſentiendi non tantum, ſed & confidendi promiſſionibus evangelicis, paſſioni & merito Chriſti innixis, quæ ita ultimo velut complet & conſtituit pœnitentiam, ut ea poſita, ſtatim ponatur remiſſio peccatorum. *Et non ſunt duæ, ſed tres*, Contritio, Fides, & Nova obedientia, ſi vocabulum partis ἀκύρως in latiori ſignificatu uſurpetur pro omni eo, quod ad pœnitentiam quacunque ratione pertinet. Quo ſenſu & Melanchthon in Exam. Ordinand. §. de Pœnit. T. 1. Oper. fol. 321. b. & in Corp. Doctr. p. 727. accepit, & alii. Ita hac de re judicat & ſcribit Dieter. in Inſt. Catech. L. de Pœnit. qu. 22. & 23. Cui junge Gerh. l. 2. Confeſs. Cathol. part. 3. art. 10. c. 2. p. 1259. & ejusd. L. de Pœnit. n. 54. item Dürr. Iſag. in libb. Norm. Norimb. p. 65. qui ajunt, *pœnitentiæ* vocem accipi vel late, vel ſtricte: late, pro tota converſione cum ſuis proprietatibus & effectibus; quo ſenſu pœnitentiæ partibus Novam Obedientiam adjungi; ſtricte autem & proprie pro iis, quæ eſſentiam pœnitentiæ conſtituunt; atque ita duas tantum eſſe pœnitentiæ partes, Contritionem & Fidem.

** In converſione homo ſe habet mere, & non mere paſſive.*

Res ſalva eſt, modo diſtinguatur inter initium, & progreſſum converſionis hominis peccatoris ad DEUM. In initio converſionis *habet ſe mere paſſive*, id eſt, nulla ei ineſt naturalis vis activa, aut efficax habilitas, aptitudo vel capacitas, ſed tantum capacitas paſſiva, qua verti poteſt ad bonum per gratiam, & fieri revera liber, ad quod creatus eſt. Verum in progreſſu converſionis, & poſtquam vires novas a Spiritu S. per Dei gratiam accepit, *non* amplius *paſſive*, ſed active ſe habet, ita ut gratiæ divinæ cooperetur. Quæ ipſiſſima eſt orthodoxorum ſententia, ut docet Joh. Wigandus de Lib. Arbitr. p. 168. & Kromayerus, ajens in Theol. poſ. pol. art. 9. th. 2. p. 537. *Homo ad ſui converſionem nihil poteſt conferre, ſed in converſionis initio ſe mere habet paſſive: in progreſſu vero, gratiæ divinæ incipit cooperari, non collateraliter, ſed ſubordinate.*

Contritio eſt, & non eſt neceſſaria.

Contritio eſt neceſſaria, ratione ordinis a Deo inſtituti, ac præſentiæ: nam *inter ſacrificia Dei*, quæ ipſi maxime placent, cum primis recenſendus eſt *ſpiritus fractus*, & velut comminutus. *Animum fractum & contritum Deus non ſpernit*, ſed æquiſſimo animo accipit & requirit. Pſ. LI, 19. *Et non eſt neceſſaria*, ratione meriti, quo Deo reconciliemur. *Deus* enim *ſecundum multam miſericordiam ſuam nos regignit*, ut Petrus ait 1. ep. I, 3. Gratia autem excludit meritum, judice Paulo Rom. XI, 6. J. Gerh. L. de Pœnit. §. 76.

Datur, & non datur contritio evangelica.

Datur contritio evangelica, quæ fidem, verbo evangelii accenſam, conjunctam habet, & per eam ſalutaris redditur,

tur, ac legalem consequitur, tanquam activa passivam. *Et non datur*, si per eam excludas legalem, aut neges, quicquam commercii habere cum lege. Bechm. in Comp. Hutt. 540. *Contritio*, ait Breith. in Instit. Theol. p. 309. *veram fidem antecedit, ita comparata, ut sub ea incipiat mortificatio & abnegatio omnis peccati & mali propositi passive, quæ tamen, quatenus sic legaliter, ex terrore legis atque iræ concipitur, nondum est salutaris, & ordini divino adæquata; nam homo sic affectus, sub lege est*, nec cor humanum diligere Deum potest, dum sentit, eum horribiliter irasci & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus. Lex autem semper accusat nos, semper ostendit, irasci Deum. Non igitur diligitur Deus, nisi postquam apprehendimus fide misericordiam. Ita demum fit objectum amabile. Apol. A. C. p. 87. *Itaque transit abnegatio legalis in evangelicam ac veram, mediante fide & virtute mortis Christi, qua fiducialiter apprehensa, incipit fructus pœnitentiæ, renovatio & mortificatio atque abnegatio activa, ut fides per charitatem sit efficax, mortificando & vivificando.*

Olim in Ecclesia christiana, una, & non una erat pœnitentia.

In Ecclesia christiana olim una erat pœnitentia, publica videlicet & sollennis, quam post baptismum lapsi agere nebantur, cujusque gradus erant πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις, usque dum pervenirent ad μέθεξιν. *Caute* enim, *salubriterque provisum est*, scribit Augustinus ep. 54. *ut locus ille humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concederetur, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis; quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemtibilis fuerit.* Et Ambrosius l. 2. de Pœnitentia c. 10. *Merito*, ait, *reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, ite-*

randam postea non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum est pœnitentia. *Et non una erat*, pœnitentia nempe ante baptismum, sed post hanc etiam altera illa ante descripta hominibus post baptismum lapsis imponebatur. De qua Augustinus ep. 108. *Agunt etiam homines*, inquit, *pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari & postea reconciliari mereantur: sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui proprie* pœnitentes *appellantur*.

Lapsi, sunt, & non sunt Deo committendi.

In graviora peccata *lapsos, Deo esse committendos*, neque adeo absolvendos ab Ecclesia, ac certos esse posse de remissione illorum peccatorum apud Deum ratione & culpæ & pœnæ, Novatiani erat locutio: non tamen in se, sed ex illius duntaxat sensu hæretica. Sic enim is loquebatur, quoniam putabat, unam tantum esse pœnitentiam, infidelium nempe, ante baptismum. Quæ sententia & Scripturæ sacræ, & praxi Ecclesiæ christianæ, cujus tempore ille vivebat (vivebat autem sec. III.) immo etiam apostolicæ, de qua videatur I. ad Corinth. caput V. refragatur. Ceterum verissime dicitur, *lapsos Deo esse committendos*, si sermo sit de illis, qui post baptismum denuo lapsi sunt. Tales enim Ecclesia antiqua ad publicam & operosiorem pœnitentiam, secunda vice, ne illa (ut ex Augustino observavimus) vilesceret, non admisit, neque absolvit canonice, sed Deo commisit, non negans, eos ab ipso impetrare remissionem peccatorum, si vere & serio pœniterent. Non *autem Deo committendi* erant, sed admittendi ad publicam & luctuosam pœnitentiam, qui a baptismo in peccata atrociora inciderant, perque ea divinæ statu gratiæ exciderant, inque eum volebant restitui.

Pœni-

Pœnitentia est, & non est actus virtutis.

Actus virtutis dici potest cum actus ad virtutem tendens, tum actus ex virtutis habitu profluens. Jam quando de *pœnitentia* interna dicitur, quod sit *actus virtutis*, capiendum id est secundum priorem significationem, seu quod sit actus sive motus vel mutatio, ad virtutem tendens; *non* autem secundum posteriorem, quasi sit actus, ex virtutis, ne quidem infusæ, habitu profluens. Et quamvis pœnitentia vera ac salutaris, Dei opus ac donum sit, & Dei auxilio peragatur, ut dicta Scripturæ Jer. XXXI. 18. & 2. Tim. II. 25. evincunt; non tamen omne Dei donum est virtus a Deo infusa, aut quicquid divino auxilio fit & peragitur, statim est actus ab infusa virtute profectus. Fabric. System. 553.

Pœnitentia habet, & non habet partes essentiales.

Pœnitentia interna *habet* quasi *partes essentiales*, Contritionem videlicet & Fidem. Enim vero quod præcedit fidem, & ad eam præparat, est quasi materia. Contritio ergo materiæ analogiam habet, fides autem formæ: Sicut enim forma dat esse rei, ita fides, ut pœnitentia sit, quod esse debet, proxime efficit, eamque salutarem reddit. Posita igitur fide, homo vere & salutariter pœnitens reputatur, & justificantis gratiæ, quo tendit pœnitentia, compos. *Et non habet* proprie *partes essentiales*, quia non est substantia, sed actus, motus, mutatio, & accidens. Id. p. 562.

Eadem habet, & non habet partes integrantes.

Eadem pœnitentia *partes habet integrantes*, si partes inte-

integrantes cum Thoma Suppl. q. 90. a. 3. vocas illas, ex quibus perfectio totius integratur. Quo pacto tres numerantur partes pœnitentiæ, Contritio, Fides & Nova obedientia: nam ex his tribus simul acceptis integratur perfectio pœnitentiæ, ceu totius alicujus: Sicut enim ad essentiam pœnitentiæ pertinet, ut homo peccata priora detestetur, ac fide Christum amplectatur, & sibi proponat, Deoque sancte promittat pristinæ vitæ emendationem; ita, ut propositum promissumque in rem conferat, est de perfectione pœnitentiæ. *Et non habet partes integrantes*, in ordine ad materiam proprie dictam, quippe quæ non habet locum in pœnitentia. Fabric. 562.

Contritio est, & non est tota interna pœnitentia.

Contritio est tota interna pœnitentia, si vocabuli hujus vis præcise attendatur: nam vera pœnitentia vel pœnitudo, vi vocis, est æstus & dolor in corde resipiscentis natus. *Et non est*, sed pars pœnitentiæ, si pœnitentia sumitur pro tota & perfecta resipiscentia: nec enim contritione absolvitur integra conversio seu resipiscnntia, sed *ad veram pœnitentiam pertinet, ut agnoscat peccator sua peccata, doleat ipsi ex animo, quod peccavit, resipiscat, & mutet mentem & malæ vitæ studia, ac convertatur ad Dominum, credens illius promissis, implor ansque & sperans misericordiam*, ut loquitur Wolfg. Musculus L. de Pœnit. n. 1. & 3.

Contritio est, & non est salutaris.

Salutare aliquid dici potest vel remote, vel proxime & immediate. *Contritio* igitur *est salutaris* remote, quia disponit, ac via est ad justificationem & salutem, ut Paulus ait: *Qui secundum Deum est dolor, resipiscentiam efficit ad salutem*, 2. ad Cor. VII, 10. *Non* autem *est salutaris*, proxime

xime & immediate: Hoc enim officium obit fiducia, gratiæ DEI, Christique redemptioni innixa. Fabric. 566.

Dolendum de singulis peccatis, non tamen sigillatim.

Dolendum de singulis peccatis, quorum quis sibi conscius est, quia Deus vult, ut nos *convertamus ad se ex toto corde*, Joël. II, 12. hoc est, ita, ut in totum omnibus peccatis regnantibus renunciemus. Idem etiam postulat, ut *abjicimus a nobis omnes defectiones nostras, quibus defecimus*, Ezech XIIX, 31. *Quid* enim *prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? aut quid prodest, si iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat?* ait Gregor. M. hom. 34. in Evang. *Non tamen sigillatim* dolendum, quasi ex necessitate; sed sufficit, ut omnibus, quoad fieri potest, in memoriam revocatis, contritio in ea omnia collectim feratur, uno detestationis motu. Fabric. 574.

Sacerdotes in audienda confessione & conferenda absolutione, sunt, & non sunt judices.

Sacerdotes in audienda confessione & conferenda absolutione sunt judices improprie dicti & ministeriales, exercentes judicium discretionis, dum discrimen habent eorum, qui vere videntur pœnitentes, & aliorum, qui minus, adeoque, hisce ligatis, illos absolvunt. At *non sunt judices* proprie dicti: nusquam enim in SS. literis sic appellantur, sed *Christi ministri & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. ad Cor. IV, 5. *fungentesque ministerio* (non judicio) *reconciliationis*, 2. ad Cor. V. 18. Neque ipsorum sententia, ut judicis, valet, post-

postquam pronunciata est, quomodo se cunque habeat, ille, adversus quem lata est: nam sententia, quam Ecclesiæ ministri ferunt, non valet coram Deo, nisi digni sint, pro quibus; aut indigni, contra quos promulgata fuit. Vt adeo fieri possit, immo sæpe fiat, absolutum coram Deo esse illum, cui minister Ecclesiæ absolutionem denegavit; alium vero ligatum, cui ille absolutionem impertiit. Unde efficitur, eos non tam judices esse, quam Judicis ministros. Hildebr. disp. 2. de Jurib. Episc. §. 11. Et ideo in Græca Ecclesia, sententia absolutionis, a Sacerdote, non in ipsius persona propria, multo minus judicialiter, sed deprecative tantum profertur. De quo videatur Thom. Smith. de Eccl. Gr. statu hod. p. 152.

Fides est, & non est pars pœnitentiæ.

Si fides sumitur pro fiducia, tunc *est pars pœnitentiæ*, vel essentialis, vel integrans, uti superius jam dictum; est si vero sumitur pro assensu, tunc *non est pars pœnitentiæ*, sed eam, ut causa præcedit: eum enim, qui converti debet, oportet nosse, quis sit verus Deus, quem offendit; deinde peccatorum, quibus Deum læsit, gravitatem, & pœnarum commeritarum atrocitatem; porro misericordiæ divinæ promissionem, & denique modum, quo liberari a peccatis possit, & Deum ex irato reddere propitium. Hæc omnia autem per revelationem verbi divini, cui homo assentiri debet, innotescunt. Hoc igitur respectu pœnitentia est ex fide, ut ex causa. Et sic Ninivitæ adducti sunt ad pœnitentiam, quia crediderunt Deo, per prædicationem Jonæ illis excidium comminanti. Fabric. 567.

Fides opponitur, & non opponitur pœnitentiæ.

Fides opponitur pœnitentiæ, seu ab ea distinguitur, quando hæc sumitur incomplete, pro contritione. *Non* autem

autem *opponitur*, ſed potius eſt pars ejus, quando pœnitentia ſumitur complete, ſive pro tota converſione hominis, quæ partes habet eſſentiales, Contritionem & Fidem; & integrantes, Contritionem, Fidem, & Novam obedientiam. Fabric. Syſt 567.

In converſione voluntas humana habet, & non habet vires eliciendi actum efficacem circa bona ſpiritualia.

Ut *actus voluntatis efficax* dicitur ille, quo voluntas ſerio fertur in rem aliquam, adeo, ut illam velit, tanquam efficiendam vel obtinendam; ita *bona ſpiritualia* ſpectari poſſunt vel late, vel ſtricte. Late dicuntur ſpiritualia, quæ in Decalogo præcepta ſunt, & ductu luminis naturæ quodammodo cognoſcuntur. Stricte illa, quæ rationis captum transſcendunt, & ex naturæ lumine nec inveſtigari, nec intelligi poſſunt, ut Beatitudo æterna, Remisſio peccatorum propter Chriſtum, & alia ſimilia. Atque hæc ſtricte dicta ſpiritualia vel *confuſe* poſſunt conſiderari, ut ſunt homini convenientia; vel *diſtincte*, ut mere ſpiritualia ſunt. Jam dicimus: *In converſione voluntas humana* ſibi relicta *habet vires eliciendi actum efficacem circa bona ſpiritualia* confuſe ſpectata, ſeu habet facultatem, bonum aliquod, ut bonum eſt, appetend. *Et non habet*, quoad bona ſpiritualia diſtincte ſpectata, hoc eſt, non poteſt in ea ferri, ut acquirenda & obtinenda, non poteſt habere pium deſiderium gratiæ divinæ & remisſionis peccatorum propter Chriſtum, non deſiderium ſalutis æternæ per Chriſtum acquiſitæ, non fiduciam in Chriſti merito poſitam. Joh. Muſæus diſp. 2. de Converſ. §. 35.

Datur, & non datur pœnitentia stantium.

Stantes appellantur homines renati & fideles, qui in statu renascentiæ & gratiæ adhuc persistunt. Horum *stantium pœnitentia datur*, eo quod habent peccata, quæ quotidie agnoscere, detestari, & fide ad Deum conversi deprecari debent. Et hoc modo dicuntur pœnitentiæ & conversionis erga Deum, sed latius sumtæ, capaces esse. *Et non datur*, si stricte sumitur vocabulum *pœnitentiæ & conversionis*, videlicet pro illa, quæ cadit in hominem improbum, nec dum in actu conjunctionis cum Deo constitutum. Bajer. in Comp. 729.

Crux perducit, & non perducit ad pœnitentiam.

Ex hoc paradoxo facile nos possumus extricare, distinguendo inter *Perducere* directe, & indirecte. Enimvero *crux* & calamitas indirecte *perducit ad pœnitentiam*, dum verbum Dei prius lectum & auditum, sed minus observatum, quoad notitiam practicam, in nobis suscitat animatque, vel etiam ad usum mediorum salutis nos instigat aut compellit. *Et non perducit*, directe: hoc enim proprie verbi divini munus est atque officium. Id. p. 716.

Confessio auricularis retinetur, & non retinetur in ecclesiis nostris.

Confessio auricularis seu privata, quæ seorsum fit coram Ministro ecclesiæ, *retinetur in nostris ecclesiis*, & quidem propter gravissimas causas, quarum aliæ respiciunt confitentes, aliæ absolventes. Confitentibus enim vergit in solatium, quod absolutionem, quæ alibi generaliter proponitur, sibi pronunciari audiunt; deinde quod certi redduntur, se in sacro convivio dignos fore hospites. Absolventibus autem conducit ad institutionem rudiorum; ad priva-

tas

tas admonitiones, quæ forte in publicis concionibus non ita commode fieri possunt; denique ad εὐταξίαν ecclesiasticam, & ne sacrum canibus projiciatur. *Et non retinetur*, cum scrupulosa enumeratione omnium & singulorum, quæ in memoriam redire possunt, peccatorum, eorumque circumstantiarum, aut cum opinione necessitatis de jure divino, & quasi nullo plane modo eam mutare liceat in publicam, ut tamen factum a Protestantibus in Suecia, Ducatu Würtenbergensi, Argentorati, Ecclesiis Hollandicis, & alibi; præsertim si licentia privatim confitendi iis conceditur, qui eam certis de causis interdum desiderant ac postulant. Saubert. in Epit. Exam. Philipp. 134. & Georg. Mylius in Explicat. Aug. Conf. artic. XI. p. 159. Nec pœnitebit te legisse hac de re Formulam confess. faciendæ in regno Angliæ, præscriptam a Rege Eduardo A. 1548.

Infantibus competit, & non competit pœnitentia.

Intelligendum hoc est de infantibus baptizatis, ac supponendum, vocem *pœnitentiæ* modo significare regenerationem & renovationem, modo internam illam immutationem, qua homo peccata sua agnoscit, ac detestatur, cum proposito ea missa faciendi, & ambulandi in vitæ novitate. Priore sensu *infantibus competit*, quum baptismus sit lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, ad Tit. III. 5. *Non* autem posteriore, quia rationis usu destituti, non possunt peccatum suum agnoscere, ac detestari, cum proposito piæ sanctæque vitæ & conversationis. Bajer. Comp. p. 728.

Remissa culpa manet, & non manet pœna temporaria luenda.

Vocabulum *pœnæ* vel late sumitur, improprie & æqui-

voce, pro castigatione, a Deo, ut benigno Patre, filiis pœnitentibus immissa; vel stricte & proprie, pro pœna proprie dicta, quam Deus, ut iratus judex & vindex, infligit. Iuxta priorem sensum, dixeris quidem, *remissa peccati culpa, manere pœnam temporariam luendam*, *non* vero juxta posteriorem. Ἀσύστατα enim sunt, hunc vel illum hominem Deo reconciliatum esse, & gratiam remissionis peccatorum impetrâsse, & tamen Deum eidem adhuc iratum esse, pœnamque ab eo reposcere, quæ sit ultio irati vindicis. G. Calixt. in Epit. Theol. p. 158. Brochm. Syst. Theol. T. 2. L. de Pœnit. p. 366. Le Févre dans les Motifs invincibles &c. p. 291.

De Justificatione.

Formale justificationis est, & non est remissio peccatorum.

Formale seu ratio formalis ipsius actus *justificationis est remissio*, seu non imputatio *peccatorum*; hac enim posita, ponitur justificatio hominis peccatoris, sed credentis in Christum, coram Deo; eademque ablata, aufertur & ipsa justificatio. *Et non est* remissio peccatorum, sed justitia Christi fide apprehensa, loquendo de forma hominis justi, cujus intuitu, in actu justificationis, justus reputatur. Sic Apol. Aug. Conf. art. de Justif. p. 273. docet, *Justificari* dupliciter posse sumi, 1. prout significat *ex injustis justos effici* seu constitui, per justitiam, quæ coram Deo valet: quæ quidem non alia, quam justitia Christi, obedientia ejus activa & passiva parta; 2. ut idem est ac *justos pronunciari & reputari*. Et hæc imputatio justitiæ Christi est fundamentum remissionis peccatorum, adeoque ea ordine naturæ prior; neque excluditur, sed subintelligitur potius, aut præsupponitur, quando formalem justificationis rationem, docetur, esse remissionem peccatorum. Bajer. 758. & seqq.

Deus

Deus justificat, & non justificat impium.

Impius dicitur cum ille, qui pœnitentia ductus peccata retractavit, & Christi satisfactionem fide apprehendit; tum iste, qui media pœnitentiæ spernit, & in impietate vitæ perseverat. Illum *justificat* Deus, & a peccatis absolvit: *non* vero hunc. Deus enim odit operantes iniquitatem, Ps. V, 5. Et qui non credit Filio, super eum ira manet, Joh. III, 36. Bajer. in Comp. 761.

Homo justificatur, & non justificatur opere bono.

Homo, qui fide justificatur, *justificatur operê bono*, quia credere in Christum, est bonum opus. *Et non justificatur bono opere*, ut tali, & quatenus est hominis opus, aut virtus in eo: siquidem justificatio fit ex fide, Christum, ejusque meritum complectente. Schröder. in Catech. 360.

Justitia Christi, in justificatione, est, & non est aliena.

Justitia Christi, quæ homini pœnitenti *in justificatione* imputatur, *est aliena*, quia non homo, cui imputatur, sed Christus obedientiam præstitit, & λύτρον exsolvit. *Et non est aliena*, sed nostra, quatenus obedientiam & satisfactionem illam Christus, nostri loco, & nostro nomine præstitit, nosque illius per fidem participes reddimur. Schröd. ibid. 338.

In justificatione homo fit, & non fit justus.

In justificatione, quæ significat actum forensem, *homo fit justus*, judicialiter, quatenus pro justo declaratur. *Et non fit justus* inhærenter, per illum actum forensem. Quanquã gratia justitiæ & sanctitatis inhærentis, homini, qui justifica-

ficatur & a peccatis absolvitur, pariter infunditur, ita ut absolutio, & justitiæ hujus donum, non tempore, sed ordine naturæ distinguantur. Fabric. Syst. 395.

Fides justificat, & non justificat.

Fides hominem dicitur *justificare* metonymice, quia ejus intuitu Deus hominem reputat justum, seu quia fides, vi meriti Christi, Deum movet, ut eum justificet, & a peccatis absolvat. *Et non justificat*, proprie & stricte loquendo, quandoquidem fides non absolvit hominem a peccatis, eumque reputat & declarat justum. J. Musæus disp. de Justificat. §. 38.

Fides est, & non est prior justificatione.

Prius aliquid dicitur vel natura, vel tempore. *Fides justificatione prior est* natura; *& non est prior* tempore. Idem l. c. §. 12.

Fiducia est, & non est altera pars fidei justificantis.

Fiducia, quæ ponitur in Christi merito, quaque homo in eo acquiescit ut bono præsente ac suo, & causa alterius boni, *est altera*, eaque essentialis, *pars fidei justificantis*. *Et non est*, sed fidei justificantis effectus, si illam intelligis fiduciam, quæ ab homine justificato ponitur in gratia & misericordia Dei, & paterno ejus affectu. De hac loquitur Apostolus ad Eph. III, 12. scribens: *In quo* (Jesu Christo) *habemus loquendi libertatem & aditum cum fiducia, per fidem ipsius*. Bechm. Annot. ad Hutt. Comp. 354. & Guil. Forbes. in Considerat. Controvers. p. 6.

* *Sola, & non sola fide justificamur.*

Sola fide justificamur, coram Deo, ex parte nostra, seu fides ex parte nostra est id, cujus intuitu DEUS nos justi-

justificat; & quicquid non est ipsa fides (etiamsi cum fide conjunctum sit, ut pœnitentia & charitas) id a nostra parte pro justificationis causa haberi non debet. Merito autem hoc fidei tribuitur, *quia in fide magis manifestatur, hominem non propria virtute, sed Christi merito justificari*, uti Toletus commentatur in cap. 3. epist. ad Rom. annot. 17. Sed *non sola fide justificamur*, si fidem gratiæ Dei & merito Christi velles opponere, cum tamen illis non sit opposita, sed subordinata: nam propositione hac, *sola fide justificamur*, non excluduntur diversa causarum genera a justificatione; certe non efficiens principalis, quæ est Gratia Dei: nec meritoria, quæ est Christus: nec causæ instrumentales offerentes, quæ sunt a parte Dei evangelium & sacramenta: quin nec a nostra parte resipiscentia h. e. timor iræ DEI, & peccati agnitio ac detestatio, novumque propositum, & similes alii motus eliminantur: sed tantum in eod. genere causæ, nempe organicæ applicantis (aut, si mavis, impulsivæ minus principalis) removentur a justificatione ea, quæ fidei apud Apostolum Paulum, Rom. III, 28. c. IV, 5. Gal. II, 16. c. III, 9 10. Eph. II. 8. 9. respectu justificationis sunt opposita, nempe opera. Ut *sola fide justificari*, sit, nullis nostris operibus justificari, cum sola fides, non opera, gratiam Dei ac Christi meritum apprehendat, sibique applicet. Sic docent Nostrates in Amica tractat. int. part. apud Chytr. Hist. A. C. 253. & Fabric. Syst. Theol. p. 384. Addatur Guil. Forbes. in Considerat. controv. p. 17. & Pierce in Pacificator. theol. orthod. Opusc. c. 20. §. 8. & seqq.

* *Fides est, & non est causa justificationis impulsiva.*

Fides est justificationis causa impulsiva, & quidem minus principalis, quippe quæ Deum movet, non quidem sua

ſua propria dignitate, vi, aut valore, ſed virtute, dignitate & valore objecti, ſive meriti Chriſti, quod apprehendit. *Et non eſt*, ſaltem ex eorum mente, qui ſibi perſuadent, cauſam impulſivam externam omnem inferre meritum quoddam, vel certe bonitatem, dignitatem, & perfectionem propriam, qua voluntas cauſæ efficientis ad agendum moveatur. Qua de re conſulendus Muſæus in diſſert. de Æt. Elect. Decr. c. 2. §. 62. 63.

Fides poteſt eſſe, & non eſſe ſine operibus.

Falſa, inutilis, & mortua *fides poteſt eſſe ſine operibus*: at vera & ſalutaris *non poteſt eſſe ſine illis*, docente ſic non tantum Jacobo cap. II. 14. 17. ſed etiam Paulo 1. ad Cor. XIII. 2. *Vera* nempe *& falſa fides hic non dicitur, qua quis vera vel falſa credit, ſed qua vere vel hypocritice credit. Vere autem credit, qui id, quod credit, ad rem confert; hypocritice, qui id, quod credit, vel credere ſe profitetur, opere ipſo non præſtat. Et ſic etiam veteres id hoc loco accipiunt, ut Didymus, Beda, & Gloſſa ordinaria*, verba ſunt C. Horneji in Expoſit. liter. cap. II. epiſt. Jacobi, qui utique amplius legi meretur: eique etiam jungi poſſunt, quæ David. Pareus notat in eundem Jacobi locum.

* *Fides eſt obedientia, & non eſt obedientia.*

Fides, qua obedimus verbo evangelii, illud vera cordis fiducia acceptando, *eſt obedientia*: nam Paulus in ep. ad Rom. I, 5. expreſſe ſcribit, *ſe per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, gratiam & apoſtolatum, ad obedientiam fidei*, id eſt, ut homines fide obediant Deo, *accepiſſe*. Atque hoc reſpectu fides eſt opus, & obedientia hæc ad primum ſpectat præceptum, illaque fidei obedientia fides quidem eſt,
ſed

ſed talis, quæ majorem cauſatur & operatur obedientiam. Cæterum *fides non eſt obedientia* formaliter, & quaſi obedientia præceptorum evangelicorum ſit ipſa fides: illa enim hujus effectus eſt, non ratio formalis. Calov. in Annot. ad Rom. I. 5. & Spener. Abgenöth. Rettung ſeiner reinen Lehre. p. 53. & ſeqq.

* *Fides conſervatur, & non conſervatur per ſancti-moniæ ſtudium.*

Fides per ſanctimoniæ ſive bonorum operum *ſtudium conſervatur* negative, & per modum ejus, quo removetur id, quo fides excutitur & amittitur, nimirum vitæ impietas & peccata contra conſcientiam. *Non* autem *per ſanctimoniæ ſtudium conſervatur* poſitive, & per modum cauſæ, influendo in ejus conſervationem: nam proprie loquendo fides conſervatur per easdem cauſas, per quas generatur, nempe per verbum & ſacramenta; hæc enim ſunt media, divinitus inſtituta ad fidem ſalvificam in hominum cordibus accendendam, nutriendam, roborandam, & conſervandam; ſanctimoniæ ſtudium vero ejus conſequens eſt. Ita Theologi Jenenſes, interque eos inprimis Muſæus in Ausführl. Erkl. p. 577. Confer Dieter. Inſt. Cat. de Bon. Op. qu. 34.

* *Fides & incredulitas poſſunt, & non poſſunt ſimul conſiſtere.*

Fides juſtifica *& incredulitas*, ſive infirmitas, dubitatio & diffidentia, *poſſunt ſimul conſiſtere* in eodem ſubjecto, ſeu homine. Nam renovatio in hac vita eſt imperfecta, & idem homo ex parte novus eſt & ſpiritualis, ex parte autem vetus & carnalis. In quantum ergo homo fidem poſſidet, & per eam juſtificatus eſt & renatus, in tantum nihil ipſi negotii eſt cum infirmitate fidei, dubitatione

ac diffidentia. In quantum vero adhuc vetus, & nondum plene renovatus eſt, in tantum expoſitus & obnoxius eſt dubitationi, infirmitati atque diffidentiæ, maxime ſi extrinſecus adveniat prava tentatoris ſuggeſtio. *Non autem poſſunt ſimul conſiſtere*, ratione ſuæ eſſentiæ aut formalis rationis: fides enim, ratione ſuæ eſſentiæ & formalis rationis, plane excludit ignorantiam, dubitationem, infirmitatem & diffidentiam: nec eſt aliquod mixtum ex notitia, aſſenſu, fiducia, & ignorantia, dubitatione, diffidentia. Chriſtian. Chemnit. diſp. de Tentat. ſenſus & inexiſtentiæ fidei th. 20.

* *Aſſenſus notitia fidei prior eſt.*

Aſſenſus, quo conſtat fides, quique verbo divino præbetur, *prior eſt notitia*, non qualicunque & hiſtorica, quæ in infideles etiam, & irregenitos cadit, ſed vera illa ac ſalutari, Hinc Petrus 2. ep. III. 5. de irriſoribus ait, *ipſos volentes ignorare, cœlos jam olim extitiſſe per Dei ſermonem, & terram ex aqua & in aqua ſubſiſtentem.* Ad quæ verba C. Hornejus in Expoſit. liter. ſic commentatur: *Si quæras, quomodo hæc ignorâſſe irriſores illi dicantur, cum tam expreſſe in verbo Dei perſcripta ſint, reſpondeo, non dici eos hæc ignorare, quaſi non noverint, in Scripturis ea contineri, ſed ideo, quia Scripturis ipſis non credebant: nam quod per fidem cognoſcitur, id tum demum ſcitur, cum verbo divino creditur ſeu adſenſus præbetur; ignoratur autem, quamdiu ei non creditur, quantumvis hoc aut illud eo affirmari ſeu tradi non ignoretur. Sic Chriſtum Dei filium ex verbo divino agnoſcit, non qui novit, eum, ut Dei filium, in verbo illo deſcribi: id enim etiam in infidelem cadit; ſed qui verbo illi hoc tradenti adſentitur & credit, & ipſum pro eo habet, quem eſſe verbum Dei teſtatur.*

Fides implicita datur, & non datur.

Fides implicita datur, in quantum non omnia credenda distincte sciuntur. Interim homo omni verbo Dei virtualiter credere paratus esse debet, ita ut illis etiam objectis, quæ hactenus non distincte scit, si a Deo revelentur, fidem non detrectet. Et sic *Sancti in V. T. multa crediderunt implicite, quæ nos in N. T. explicite credimus*, ut scribit Chemnit. part. I. Exam. C. T. p. 60. *Et non datur*, prout fides implicita putatur implicari in alterius fide, ut, si dicas, te credere, quod credit Petrus. Quæ est fides sine notitia & assensu, immo larva & spectrum fidei, ac mera ignorantia. Hülsem. præfat. Dial. p. 86.

Objectum fidei est, & non est gratia Dei in Christo nobis exhibita.

Objectum fidei, in justificationis coram Deo negotio, *est gratia Dei in Christo nobis exhibita*, dum eum nobis nasci, & pro nobis pati ac mori voluit. Luc. II. 11. ad Rom. VIII, 32. c. III, 24. & Joh. III, 16. *Et non est* præcise *gratia Dei in Christo nobis exhibita*, sed omne Dei verbum, quod recipit, & cui assentitur; si quidem fides in tota sua latitudine & exercitio sumitur. Sic Apostolus Paulus profitetur, se credere omnibus, quæ in lege & in Prophetis scripta sunt. Act. XXIV, 14. J. Musæus disp. 3. de Convers, p. 148. & 177.

Fides charitate formatur, & non formatur.

Si *formari* dicitur, quod a posteriori monstratur & quasi perficitur, tunc non absurde dici possit, *fidem formari charitate*, quia per charitatem seu bona opera, viva & vera coram hominibus illa demonstratur. Si autem *formari*

stricte usurpatur, pro constitui a priori & essentialiter, minime dicendum, *fidem formari charitate.* Sic enim illa constituitur notitia, assensu & fiducia; charitas autem ejus consequens est & fructus. Immo ut accidentia ultimatæ formæ sunt, quibus alia formantur, ipsa autem ulteriores formas non habent, ita fides, tanquam accidens, est forma & quidditas in se ipsa. Guil. Forbes. in Considerat. modest. & pacif. controvers. p. 16.

Ad justificationem requiruntur, & non requiruntur dispositiones quædam antecedentes.

Ad justificationem hominis adulti *requiruntur*, ratione ordinis a Deo constituti, *dispositiones quædam antecedentes*, ut, de peccatis dolere, abstinere ab iisdem, Deum eorum vindicem reputare, vitæque in meliorem mutandæ capere propositum. *Et non requiruntur*, respectu meriti, sive hoc dicatur esse de congruo, sive de condigno. Nam per illas homo non meretur justificationem, quippe quæ ex mera Dei gratia proficiscitur, minime autem ex justitia, ut Apostolus docet ad Rom. III. & IV. Idem l. c. p. 11. Chemnit. Exam. C. T. part. I. 155. & le Févre p. 270.

Fides est, & non est pars sanctitatis.

Sanctitas sumitur vel late, pro complexu omnium eorum, quæ ab homine christiano requiruntur, quæ suo ambitu etiam fidem complectuntur: vel stricte, pro studio virtutum, quæ fidei contradistinguuntur, atque ut fructus ex ea nascuntur. *Fides* ergo *est pars sanctitatis* late acceptæ. *Et non est pars*, sed potius principium & fundamentum sanctitatis, stricte sic dictæ. Bechmann. in Annot. ad Hutt. Comp. p. 500.

Sunt,

Sunt, & non sunt tres gradus fidei.

Tres sunt gradus, seu partes veræ & salutaris *fidei*, Notitia, Assensus & Fiducia, secundum receptam Theologorum doctrinam. Est enim notitia, in simplici apprehensione posita quoddam fidei initium, vel actus quidam mentis, ad fidem requisitus, quum credere non possimus, nisi quæ mente apprehendimus, & apprehensione simplici cognovimus. *Et non sunt tres*, sed duo gradus, duæve partes, Assensus videlicet & Fiducia, quoniam notitia illa, in simplici assensu posita, nondum est fides; fides autem in formali suo conceptu assensum importat. Hinc in Saubertina Examinis Philippini Epitome p. 54. *fides* justificans dicitur esse, *assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiæ : & esse fiducia, acquiescens in Deo propter Filium, accedens ad Deum, & invocans eum, & clamans, Abba*, id est, *Pater*. Adde, quod nuda notitia etiam in impiis contemtoribus christianæ religionis locum habere possit. Hornej. in ep. Jac. II. 14. & Theol. Jen. Ausführl. Erklär. 574. Immo, si Guil. Forbesium p. 7. sequi placet, *cui fides justificans nihil aliud est, quam assensus animi firmus ac certus, a Spiritu S. per verbum eductus, quo omnia a Deo in Scripturis revelata, ac præsertim de mysterio redemtionis & salutis nostræ per Christum factæ, verissima esse statuimus, propter auctoritatem Dei revelantis*, quique fiduciam ab hac fide, ut connexum vel consequens distinguit, proprie fides in assensu constiterit, nec ultra unum gradum se extenderit.

Datur, & non datur fides specialis.

Fides specialis dicitur illa, qua homo universales promissiones de Christo mediatore, & gratia per ipsum impetranda, ad se ipsum transfert, & credit, Christum pro se

esse passum & mortuum. Talis *specialis fides*, quæ cum ab objecto speciali, in quod fertur, scilicet Christo mediatore, & promissionibus de gratia Dei & remissione peccatorum ac salute propter Christum, tum ab ejus speciali applicatione, nomen adepta est suum, *datur* citra omnem controversiam. *Et non datur*, si quis eam sibi fingat appellari a promissionibus aut revelationibus, cuique credenti specialiter & in particulari factis. J. Musæus tract. de Convers. disp. 3. p. 110.

Christiani jam in hac vita redduntur, & non redduntur participes salutis.

Salus dupliciter sumitur in Scripturis, 1. pro salute *inchoata*, vel fruitione gratiæ, aut justificatione & reconciliatione hominis. Quo sensu sæpe dicitur in evangelio: *Fides tua te salvum fecit.* Quibus verbis non corporis, sed animæ potius salus, in remissione peccatorum consistens, intelligitur. 2. Pro salute *consummata*, vel fruitione gloriæ sempiternæ post hanc vitam, quam adhuc speramus & exspectamus. Illius mentio fit Matth. V. 1 — 11. ad Tit. II. 11. & c. III. 5. hujus Joh. III. 36. Utrumque autem simul complexus, scribit Paulus Apostolus ad Rom. IIX. 24. *Spe servati sumus*, id est, Luthero interprete, wir sind wol seelig / doch in der Hoffnung. Ex dictis jam facile constabit sensus paradoxi nostri. *Christiani jam in hac vita redduntur participes salutis* inchoatæ: *& non redduntur participes* consummatæ. Hackspan. & Dürr. in Term. Distinct. & Divis. philosoph. theolog. p. 528.

Fideles possunt, & non possunt esse certi de salute sua.

Sicut iterum inter salutem *inchoatam* & *consummatam*, seu *præsentem* & *futuram*, ita etiam inter *certitudinem absolutam*

lutam & conditionatam diſtinguendum eſt. Abſoluta certitudo, animo hominis inhærens, illa dicitur, qua quis vel ex evidentia ſenſuum, aut terminorum, vel ex invicta demonſtratione, vel ex teſtimonio omni exceptione majori, perſuaſus eſt, rem ſic, & non aliter ſe habere. Conditionata, qua quis certus quidem eſt, rem ita ſe habere, non tamen abſolute, ſed ſub certa conditione. Jam *fideles de ſalute ſua* inchoata & præſente, hoc eſt, de gratia Dei, pœnitentia, remiſſione peccatorum, juſtificatione, fide & ſanctificatione ſua, poſſunt eſſe certi, & quidem abſolute. Sic enim certi eſſe poſſunt ex fidei præſentis veritate, deque actibus ſuis internis, ſive de animo ſuo. Et hinc jubentur *ſe ipſi probare, an ſint in fide.* 2. Cor. XIII, 5. *Et non poſſunt eſſe certi* abſolute, ſed tantum conditionate *de ſalute ſua* tam in hoc, quam in altero, eoque meliore ſeculo futura. Nam qui ſupervivunt juſtificationi ſuæ, eos oportet *militare bonam militiam, retinere fidem ac bonam conſcientiam*, 1. Tim. I, 18. 19. Ecquis autem plane certus eſt, ita ſe perſeveraturum usque ad finem vitæ? Quamvis enim a Deo, ob ſummam ejus potentiam, bonitatem & veracitatem, nullum fidelibus ſit metuendum periculum ab ipſorum tamen parte multiplex ſuboriri poteſt defectus, ſi videlicet ſponte labantur vel in hæreſin aut apoſtaſiam, vel in vitæ impietatem, qua Dei gratia excutitur, & jus hæreditatis cœleſtis amittitur. Hackſpan. & Dürr. in Term. diſt. & diviſ. p. 61. Fabric. Syſt. p. 403. & Phil Mel. in LL. Commun. prout extant in Libris Norm. Norib. p. 757. & 758. qui ait: *Timorem ad opera noſtra, fidem ad miſericordiam Dei referri debere*, reſpiciens ad dictum Apoſtoli in ep. ad Phil. II, 12. ubi fideles jubet *cum timore ac tremore ſuam ipſorum ſalutem conficere.* Adde Form. Conc. 763. 777.

** Bona opera ſunt , & non ſunt neceſſaria.*

Bona opera heic loci vocantur actiones hominis renati liberæ, quas ipſe viribus gratiæ in converſione acceptis auctisque, juxta normam verbi divini exercet ad DEI gloriam. Et hæc *ſunt neceſſaria* neceſſitate ordinis & debiti: neceſſitate ordinis, quia ordinatum eſt a Deo, ut renovatio juſtificationem, juſtitia operum juſtitiam fidei, juſtitia inhærens juſtitiam imputatam conſequatur, ſeu comitetur: neceſſitate debiti, propter cauſas impulſivas & finales, quarum aliæ reſpiciunt Deum, aliæ Renatos, aliæ Proximum. Hinc *Lutherus* ſolebat dicere: *Bona opera facienda ſunt, ut glorificent Deum: ut teſtentur de fide: ut ſerviant proximo.* Hæc autem tria principalia capita in alia membra dividi & diſtribui poſſunt, quomodo egregie id præſtitit *Chemnit.* part. 3. LL. p. 65. *Non* autem *ſunt neceſſaria* neceſſitate coactionis, & determinationis: non enim renati vel extrinſecus coacti, vel ab interno principio impulſi bona agunt, ſed ſpontaneo ac libero ducti ſpiritu, & *delectantur lege DEI ſecundum interiorem hominem*, ceu Paulus loquitur ad Rom. VII, 22. Neque etiam ſunt neceſſaria ad juſtitiam vel ſalutem efficiendam aut promerendam: uti pluribus docet idem *Chemnit.* l. c. p. 48. & ſeqq. Cui adde Confeſs. & Defenſ. Studioſorum Francofurt. ad Oderam de Novæ obed. neceſſitat. p. 1. & ſeqq. & Abd. Prætorii Reſponſ. ad ſcriptum Andr. Muſculi de Bonorum Operum & novit. vitæ Libert.

** Opera non-renatorum, quæ ad præſcriptum legis moralis fiunt, poſſunt, & non poſſunt appellari peccata.*

A non-renatis opera quædam *ad præscriptum legis moralis fieri possunt*, non absolute ac simpliciter, & sine omni defectu, (nam ne renati quidem talia præstare possunt) sed quodam tantum modo. Qua ratione gentes dicuntur facere τὰ τοῦ νόμου, *ea, quæ sunt legis*, Rom. II, 15. Et in Apol. A. C. art. 18. docetur, *humanam voluntatem posse aliquo modo efficere justitiam civilem seu operum, posse loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire Magistratibus, & Parentibus in opere externo eligendo, posse continere manus a cæde, ab adulterio, a furto.* Hujuscemodi opera non renatorum *possunt appellari peccata* eo, quod non ut opera renatorum ex fide & cum delectatione ad Dei gloriam, sed potius ad exactionem legis, absque fide, & interiore complacentia, hominum magis, quam DEI causa, fiunt. Unde etiam Deo non, ut illa, placent & probantur. *Non* autem *appellari possunt peccata*, in quantum legi conformia, ideoque bona & honesta sunt. Chemnit. Exam. Conc. Trid. part. I. p. 111. Meisn. Anthrop. disp. XXI. §. 124. & Theol. Jen. Ausführl. Erkl. p. 334. 335.

* *Bonorum operum causa formalis est, & non est ἐννομία.*

Bonorum operum causa formalis est ἐννομία, seu conformitas eorum cum voluntate vel lege divina, loquendo de eorum forma essentiali, per quam sunt, quod sunt, vel quando in sese, & in absoluta sua natura considerantur. Et *non est ἐννομία*, sed fides, loquendo de eorum forma assistente, per quam talia, vel talia sunt, seu quando spectantur, in quantum Deo placent, atque ab ipso acceptantur, & præmiis decorantur. *Per fidem enim non tantum de operibus nostris reddimur certi, quod cum voluntate Dei conveniant, in quantum scilicet fides notitia & assensus est, sed etiam*

perfectionem Christi apprehendimus, atque imperfectionem operum nostrorum obtegimus, in quantum fides fiducia in Christum est Unde fit, ut adhærens imperfectio nobis non imputetur, sed opera nostra Deo accepta sint ac probentur. Quando enim persona Deo reconciliata est propter Christum, Eph. I, 16. tunc etiam opera & justitia inhærens nostra Deo accepta fit; siquidem placente persona, etiam ipsa bona opera placent: sunt verba Carpzovii in Isag. in Libb. Symbol. p. 269.

* *Bona opera sunt, & non sunt meritoria.*

Meriti vocabulum vel late usurpatur, vel stricte. Late, pro aliquo actu aut opere, cui beneficium redditur. Stricte, pro laboribus & officiis condigne aliquid merentibus. Ad meritum autem de condigno requiritur non tantum, uti Becanus T. 1. opusc. 7. c. 3. n. 2. & Theol. Schol. part. 2. Tr. 4. c. 5. q. 1. vult, ut sit moraliter bonum, liberum, ab homine viatore præstitum, eoque renato, & Dei amico, pactumque seu promissio Dei de compensatione vel retributione facienda; sed etiam præterea, ut idem illud opus ei, cui præstatur, sit utile, indebitum, cum mercede, quæ ei persolvitur, proportionem & æqualitatem aliquam habens, atque ut merces illa præcise ex justitia & debito detur, non ex liberalitate. Sic *mereri* vel notat aliquod donum gratis consequi & obtinere, vel pretium ex condigno acquirere. Priori sensu *bona opera sunt meritoria*, sed posteriori sensu *non sunt meritoria*. Hinc Apologia Aug. Conf. dicit p. 304. Libb. Normalium Noribergensium: *Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ, aut justificationis: Hæc enim tantum fide consequimur; sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium in hac vita & post hanc vitam, quia Paulus inquit*: Unusquisque recipiet mercedem, juxta suum laborem. Et paulo post: *Postquam*

fit

fit (obedientia erga parentes) *in justificatis, meretur alia magna præmia.* pag. 324. 325. *Concedimus & hoc, quod eleemosynæ mereantur multa beneficia Dei, mitigent pœnas, quod mereantur, ut defendamur in periculis peccatorum, & mortis.* pag. 342. *Fatentur adversarii, quod justificati sint filii Dei & cohæredes Christi. Postea opera, quia placent Deo propter fidem, merentur alia præmia corporalia & spiritualia. Erunt enim discrimina gloriæ sanctorum.* Atque eadem repetit p. 344. Sensus itaque horum dictorum (ut cum Dürrio Isag. in LL. Norm. Norimb. p. 60. loquamur) est, Deum hominibus, sibi per fidem in Christum reconciliatis, vi promissionis gratuitæ, ex mera liberalitate, largiri pro diversitate bonorum operum, ex fide profectorum, varia & diversorum graduum præmia. Ad eundem modum Urbanus Rhegius, ipsius Lutheri (præfat. in explic. Ps. LII. a Rhegio factam) judicio, genuinus & orthodoxus Theologus, verba S. Cypriani, quæ in ejus libello de Eleemosyna exstant, & inferre videntur, quasi bona opera de condigno vitam æternam mereantur, explicat, scribens in Opp. Lat. part. 2. p. 44. *Quando operibus præmium illud promittitur, intelliguntur opera ex fide per charitatem efficaci profluentia. Non enim opera sine fide, nec fides sine operibus, quæ facere potest, præmiatur. Ideo dicit Cyprianus in eod. sermone, quod DEUS meritis & operibus nostris præmia promissa retribuat. Nota, promissa. Sed omnes promissiones Dei factæ sunt ex gratia, propter Christum, ut liceat quidem, hac moderatione, nostra opera dici meritoria, si simul agnoveris, & confessus fueris, hæc opera esse divinæ gratiæ in voluntate nostra effectus, & quod Deus in nobis sua opera coronat, & quod inutiles servi sumus etiam omnia facientes. Absit autem pharisaismus ille Scholasticorum, quod nostra opera de condigno mereantur vitam æternam. Quæ est enim proportio nostræ sanctitatis, quantacunque etiam in hac vita*

fuerit, si ad vitam æternam, h. e. ad ipsum summum, infinitum & incommutabile bonum, Deum, fuerit collata? Vide etiam Phil. Melanchth. Consil. ad Gallos, Tomo IV. ipsius Operum, p. 827 Confess. Wirteberg. apud Chytr. in Hist. A. C. 421. Grot. ad Luc. XXI, 36. & l. Lud. Fabric. Oper. pag. 429.

** Major, & non major gradus sanctitatis a nobis in N. T. requiritur.*

Major gradus sanctitatis a nobis in N. T. requiritur, ratione majoris & clarioris cognitionis, quæ nobis tanquam adultis, præ fidelibus Vet. Testamenti, tanquam pueris, data est. *Et non requiritur*, ratione præceptorum, quasi nimirum plura nobis, quam illis olim, præcipiantur: summum enim inter præcepta est illud de charite. Spener. Abgenöth. Rettung seiner Lehre. p. 51. & seqq.

** Legis impletio renatis est, & non est possibilis.*

Legis moralis *impletio renatis est possibilis* 1. imputatione, quæ fit per fidem. 2. inchoatione, seu nova obedientia. Quia enim Christus propter nos legem perfecte implevit, ideo illis, qui agunt pœnitentiam, & Christum vera fide apprehendunt, perfecta legis impletio, quam Christus præstitit, fide imputatur, æque ac si ipsi præstitissent. Et sic perfectam legis obedientiam & impletionem habent imputatione per fidem. Quia vero hæc justificatio legis impletur non in iis, qui secundum carnem, sed qui secundum spiritum vivunt, Rom. VIII, 13. requiritur etiam in renatis nova obedientia, qua, virtute Spiritus sancti, interiores concupiscentias crucifigunt, pravis inclinationibus resistunt, externos lapsus fugiunt, &, quantum in hac depravaprava-

pravatæ carnis imbecillitate fieri poteſt, ſpiritu incedunt. Rom. XIII, 8. 9. ubi Pater cœleſtis, qui opera filiorum ſuorum, tanquam contaminata, a facie ſua rejicere & damnare poſſet, eadem tamen gratiose & ſecundum ἐπιείκειαν evangelicam, tanquam bona opera, ſuſcipit, defectibus merito Filii ſui obtectis, & variis mactat præmiis. *Et non eſt poſſibilis* in totum, & modo perfectiſſimo, quia *non eſt homo juſtus ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet*, Eccleſ. VII. 21. & quia *lex ſpiritualis eſt*, non niſi ſpirituales motus, atque ſic perfectiſſimam omnium virium cordis, voluntatis, ac mentis integritatem & obedientiam requirens, citra ullam repugnantiam ullius motus contrarii: *renati autem ſunt carnales*, h. e. variis carnis & concupiſcentiarum illecebris obnoxii, Rom. VII, 14. Quæ ſunt verba *Dieter.* in Inſt. Cat. p. 199. 200. Priorem legis impletionem intelligit Apol. Aug. Conf. quando p. 344. ait: *Quanquam legis impletio meretur mercedem, (proprie enim merces ad legem pertinet) tamen meminiſſe nos evangelii oportet, quod gratis offert juſtificationem propter Chriſtum. Nec legem prius facimus, aut facere poſſumus, quam reconciliati Deo, juſtificati, & renati ſumus. Nec illa legis impletio placeret Deo, niſi propter fidem eſſemus accepti. Et quia homines propter fidem ſunt accepti, ideo illa inchoata legis impletio placet, & habet mercedem in hac vita, & poſt hanc vitam.* & pag. 428. *Quia cum fide accepimus Spiritum S. neceſſario ſequitur legis impletio, quæ ſubinde creſcit, dilectio, patientia, caſtitas, & alii fructus fidei.*

* *Datur perfectio chriſtiana, & non datur.*

Datur perfectio chriſtiana, quæ dicitur viæ, comparata, & partium, h. e. talis, ad quam homo chriſtianus jam in hac vita poteſt ac debet adſpirare, ita ut aliquo modo, & reſpectu eorum, qui non ita gnaviter voluntati Dei

obsequuntur, perfectus dicatur, & omnia ac singula Dei præcepta, sive decalogum, secundum omnes ejus partes, καθδύναμιν studioseque observet. De qua sic testatur Augustana Confessio in art. 6. Abus. *Perfectio christiana est, serio timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum; petere a Deo, & certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem: interim foris diligenter facere bona opera, & servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei.* Et in Apologia hujus artic. dicitur *omnes homines, in quacunque vocatione, perfectionem expetere debere, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi, & similibus virtutibus spiritualibus.* Atque huc pertinent exempla Noachi, Jobi, Davidis, Ezechiæ, Zachariæ, Elisabethæ, Gen. 6, 9. Job. 1, 1. Psal. 26, 1. Esa. 38, 3. Matth. 2, 3. 35. Luc. 1, 6. nobis eum in finem proposita, ut ejusmodi perfectionem, qua illi claruerunt, ipsimet quoque sectemur. Eandem perfectionem præcipiunt aut celebrant dicta Scripturæ, quæ leguntur Matth. 5, 48. 1. Cor. 2, 6. & c. 14. 20. 2. Cor. 13. 11. Phil. 3, 15. Col. 1, 28. c. 4, 12. 1. Joh. 2, 5. & Jac. 1. 4. *Non* autem *datur* talis perfectio, qua nunquam peccemus, ne per infirmitatem quidem: nam *si dixerimus, nos peccatum non habere,* h. e. uti Estius interpretatur, nos vivere sine quotidianis & frequentibus peccatis, saltem ex fragilitate humanæ naturæ originaliter corruptæ ortis, *nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est,* sicut ipse Johannes ad fideles scribit in 1. ep. c. 1. 8. Et hoc sensu Paulus se jam perfectum esse negat, ad Phil. 3, 12. Vid. iterum *Speneri* Abgenöth. Ehren-Rettung. p. 164. & ejusd. præfat. in Dialogum B. K. de Templo Salomonis.

Orandum

Orandum, & non orandum est pro impiis.

Orandum est pro impiis, ut convertantur, nobisque tranquillam cum iis, si cives nostri sunt, vitam degere liceat. *Et non orandum est* pro iis, quatenus prava moliuntur, & pro felici illorum successu. Bechm. ad Hutteri Comp. p. 664.

Non-renatorum opera quædam sunt, & non sunt bona secundum substantiam actus.

Substantia actus non eodem apud omnes modo capitur. Alii enim per eam intelligunt substantiam bonorum operum, alii etiam circumstantias. Duplici hoc termini sensu posito, dicimus, *non-renatorum opera*, secundum normam legis moralis præstita, *esse bona secundum substantiam actus*, priore: *& non esse bona secundum eandem*, posteriore sensu. Non enim ex fide, & cum delectatione ad Dei gloriam fiunt, quamvis legi conveniant. Hinc Chemnitius in Exam. C. T. *ea suo genere honesta & bona esse* asseruit. Baj. Comp. 789.

Martyrium est, & non est baptismus.

Martyrium est singulare Dei donum, quo propter Christum adperhibendum sanctum veritati evangelicæ testimonium, fideles, vel adversa quævis patienter sufferunt, vel ipsam etiam vitam ac sanguinem profundunt. Illud *incruentum* vocant, hoc *cruentum* martyrium. Et cruentum hoc *martyrium est baptismus* metaphoricus, de quo Servator Matth. XX, 22. *Potestis baptizari baptismo, quo ego baptizor*, i. e. omnes illas passiones sustinere, quas ego sustineo? *Et non est baptismus* proprie dictus. Hinc Cy-

priani dictum: *Martyrium simul est & baptismus, & corona, quia & baptizat, & coronat.* Hutter. LL. Theol. pag. 936.

Consilia evangelica faciunt, & non faciunt ad perfectionem.

Consilia evangelica, quæ Bellarmino l. 2. de Monach. c. 7. sunt opera bona, a Christo non imperata, sed demonstrata, non mandata, sed commendata; eidemque multa esse dicuntur, sed tamen præcipue tria, Continentia, Obedientia, & Paupertas, a præcepto variis modis distincta, *faciunt ad perfectionem*, in quantum viam parant ad perfectionem, eamque promovent, tanquam instrumentum vel causa, removens ea, quæ perfectioni obstant, & remoram injiciunt. *Et non faciunt ad perfectionem*, si eorum observatio judicaretur ipsa esse perfectio, perfectionem legis moralis diminuens. Luther. T. 1. Opp. Lat. Jenens. 222. Chemnit. LL. Theol. part. 2. p. 110. 111.

Christianis graviora, quam Judæis sunt, & non sunt imposita præcepta.

Christianis graviora, quam Judæis, imposita sunt præcepta, si quædam illorum seorsum cum hisce contendantur. Sic præceptum de tolerantia crucis & afflictionum est durius, & carni humanæ ingratius annuo itinere ad templum Hierosolymæ, aliisve similibus. Sed *non sunt graviora*, si totus status V. T. cum nostro confertur: nam hoc respectu, lex Mosis gravissima & ægre portabilis erat, quum interim Christi præcepta sint jugum suave & onus leve. Fabric. Syst. 421.

DEUS præcipit, & non præcipit impossibilia.

Distin-

Distinguendum inter impossibilia per se, & per accidens, interque humanam naturam in se consideratam, & eandem in statu integritatis & regenerationis sufficientibus a Deo viribus instructam. Priore modo *Deus præcipit impossibilia*; *non* vero posteriore. Nam quamvis perfecta illa obedientia, quam Deus postulat, homini irregenito impossibilis sit, non tamen impossibilis fuit protoplastis, eximiæ sanctitatis & justitiæ dono adhuc gaudentibus; nec etiam impossibilis est ei, qui ex Deo natus est, & facultatem bona faciendi e cœlo accepit, maxime quum Deus, qua est benignitate erga fideles, contentus sit, si sincere & absque hypocrisi, pietatem exerceant, etiamsi illa non omnibus numeris perfecta sit. Quo sensu toties hortatur S. Johannes in 1. ep. ut præcepta Dei observemus, & tandem c. V, 2.3. scribit: *Per hoc cognoscimus, nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus, & præcepta ejus observamus. Hæc est enim charitas Dei,* (qua eum diligimus) *ut præcepta ejus observemus, & præcepta ejus gravia non sunt.* Luth. T. 1. Opp. Jenens. Lat. 224. Dieter. Inst. Cat. pag. 201.

Fides est, & non est forma bonorum operum.

Forma duplex est. Assistens, & Constituens. Illa rem gubernat, ut nauta navem; hæc informat, ut anima corpus humanum. Jam quando *fides* dicitur *forma bonorum operum*, intelligendum id est de forma assistente: nisi enim fides præsto sit, quæ merito Christi tegat imperfectiones additas operibus nostris, illa Deo placere nequeunt, cum impossibile sit, sine fide placere Deo. Heb. XI, 6. At forma bonorum operum constituens *non est* fides, sed potius ἐννομία, seu conformitas cum lege. Meisner. in Philos. Sobr. T. 2. 545.

Fides justificans est, & non est major charitate.

Fides justificans est major charitate erga proximum, propter Christum, quem in evangelii promisſione fidelis homo apprehendit, & in quo, ac per quem accipit justitiam & ſalutem æternam. *Et non est major charitate*, propter ædificationem eccleſiæ, utilitatem proximi & perpetuam durationem. Meiſn. Anthropol. S. Diſp. XXIIX. §. 14.

In statu renovationis dantur, & non dantur carnales.

In statu renovationis dantur carnales, videlicet illi, qui, ut infantes, nondum habent ſenſus exercitatos, nec carnis conſuetudines, inclinationes, occaſiones, ſecundum Scripturam, diuturna experientia ſatis explorârunt; unde facilius ac ſæpius præoccupantur in lapſibus, inſtaurandi a ſpiritualibus ſpiritu manſuetudinis, jubente Apoſtolo Gal. VI, 1. *Et non dantur*, tales, puta, qui data opera ſecundum carnem ambulant, in morte ſpirituali verſantes, & æternæ obnoxii. Rom. VIII, 13. Phil. Melanchth. Tom. IV. p. 810. & Breith. Inſtit. theol. 401.

DEUS delectatur, & non delectatur jejunio.

Deus delectatur jejunio, ſi fiat hoc conſilio, ut caro in gyrum redacta, ſubjiciatur Spiritui, & modus non excedatur. *Et non delectatur*, ſi quis vitæ aſperitate, corporis ſui vires ipſe exhauriat. Schröd. Catech. 411.

Ciborum delectum habere est, & non est nefas.

Nefas est, ciborum delectum habere, si quis hunc vel illum cibum pro immundo habeat, conscientiæ causa ab eo abstineat, atque in hujusmodi abstinentia cultum divinum constituat. *Et non est nefas*, ob curam valetudinis, vel præceptum Ecclesiæ, aut aliam causam, citra opinionem cultus divini, aut meriti. Id. 416.

Bona opera sunt, & non sunt ad salutem necessaria.

Bona opera, a Deo mandata, quæque justificationem sequuntur, & fructus sunt fidei, *ad salutem* completam & æternam consequendam, adultis, & iis quidem, qui rationis sunt compotes, & tempus atque occasionem habent bene operandi, *sunt necessaria*, ita, ut nemo illorum salutem futuram adipisci, atque æternum beatus esse possit, nisi a peccatis voluntariis sibi caveat, pietati autem & sanctitati, quantum per infirmitatem humanam potest, sedulo studeat, & fidem suam operibus christianæ charitatis demonstret. Sic enim docet divus epistolæ ad Hebr. auctor c. XII, 14. *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Ad quæ verba Æg. Hunnius hunc in modum commentatur: *Certissimum igitur est, quod citra hanc sanctimoniæ virtutem Deum visurus sit nemo: non quod sanctimonia ad salutis consecutionem requiratur, ut causa, sed quia fides, in qua salus nostra consistit, absq; sanctitatis & novæ obedientiæ studio nunquam est.* Et bona opera *non sunt ad salutem necessaria*, si per ea intelliguntur cultus electitii, & opera ab humano excogitata ingenio, aut, si de operibus quidem vere bonis loquaris, eadem tamen requiras ab infantibus, vel in universum ab adultis, etiam illis, qui rationis usu destituti sunt, & demum sub finem vitæ convertuntur, quibusque adeo nec tempus, nec occasio proferendi bona opera, tanquam fructus fidei suæ,

ſuppetit; denique, ſi ſub termino *neceſſarii*, veram ac propriam cauſam, aut ſtricte dictum meritum inferre velis. Quo ſenſu phraſis hæc a Noſtratibus Scripturam ſacram, & pium Bernhardum, auguſtumque Auguſtinum ſecutis, quorum illi Tract. de Gratia & lib. arbitr. opera noſtra ſunt *via regni, non cauſa regnandi*; hic vero in lib. de Grat. & lib. arbitr. *non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere* profitetur, rectiſſime damnatur atque rejicitur. Vide Chytr. Hiſt. A.C. p. 242. Form. Concord. p. 590. & 704. Glaſſ. Diſſert. X. ſuper Aug. Conf. §. 103. & ejusdem Judicium Germanicum de nonnullis controverſ. n. XXVI. p. 72. Hülſem in Inſtruct. G. Calixt. in Lucubrat. in Gen. c. XXIX. p. 109. & Horneji Diſſert. de Fidei non cujusl. ſed, quæ per charit. operatur, necesſit. ad ſal. ejusque Defenſ. iterat. Adſert. & Repetit. doctrinæ veræ de Necesſit. B. O. ad ſal. ac Joh. Muſæi Bedencken ſive Judicium de hac controverſia. Quorum omnium tamen, aliorumque, quos itidem prudentia ornat & moderationis ſtudium, judicio & conſenſu, propoſitio hæc, *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, totidem verbis non eſt temere uſurpanda, nedum mordicus defendenda, proque uſu ejus, tanquam pro aris & focis, & quaſi totius cardo chriſtianiſmi in explicita ejus uſurpatione conſiſteret, & absque ea pietatis ſtudium plantari aut ſervari & propagari non poſſet, digladiandum ac dimicandum. Loqui enim poſſumus cum Scripturis, ut Matth. V, 20. VII, 13. XIX, 17. ad Rom. IIX, 13. ad Gal. VI, 8. ad Hebr. X, 36. & c. XII, 14. & res erit ſalva.

De Lege.

Conſcientia ad ſolum Dei forum pertinet, & non pertinet.

Conſcientia ad ſolum Dei forum pertinet: hic enim ſolus

ſolus hominum animos poteſt inſpicere, & judicare de actibus internis. Et non ad illud ſolum, ſed etiam ad forum eccleſiaſticum & civile, quatenus etiam hæc poſſunt homini nonnulla præcipere, adeo ut is, ſi præcepta non facit, ipſe apud ſe judicet, fateaturque, ſe male facere. Fabric. in Syſt. p. 340.

Præceptum ſecundum eſt, & non eſt primo ſimile.

Præceptum primum, amorem Dei, ſecundum, dilectionem proximi nobis præſcribit. *Secundum* hoc *præceptum primo eſt ſimile*, 1. quia utrumque pertinet ad cultum moralem, qui perpetuo anteponendus eſt ceremoniali. 2. ob pœnæ æternæ reatum, quem tam hujus, quam illius violator incurrit. 3. ob neceſſariam cohærentiam dilectionis Dei, & proximi, tanquam cauſæ & effecti, adeo, ut neutra absque altera fieri queat, ceu Johannes docet 1. ep. IV, 20. *Et non eſt primo ſimile*, 1. ratione objecti: primi enim præcepti objectum eſt Deus benedictus, ſecundi homo, DEO infinitis modis inferior. 2. ratione ordinis. Nam obedientia primi præcepti eſt principalis; ſecundi autem, minus principalis. Ideo enim diligendus eſt proximus, ut diligatur præcipue & colatur Deus. Id. 345.

Omne furtum eſt ablatio rei alienæ: ſed non omnis ablatio rei alienæ eſt furtum.

Omne furtum eſſe ablationem rei alienæ, ſive clam illa fiat, ſive aperte, ſeu vi, ſeu fraude, etiam illis notum eſt, qui ære lavantur. Interim *non omnis ablatio rei alienæ eſt furtum*, videlicet illa, quæ fit in extremo neceſſitatis caſu, ut aut moriendum ſit homini egeno, aut ſurripiendum quid. Schelw. Leitſtern der Gewiß. p. 540.

Paulus de lege honorifice loquitur, & non honorifice.

Apoſtolus *Paulus de lege* morali & ceremoniali *honorifice loquitur*, quatenus eſt doctrina, a Deo profecta, præ humanis dogmatibus & placitis præſtantiam ſingularem habens. *Et non honorifice*, ſed contemtim de illa loquitur, uti opponitur evangelio. Scherz. in Syſt. theol. 259.

Deus poteſt, & non poteſt diſpenſare in lege morali.

Vox *Diſpenſatio* vel proprie ſumitur, pro diſpenſatione formaliter tali, qua in uno eodemque caſu, manente eodem objecto, ſubjecto, cauſa, & omnibus circumſtantiis æqualiter ſe habentibus, diſpenſatur de eo, quod in lege præceptum eſt: vel improprie, pro diſpenſatione materiali, qua quis e. g. alterum occidere, bonumve proximi auferre, atque invito domino retinere jubetur, ſed non eodem ſubjecto & objecto, nec circumſtantiis iisdem manentibus. Jam dicimus: *Deus poteſt in lege morali diſpenſare*, ejusque obligationem removere, improprie & materialiter; *non* autem proprie & formaliter. Sic juſſit Abrahamum filium unicum occidere, & Iſraëlitas auferre bona Ægyptiorum; ſalva præceptorum V. ac VII. obligatione, quia ſubjecta, objecta, & circumſtantiæ illorum variârunt. Abraham enim ſi mandatum exſecutus eſſet, publica id feciſſet auctoritate; neque Iſraëlitæ aliena bona abſtulerunt, ſed ea, quorum ipſi erant domini, & quæ prius ad ſe quaſi rapuerant Ægyptii. Carpzov. Iſag. in LL. Symbol. 957.

* *Prava concupiſcentia in IX. & X.mo præcepto decalogi probibetur, & non prohibetur.*

Prava ſive inordinata *concupiſcentia* domus, uxoris, ſervorum, jumentorum, aliorumque bonorum proximi, non ſolum actualis, ad quam delectatio accedit, ſed etiam omnis omnino, *in IX. & X.mo præcepto decalogi probibetur*, i. e. declaratur, quod ſit contra legem, quodque non adeſſe, aut locum habere debeat. *Et non prohibetur*, ſi connatum illud habituale malum ſpectes, quod jam adeſt inevitabiliter: ſed potius accuſatur, & damnatur. Hinc Chemnitius L. de Lege frequenter monet, *accuſari, argui, taxari concupiſcentiam originalem, ut intelligamus, præcipuum finem legis eſſe, ut agnitionem peccati patefaciat, & accuſet nos, quod conformitatem illam cum lege non habeamus*; ſicut ex eo, & Joh. Muſæo eleganter docet Bajer. in Comp. p. 599.

* *Lex moralis eſt, & non eſt abrogata.*

Lex moralis, cujus ſumma in decalogo comprehenditur, reſpectu credentium, qui ſunt in Chriſto Jeſu, *eſt abrogata* (1) quoad juſtificationem, *non enim eſt data lex, quæ poſſit juſtificare*, Gal. III, 21. (2) quoad maledictionem: nam *Chriſtus nos redemit ab exſecratione legis, dum pro nobis factus eſt exſecratio*, Gal. III, 13. (3) quoad rigorem exactionis, qui non acceptat obedientiam niſi ſit perfecta, munda & perpetua, ita ut qui in uno delinquit præcepto, reus ſit omnium; nam *qui ſpiritu ducuntur*, gratiæque & ductui ejus non reſiſtunt, *non ſunt ſub lege* illa cogente & terrente, quia non metu pœnarum & propter minas, quas lex tranſgreſſoribus intentat, ſed ſua ſponte & liberaliter, ductu ſpiritus, deſideria carnis ac motus concupiſcentiæ repri-

reprimunt, & a peccato abhorrent, Gal. III, 18. *Non autem est abrogata*, quoad obligationem: quia non est ad tempus data, sicuti leges ceremoniales & forenses, sed est æterna sapientia & regula justitiæ in Deo, & ea, quæ creaturis rationalibus per se conveniunt, præcipit, & quæ disconveniunt, prohibet, adeoque omnes omnino homines in quocunque statu obligat. Unde Apostolus Paulus per occupationis figuram ait: *Legem igitur* καταργοῦμεν, *abrogamus*, sive inutilem reddimus *per fidem? Absit, sed stabilimus*. Rom. III, ult. Chemnit. L. de Lege p. 18. & Hutter. L. de Discr. Vet. & N. T. p. 497. Ex dictis jam patescit, quomodo intelligendum sit illud, quod Phil. Mel. in Locis Comm. scribit: *Hæc legis abrogandæ fuit causa, quia præstari, seu fieri non potuit. Quæ causa cum ad legem moralem potius, quam vel ad judiciorum formas, vel ad ceremonias pertineat, necesse est, fateamur, decalogum quoque abrogatum esse*. pag. 765. Et paullo post: *Non ergo lex abolita est, ne fiat; sed ne damnet, ubi violata est: at eam nemo non violat. Itaque non lex, sed maledictio legis sublata est. Lex non est abrogata, nisi populo N. T. hoc est, novo homini, id est, vere fideli*. pag. 766.

Mosis leges forenses pertinent, & non pertinent ad nos.

Pertinent ad nos, quatenus sunt perpetuæ, immutabiles, communis juris æquitatem naturalem complectentes, & pietatis, justitiæ, atque charitatis regulam dictantes: *non* vero, quatenus profectæ sunt a Mose, ut proprio ac singulari Judæorum legislatore. Zepper. in LL. Mosaic. Forens. explicat. p. 119. Hutterus ad quæstionem: An lex forensis ita sit abrogata, ut nihil amplius de ea sub Nov. Test. sit reliquum? respondet distinguendo inter *rem*, & *rei modum*. Rem vocat ipsam æquitatem naturalem, in prima

prima creatione hominum naturis ingeneratam. Rei vero modum vocat certam illam formam, ad quam in exercendis judiciis forensibus populus Israëliticus erat alligatus: & qui modus solus Veteris Test. erat proprius. Quoad hunc ergo concedit, leges forenses in N. T. esse abrogatas; quoad illam vero, negat. L. de Discrim. Vet. & N. T. p. 498.

Evangelium est, & non est concio pœnitentiæ.

Evangelium dupliciter sumitur, late & stricte, sive γενικῶς & εἰδικῶς: γενικῶς & late, pro tota Christi & Apostolorum doctrina sub N. T. promulgata; in qua licet non sit exclusa doctrina legis, eminet tamen & principem locum obtinet doctrina evangelii: εἰδικῶς & stricte, quo doctrina de gratuita peccatorum remissione per fidem in Christum, sive ea in veteri, sive in novo testamento reperiatur. Secundum priorem significationem, *evangelium est concio pœnitentiæ*, & arguit peccatores, Marc. I, 4. Act. XX, 21. Secundum posteriorem autem, *non est concio pœnitentiæ*, sed lætissimum nuncium, & concio plena consolationis: quandoquidem conscientias contra terrores legis solatur, easque in meritum solius Christi respicere jubet, & dulcissima prædicatione de gratia & favore Dei, per meritum Christi impetrato, erigit ac refocillat. Vid. Apol. A. C. p. 165. & Form. Conc. c. V. de Lege & Evang. pag. 591.

** Promissiones evangelicæ sunt, & non sunt conditionatæ.*

Promissiones evangelicæ de gratuita remissione peccatorum & salute per Christum parta, *sunt* respectu nostri *conditionatæ*, vel sub conditione fidei factæ: nam *ita Deus*

dilexit mundum, ſive quotquot ſunt in mundo homines, *ut filium ſuum unigenitum*, qui opus redemtionis per paſſionem ac mortem ſuam conſummaret, *dederit, ut, quisquis credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Joh. III, 16. Quæ tamen conditio fidei non obtinet reſpectum operis, vel cauſæ efficientis, aut adjuvantis, vel etiam cooperantis, nedum meriti alicujus; ſed tantum rationem habet modi & organi, quo univerſalis promiſſio evangelii accipitur. *Non* autem *ſunt conditionatæ*, quoad illam conditionis ſpeciem, quæ eſt legis propria, & meriti ſive operis humani reſpectum includit. Qua de re præter alios iterum vid. Hutter. in LL. p. 398. 399.

** Lex & evangelium diſtingui debent, & conjungi.*

Diſtingui debent inprimis in articulo juſtificationis, ubi lex & evangelium tam mente, quam affectu merentur dirimi: mente, cum evangelium & fides, beneficia evangelii apprehendens, diſcernitur a lege & hujus operibus, tanquam ad conſtituendum juſtificationis actum non concurrentibus: affectu, cum in ſolo evangelio, non in lege quæritur juſtitia. 2. in uſu clavium eccleſiaſticarum: Impœnitentibus namque ira Dei ex lege acuenda eſt, quibus proprie κεῖται 1. Tim. I, 9. ut accuſationis & condemnationis ſuæ pondere eos premat. Humiliatas autem conſcientias erigere, convenit evangelicis conſolationibus, Eſa. LXI, 8. Luc. IV, 18. *Conjungi* vero *debent* in uſu, & quidem 1. in juſtificationis negotio, ubi itidem & mente & affectu debent eſſe conjunctiſſima: mente, cum evangelicæ juſtitiæ quidditas ac ſublimitas ex legis comparatione docetur æſtimari: quæ enim in Chriſti perſona eſt obedientia legalis, illa nobis per fidem imputata vocatur *juſtitia evangelica*, cujus dignitas ſatis conſpici nequit, niſi hoc

modo

modo ad rigorem & severitatem legis exigatur: affectu, cum ex lege vel capaces nos reddi justitiæ evangelicæ sustinemus, vel adjacentis peccati agnitione exercemur, ut eandem justitiam fide nobis continuari suspiremus. 2. in sanctificatione. Evangelicum enim confert vires spirituales bene operandi; sed lex proponit materiam, circa quam istæ vires exerceantur. Mox & accusat imperfectionem, singulis operibus nostris adhærentem: quo rigore compellit nos recurrere ad fiduciam justitiæ evangelicæ. 3. quoad clavem solventem. Cum enim absolutio ecclesiastica sit testimonium absolutionis seu remissionis divinæ, & hæc, ceu beneficium evangelicum, fide obtineatur ab iis, quos terror legis antea probe percussit, etiam illam tunc oportebit esse efficacem, quando peccator ex lege serium de peccatis admissis dolorem concepit, & ex promissionibus evangelicis fide fuit elevatus in spem certam divinæ misericordiæ. Calert. in disp. inaugur. de Discrim. Legis & Evang. th. Pontif. I. §. 27. & seqq.

V. & N. T. differunt, & non differunt substantia.

V. & N. Testamentum distinguuntur ratione & temporis, & librorum, & pactorum. Et ratione pactorum quidem aliter sumuntur in Scriptura, aliter apud scriptores ecclesiasticos. Nam Scripturæ sacræ *Vetus Testamentum* dicitur pactum illud, quod Deus fecit cum Israëlitis in monte Sinai, paciscens cum eis, si & moralibus præceptis pro virili obedientiam præstarent, & ceremonias ac judicia custodirent, sese illis promissam terram, ejusque tranquillam possessionem concessurum; e contra vero expulsurum eosdem, variisque afflicturum pœnis, si peccatis & inobœdientiæ contumaciter indulserint. *Novum* autem *Testamentum* dicitur pactum gratuitum, promittens omnibus

bus, in Christum credentibus, justitiam ac vitam æternam, per & propter mortem Christi: a quo & fuit plene revelatum, atque ipsius jussu per Apostolos ubivis prædicatum, sicut ejusdem morte confirmatum & ratificatum. Sed apud scriptores ecclesiasticos, unum idemque pactum gratuitum, a Deo per Christum cum hominibus initum, distribuitur in Vetus & Novum Testamentum, pro diverso respectu mortis Christi, cui pactum illud innititur. Sic *Vetus Testamentum* est pactum Dei cum hominibus, de recipiendis iis in gratiam, intuitu mortis Christi futuræ, & hactenus typis adumbratæ. *Novum*, idem Dei pactum, de recipiendis in gratiam hominibus intuitu mortis Christi, sive præsentis, sive præstitæ. Distinctio hæc jam ad præsens negotium applicanda est, ac dicendum: V. & N. T. in sensu biblico accepta, *differre substantialiter*, utpote duo pacta, quorum unum alteri oppositum est, Jer. XXXI. 31. ut deteriori melius, ad Ebr. VII. 22. & c. IIX. 6. *& non differre substantia*, sed tantum secundum accidentia, in sensu ecclesiastico: Etenim mortem Christi, in qua hoc sensu, tam V. quam N. T. fundatur, esse futuram, vel jam præstitam, mera sunt accidentia: quæ rem & substantiam non variant. Fabric. in Syst. 415.

Tempore N. T. omnes, & non omnes a Deo sunt docti.

Tempore N. T. omnes sunt a Deo docti, quatenus omnibus communis & necessaria salvandis doctrina proposita est. *Et non omnes*, quoad donum prophetiæ, quod Pastoribus proprium. Audiamus verba Urb. Rhegii in lib. de Form. caute loq. c. 9. *Non temere hunc locum* (Es. LIV. 13. Dabo universos filios tuos doctos a Domino) *produco. Nam ab imperitis jactatur, tanquam encomium imperitiæ. Et hic putant, se verbum Dei habere, quo omnes bonæ artes, & ipsa*

denique

denique Theologiæ studia explodantur. Christus satis explicat hunc locum Joh. c.VI.44. Nemo potest venire ad me &c. *Heic Christus de communi illa & omnibus salvandis necessaria doctrina loquitur, qua Christum esse agnoscimus filium Dei, propter nostram salutem hominem factum, & in eum, ut nostrum unicum Salvatorem, credimus. Hac doctrina illuminantur certe omnes electi, & qui ea caruerit, condemnabitur. Sed est etiam in Ecclesia alia eruditio, quæ vocatur* donum prophetiæ. *Quo dono donantur non omnes Christiani, sed qui Ecclesiis docendis præficiuntur, ut Scripturas S. exponant ad ædificationem, adhortationem, & consolationem, cujus mentio fit* 1. Cor. XIV. *Hoc donum non est omnibus cerdonibus, sartoribus & sutoribus, cum Apostolis, commune. Quo qui carent, non debent docere in in Ecclesia, sed docentes reverenter audire, ut Apostolus ait:* Qui non est interpres, taceat in Ecclesia: cæterum sibi ipsi loquatur, & Deo.

Sacramenta sunt, & non sunt signa.

Sacramenta sunt signa rei cœlestis, & substantialiter, quanquam invisibiliter, præsentis. *Et non sunt signa* ejusdem, substantialiter & plane absentis. Nempe sunt signa visibilia invisibilis gratiæ. Bajer. in Comp. 833. & Pierce in Pacificat. Corpusc. p. 242.

* *Circumcisio fuit, & non fuit fœdus Dei cum Abrahamo initum.*

Circumcisio vel ad externam ceremoniam refertur, vel universam comprehendit actionem. Posteriore sensu *circumcisio est ipsum fœdus cum Deo,* & sic appellatur Gen. XVII, 10. quia jam non solam ac nudam amputationem pelliculæ respicit, sed internam quoque gratiam & cordis purificationem, quam Deus mediante externa actione intrinsecus operatur: quomodo & baptismus, quia non

externam tantum ablutionem aquæ, ſed univerſam fœderalem actionem continet, vere & recte ipſum Dei fœdus nuncupatur. Priore autem ſenſu non eſt ipſum fœdus, ſed *ſignum fœderis*, atque ita appellatur in ỳ. 11. Æg. Hunn. L. de Sacram. V. & N. T. c. 2. p. 23.

Paſcha erat, & non erat ſacrificium.

Paſcha Judaicum *erat ſacrificium*, proprie ſic dictum, ob mactationem, quæ præcedebat, aſſationem & comeſtionem. *Et non erat ſacrificium* ſtricte ſic dictum, quia non vel totus agnus, vel pars ejus in altari ponebatur, & abſumebatur Domino. Seb. Schmid. in tract. de Paſch. pag. 283.

Sacramenta V. T fuerunt, & non fuerunt ceremoniæ.

Sacramenta V. T. fuerunt ceremoniæ, adeoque ad ceremoniales leges pertinuerunt, in quantum fuerunt ritus externi, in oculos incurrentes. *Et non fuerunt ceremoniæ*, quæ tantum commonefacerent de peccato, & tantum eſſent nervi publicorum congreſſuum, aut tantum typi beneficiorum Chriſti, non autem remedia adverſus peccata, nec media, per quæ fœdus gratiæ initur & obſignatur, neque etiam organa, quibus Chriſti beneficia exhibentur. Bechm. ad Comp. Hutt. p. 641.

Sacramenta ad ſalutem ſunt, & non ſunt neceſſaria.

Diſtinguendum eſt inter neceſſitatem abſolutam, & conditionatam. Nam *ſacramenta ad ſalutem ſunt neceſſaria*, necesſitate conditionata, ſi eorum copia haberi poteſt, & quia Deo placuit, ea ordinare, ut eſſent viſibilia gratiæ ſuæ ſigna, & ſalutis organa certiſſima. *Et non ſunt ad ſalutem*

lutem necessaria, absolute & simpliciter, quia in certo casu, nulla præsertim humana diligentia superabili, omitti, aut etiam, si obstet ignorantia moraliter non facile vincibilis, præter Dei institutionem, tractari, citra periculum salutis æternæ, possunt. Dürr. in Isag. in LL. Normal. Norib. p. 44. Huc pertinet, quod Chemnit. scribit part. II. Exam. C. T. p. 17. *Sano sensu non inviti concedimus, sacramenta ad salutem esse necessaria, tanquam causam instrumentalem; sed tamen addenda est hæc declaratio, non tam præcisam esse necessitatem sacramentorum ad salutem, sicut est fidei & verbi.*

Sacramenta N. T. valent, & non valent ex opere operato.

Sacramenta N. T. ut Baptismus & S. Cœna, *valent*, & gratiam Dei conferunt, aut certe obsignant & confirmant, *ex opere operato*, id est, eo ipso, quod fiunt & suscipiuntur juxta Dei institutionem & ordinationem, qui per omnipotentiam suam, & vi promissionis suæ, symbola illa benedicta & rite tractata jubet esse vehicula gratiæ suæ justificæ & salvificæ. Et sic phrasis hæc, *ex opere operato*, quæ neque in Scripturis, neque in scriptis veterum reperitur, idem illud significat, quod aliis verbis tradi solet de efficacia sacramentorum, vel etiam apud S. Augustinum l. 4. contra Donatist. c. 24. legitur, *ipsum per se ipsum sacramentum multum valere.* Atque inprimis hoc locum habet in baptismo infantum, qui gratiæ Dei, & sacramenti efficaciæ non possunt resistere, & obicem ponere. *Non* autem *valent ex opere operato*, si putes, significari ista phrasi, 1. sacramenta ex natura & conditione operis, effectum aliquem spiritualem producere; 2. in suscipiente, si adultus sit, nullam præparationem, nullum bonum cordis motum requiri. 3. sacramentis inhærere vel inesse virtutem ali-

quam

quam creatam, qua effectum mysticum operentur. Nam *opus operatum*, ut Estius explicat in librum IV. Sentent. dist. I. §. 7. *dicitur ad distinctionem operis operantis. Hoc autem duplex intelligi potest, alterum Ministri, alterum suscipientis. Neque enim valent sacramenta ex opere, id est, fide seu devotione Ministri; quemadmodum contra Donatistas multis locis docet Augustinus. Neque etiam ex opere suscipientis. Quamvis enim in suscipiente, si rationis usum habeat, præparatio quædam per fidem & pœnitentiam necessaria sit*, (ad salutarem effectum sacramenti participandum) *idque ex ipsa sacramentorum institutione; non tamen inde sacramenta suam vim & efficaciam mutuantur, sed eam accipiunt ab eo, a quo sunt instituta.* Et sic Aug. Conf. in art. XIII. *damnat eos, qui docent, quod sacramenta ex opere operato justificent; nec docent, fidem requiri in usu sacramentorum, quæ credat, remitti peccata.* Carpzov. Isag. p. 410. Fabric. Syst. 469.

* *Sacramenta N. T. sunt, & non sunt duo.*

Sacramenti vox iu usu ecclesiastico tripliciter potissimum usurpatur, 1. generalissime, pro re arcana & secreta, ut apparet ex Latina Bibliorum translatione, 1. Tim. III, 16. Apoc. XVII, 7. ubi vox μυστήριον redditur per *sacramentum.* 2. specialiter, pro quovis rei sacræ signo, si vel maxime non sit divinitus in N. T. institutum, sed vel ex veteri desumtum, ut chrisma, vel a piis viris excogitatum, ut signum crucis. 3. specialissime & maxime proprie, pro solenni actione a Christo instituta, in qua, per externum & visibile signum, sive symbolum applicatur & obsignatur promissio evangelii propria. *Tantum duo* igitur *sunt N. T. sacramenta* proprie & stricte sic dicta. Si vero in latiori significatione sumatur vocabulum sacramenti, *plura*, immo innu-

innumera ſacramenta dantur. Et latiorem hanc atque impropriam ſignificationem reſpexerunt Lutherus lib. de Captiv. Babyl. & Philippus Melanchthon in Apol. Aug. Conf. p. 406. & in Reſp. ad Art. Bavar. p. 972. quando Pœnitentiam ſacramentis annumerârunt; item quando Lutherus negat, ſe damnare VII. ſacramenta: ſiquidem iidem alias, cum de proprie dictis N. T. ſacramentis loquerentur, non niſi duo numerârunt, atque agnoverunt. Gerh. L. de Sacram. §. 6. ac de Circumciſ. & Agno paſch. §. 60.

** Intentio Miniſtri, ſacramentum conficientis & conferentis, eſt, & non eſt ad illud neceſſaria.*

Intentio Miniſtri, alterutrum N. T. *ſacramentum conficientis & conferentis*, eſt neceſſaria, puta, ad actus ſacramenti, maxime principales, e quibus ſacramenti forma conſtat, ne videlicet aliquid omittatur, aut perverſe, & contra Chriſti inſtitutionem fiat. *Non* autem *eſt neceſſaria* ad veritatem, integritatem, & effectum ſacramenti: nam utrumque ſacramentum eſt, & manet verum, integrum, & niſi a ſuſcipiente ipſi obex ponatur, ſalutare, etiamſi baptizans aut S. cœnam diſpenſans non habeat animum atque intentionem ſacramentum illud, ut tale, conferendi, aut de ejus effectu & utilitate male ſentiat: ſicut docetur in Aug. Conf. art. 8. ejusque Apologia. Vide Chemn. in Exam. Conc. Trid. & Kromayer. cujus in Theol. Poſ. Polem. part. alt. p. 413. hæc ſunt verba: *Nos licet intentionem ad formam, vel actus, maxime principales, ex quibus ſacramenti forma conſtat, ut ſunt in Cœna conſecratio, diſtributio, manducatio, & bibitio, ne quid omittatur, aut perperam fiat; non tamen intentionem ad finem, gratiam ſcilicet Dei utentibus*

applicandam & communicandam, a Ministro dispensante requirimus, sed causæ principalis intentionem sufficere statuimus. Adde etiam Le Févre p.320.

De Baptismo.

Efficacia baptismi extendit, & non extendit se in futurum.

Efficacia baptismi extendit se in futurum, a parte Dei, quippe qui est veracissimus, & quem donorum suorum non pœnitet. *Et non extendit se in futurum*, ex parte hominum, per peccata graviora, gratia illius fœderis excidentium. Raupp. L. de Bapt. p.118.

Baptismus ab hæretico collatus, est, & non est verus.

Si *hæreticus* dicitur, qui errorem tenet contra articulum fundamentalem, & ad salutem creditu necessarium; talis autem hæreticus baptismum ad normam institutionis Christi administraverit, neque quidquam essentialium baptismi mutaverit, tunc *baptismus* ille *est*, & censetur *verus*. *Non* autem *verus est*, si ille in iis, quæ ad baptismi essentiam pertinent, mutationem aliquam suscipere conatus fuerit. Dispp. Giessens. T. V. p. 210.

* *Exorcismus in baptismo potest, & non potest retineri.*

Duplex est exorcismus, unus externus & corporalis, qui cum dono miraculorum exolevit; alter internus & mysticus seu spiritualis, qui semper ac perpetuo durat, una cum Ministerio ecclesiastico. Cessante itaque dono ejiciendi ex energumenis seu obsessis dæmonia, exorcismus ad ceremonias baptismi translatus est, eo quod per baptismum ex captivitate & potestate satanæ liberamur. Atque *hic exorcismus retineri potest*, ex libertate christiana, ut

ut ritus adiaphorus, contra eos, qui eum, ut ritum per ſe damnabilem, exterminare nituntur: eſt enim adumbratio & teſtimonium 1. ſpiritualis captivitatis, 2. exhibiti Meſſiæ, & præſtiti operis redemtionis, cujus ſpolia per verbum & ſacramenta diſtribuuntur, 3. efficaciæ divinæ, baptiſmi propriæ, 4. præcipui finis Miniſterii, qui conſiſtit in pugna contra ſatanam: 5. eſt confeſſio publica eccleſiæ de peccato originali, contra id negantes, & 6. comprobatur teſtimoniis primitivæ Eccleſiæ; hodieq; viget in Eccleſia Græca. *Non poteſt* autem *retineri* abſolute ac ſimpliciter, & ſub hac opinione, quod ſit de baptiſmi eſſentia, quod denotet obſeſſionem corporalem, quod uſus ejus ſit effectivus, ita ut, baptiſmum ſuſcipiens, vi verborum iſtorum, ex regno ſatanæ liberetur; ſed poteſt commodo tempore, abuſus exemplis manifeſtis deprehenſis, ab iis, penes quos eſt poteſtas circa ſacra, ſub titulo rei adiaphoræ abrogari. Chemnit. in Inſtruct. fut. Min. Eccl. p. 235. & ſeqq. & Theologi Noriberg. in Reſponſ. ad Berolinenſes anni 1666. Quibus addantur ſcripta Juſti Menii, Jac. Coleri, Chriſtiani Kittelmanni, Magdeburgenſium Paſtorum, Joh. Limatoris, & Alex. Uzingeri de eodem argumento.

* *Infantes baptizati credunt, & non credunt.*

Quemadmodum infantes non tantum infidelium, ſed etiam fidelium Parentum, ante baptiſmum nullam habent fidem, ſed ſunt natura filii iræ, Eph. II, 3. ita e ſacris literis certum eſt, eos in baptiſmo donari gratia Dei, & jure regni cœlorum, Spiritum S. in iis operari, adeoque *baptizatos* vere ac proprie *credere*: Nam *licet nec ſatis intelligamus*, (inquit Chemnit. in Part. 2. Exam. Conc. Trid. ad can. 13. de Bapt. p. 92.) *nec verbis explicare poſſimus, qualis*

fit illa Spiritus S. actio & operatio in infantibus, qui baptizantur: esse tamen, & fieri, ex verbo Dei certum est. Illam autem actionem seu operationem Spiritus sancti in infantibus vocamus fidem, & dicimus parvulos credere. Illud enim medium seu organon, quo regnum Dei, quod in verbo & sacramentis offertur, accipitur, Scriptura vocat fidem, *& credentes dicit* accipere regnum Dei. *Et quidem* Marc. X. *Christus affirmat*, adultos ita accipere regnum Dei, sicut parvuli illud accipiunt. *Et Matth.* XIIX. *inquit*: Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt. *Et inter pusillos istos etiam* παιδίον puerulum *numerat. Præterea circumcisio in genere vocatur* signaculum justitiæ fidei, Rom. IV. *Quodsi infantibus circumcisis tribuitur justitia fidei: ergo etiam ipsa fides illis tribuitur. Non* autem *credunt*, ut adulti, quia non ex verbi prædicati auditu, ejusque lectione ac meditatione fidem concipiunt, nec articulorum fidei notitiam habent, nec sciunt se credere, nec cum dubitationibus luctantur, nec fidem suam extrinsecus proferunt officiis charitatis in oculos incurrentibus. Carpzov. Isag. in LL. symbol. p. 334. & J. Lud. Fabricius Opp. pag. 391.

Infantes Christianorum ante baptismum sunt, & non sunt sancti, fœderisque gratuiti participes.

Infantes Christianorum etiam *ante baptismum sancti sunt*, sanctitate analogica, externa, & ecclesiastica, qua liberiorem, præ infantibus infidelium, accessum habent ad ecclesiam, & baptismum, per quem, tanquam per januam, in ecclesiæ adyta introeunt, Christoque inseruntur; immo & ante susceptionem baptismi, *fœderis gratuiti* sunt *participes*, dum nihil obstat, quo minus actu in illud recipiantur, & gratia

gratia fœderali donentur, modo præstent præstanda, & baptismum ex Dei ordinatione suscipiant. Quemadmodum Deus vi promissionis suæ, Gen. XVII, 7. *erat Deus Abrahami & seminis ejus*, dummodo implerent conditionem fœderis, neque contemnerent circumcisionem. Et sic Paulus prohibet, ne fidelis pars conjugum, alteram infidelem dimittat, addita hac ratione: *Maritus enim infidelis sanctificatus est in uxore*, juxta Dei sanctionem ducta, *& uxor infidelis sanctificata est in viro*; *alioqui certe liberi vestri impuri essent*, id est, ethnici: *nunc autem sancti sunt*, sanctitate ecclesiastica, sive quia intra christianismum sunt nati. 1. ad Cor. VII, 14. *Et non sunt sancti ante baptismum* sanctitate interna, quæ renatis competit; multo minus tali, quæ peccatum originis excludat; *neque* etiam ipso actu, & citra baptismum, *participes fœderis gratuiti*; nam & ipsi *sunt natura filii iræ, sicut & cæteri* gentilium, ad Eph. II, 3. & *caro*, seu carnis corruptioni obnoxii, utpote *de carne nati*, Joh. III, 6. & recipiendi in fœdus, nec dum vero recepti. Fabric. Syst. 312. 498. Neque tamen a salute æterna excludendi sunt illi, qui ante baptismum vel in utero, vel post nativitatem moriuntur, quoniam precibus Parentum Christo oblati sunt, atque ad eos etiam pertinet nobilissima illa promissio, qua Deus testatus est, *se fore Deum Abrahami & seminis ejus*, Gen. XVII. sicut in Decad. IV. Consilior. theol. Bidembachii, consil. 3. & 5. p. 279. & 327. docent Bugenhagius, & Schnepfius, & in Enchrid. p. 214. Chemnitius.

Duplex, & non duplex datur baptismus.

Duplex datur baptismus, pro varia hujus vocabuli acceptione, videlicet *baptismus aquæ seu externus*, *quo homo in actu baptismali, aqua abluitur aut adspergitur* : *& Christi seu internus*, *quo cor hominis a sordibus peccato-*

rum abluitur, & Spiritu donatur sancto. Et hic solius Christi est proprius: Solus enim Christus, & non Minister, quisquis ille sit, purificat corda, & donat Spiritum sanctum autoritate sua & potentia: quæ sunt verba Heerbrandi (cujus tanta in Ducatu Würtenbergensi est auctoritas, ut in Ordinatione ecclesiast. majore p. 273. Lectoribus theologiæ injunctum sit, Compendium theol. ab ipso conscriptum, symbolici libri instar, academicæ juventuti explicare) in L. de Bapt. p. 670. editionis Græco-Latinæ. *Et non est duplex*, sed unus, quia, ut idem autor porro exponit, internus baptismus conjunctus est cum externo, ac per eundem fit, ita ut aqua non sit sola & nuda absque Spiritus sanctificatione & regeneratione, sed efficax instrumentum ac medium, homini gratiam Dei & remissionem peccatorum vel conferendi, vel obsignandi, seu, ut Lutherus in Catech. Min. loquitur, *aqua divino mandato comprehensa, & verbo Dei obsignata, operans remissionem peccatorum, liberans a morte & a diabolo, & donans æternam vitam omnibus & singulis, qui credunt hoc, quod verba & promissiones divinæ pollicentur.* Et sic Apostolus nobis præit, ad Eph. IV, 5. scribens, *unum esse baptisma.* Ad quæ verba, hæc est G. Calixti commentatio: *Licet enim vocabulum baptismi varias habeat acceptiones; sacramentum tamen regenerationis & renovationis nostræ unum est institutum, immersione aquæ & pronunciatione solennis formulæ.*

Baptismus per privatum aut mulierem potest, & non potest administrari.

Baptismus per privatum aut mulierem potest administrari, in casu necessitatis, ita ut vel homini absque baptismo sit moriendum, vel hic conferendus a privato aut muliere, & in ædibus quidem privatis. *Et non potest per tales administrari*, publice in templo, extra necessitatis casum,

&quan-

& quando copia haberi poteſt ordinarii Eccleſiæ Miniſtri, cui ab ea officium baptizandi eſt impoſitum. Gerh. L. de Baptiſmo §. 33. Calvin. Inſtit. c. 18. & Zvinglius apud J. Lud. Fabricium in Operib. p. 407.

** Fractio panis in eucharistia eſt, & non eſt neceſſaria.*

Fractio panis in eucharistia eſt neceſſaria, ad diſtributionem: nam & Chriſtus, teſtantibus tribus Evangeliſtis & Apoſtolo Paulo, Euchariſtiam inſtituens ac celebrans, panem benedictum *fregit*, fractumque diſcipulis *dedit*. *Et non eſt neceſſaria*, hac vel illa forma, hoc vel illo modo, atque ubi ad ſacram menſam afferuntur, uti fit in noſtris Eccleſiis, ejusmodi panes, qui ſunt minuti, nec ulteriore fractione opus habent: nam modus fractionis panis eucharistici, quod nempe ſic vel aliter frangi debeat, nuſpiam in ſacris eſt definitus & determinatus: neque Chriſtus ideo fregit panem, ut nobis exemplum proponeret, quo modo panis aliquis magnus in partes frangi debeat, ſed ideo, quia panis, qui tum in promtu erat, non aliter quam per fractionem in partes comminui poterat. Hinc etiam MarpurgenſesTheologi im kurtzen einfältigen Bericht vom H. Abendmahl des Herrn / lit. A iiij. B. & C j. diſtinguentes verba inſtitutionis in verba circumſtantiarum & mandati, expreſſe verbum *fregit* ad claſſem circumſtantiarum referunt, ac diſerte de his pronunciant, quod verbis mandati non ſint æquiparanda: hæc enim habere vim obligationis & neceſſitatis, illa vero eſſe περιςατικά tantum, ac proinde diverſi generis; neque obligationis aut neceſſitatis vim obtinere. Hutter. in LL. p. 692. 693.

De S. Cœna.

** Eccleſiæ Proteſtantium miſſam abolverunt, & non abolverunt.*

Eccle-

Ecclesiæ Protestantium missam aboluerunt, quatenus illa fingitur esse sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis, ex opere operato, & conjuncta est cum multis abusibus. *Et non aboluerunt*, quatenus vocabulum missæ, ad mentem & linguam veterum, (ostendit enim Casaubonus Exercit. XVI. ad Annal. Baronii num. 58. inventum esse hoc nomen circa finem III. seculi, vel paullo ante; & apud Ambrosium accipi missam pro cœna Domini) usurpatur pro vero usu S. eucharistiæ, originem suam habens sive a ritu missarum vel donariorum, quæ in commune comportabantur; sive a formula dimissionis: *Ite, Missa est.* Hinc beati Majores nostri in Aug. Conf. art. 3. de Abus. ita aperte profitentur: *Falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod missam aboleant: retinetur enim missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ fere omnes: præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ: quæ additæ sunt ad docendum populum. --- Est ad hoc facienda missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione: sicut* Ambrosius l. 5. de Sacram. c. 4. *ait:* Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam. *Cum autem missa sit talis communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis missa, singulis feriis, atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti: ubi porrigitur sacramentum his, qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium, non faciunt mentionem privatæ* (sive solitariæ) *missæ. De communi missa plurimum loquuntur.*

* *Missa est, & non est sacrificium.*

Missa, sive cœna Domini, *est sacrificium* improprie dictum, nempe sacrificium memorativum, laudisque & precum, quia in sacra cœna memoria sacrificii Christi in cruce peracti recolitur, & pro eo gratiæ aguntur, Deusque

pro

pro tanto beneficio laudatur ac celebratur. Brent. in Gen. XIV. p. 145. Hunn. de Sacram. c. 16. Hutter. LL. Theol. p. 745. & G. Calixt. de Sacrific. Christi §. 50. *Et non est sacrificium* proprie ac formaliter ita dictum, si cum Bellarmino l. 1. de Missa c. 2. eumque secutis Nostratibus, statuitur, ad sacrificium proprie dictum requiri destructionem rei, si animata sit. Huc pertinet, quod a Protestantibus dicitur in Apol. Aug. Conf. ad art. 3. Abus. in Libb. Norm. Norib. p. 458. *Theologi recte solent distingvere sacramentum & sacrificium. --- Sacramentum est ceremonia vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniæ promissio. -- E contrario, sacrificium est ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. Sunt autem sacrificii species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propitiatorium, id est, opus satisfactorium pro culpa & pœna, hoc est, reconcilians Deum, seu placans iram Dei, seu quod meretur aliis remissionem peccatorum. Altera species est sacrificium* εὐχαριστικὸν, *quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit a reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum, & pro aliis beneficiis acceptis gratias agamus, seu gratiam referamus.* --- p. 459. *Sed revera unicum tantum in mundo fuit sacrificium propitiatorium, videlicet mors Christi, ut docet epistola ad Ebræos.* -- p. 460. *Nunc reliqua sunt sacrificia* εὐχαριστικὰ, *quæ vocantur sacrificia laudis, prædicatio evangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones Sanctorum, immo omnia bona opera Sanctorum. Hæc sacrificia non sunt satisfactiones pro facientibus, vel applicabiles pro aliis, quæ mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorum seu reconciliationem. Fiunt enim a reconciliatis.* -- p. 470. *Non ignoramus, missam a Patribus appellari* sacrificium: *sed hi non volunt, missam ex opere operato conferre gratiam, & applicatam pro aliis, mereri eis remissio-*

misſionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Ubi leguntur hæc portenta verborum apud Patres? Sed aperte teſtantur, ſe de gratiarum actione loqui. Diximus autem ſupra, ſacrificium εὐχαριστικὸν *non mereri reconciliationem, ſed fieri a reconciliatis, ſicut afflictiones non merentur reconciliationem, ſed tunc ſunt ſacrificia* εὐχαριστικὰ, *quando reconciliati ſuſtinent eas.* Alii autem inter recentiores Pontificios aliter ſentiunt, & pro ſacrificio proprie dicto habent ſignum vel notam in re aliqua exiſtentem, qua profiteamur, Deum eſſe auctorem vitæ & necis, præſcindendo, ex parténe materiæ oblatæ profeſſio illa fiat per actualem rei viventis occiſionem, aut per nudam occiſionis illius quondam factæ commemorationem vel repræſentationem, dummodo in actu illo ſacrificandi reperiatur vera profeſſio, ſignificatio & nota divinæ omnipotentiæ, qualis in cruentis ſacrificiis locum habet. Guil. Forbeſ. Conſider. Controv. p. 446.

Recte, & non recte adhibetur panis azymus in S. cœna.

Recte adhibetur panis azymus in S. cœna, ſi fiat ex libertate eccleſiaſtica, & abſque neceſſitatis opinione. Cum enim Chriſtus, Dominus noſter, tempore paſchali inſtituens S. cœnam, azymo pane ſecundum Judaicum ritum, uſus fuerit, voluit hoc imitari pia mater noſtra, Eccleſia. *Non* autem *recte adhibetur*, ſi hæc obſervatio venditatur pro neceſſaria, aliisque obtruditur, aut fermentatum panem uſurpantes condemnantur. Moderate, pro more ſuo, hac de re judicat Godavius, Epiſcopus Graſſenſis in Provincia, Hiſt. Eccleſ. l. 1. p. 151. *L' Egliſe Latine*, ait, *ſ' en ſert aujourd' huy des pains azymes, c' eſt à dire, ſans levain, pour ſon ſacrifice; mais les Doctes eſtiment, avec raiſon, ce me ſemble, que c' eſt uſage eſt moderne, & pretendent*

dent prouver cette opinion, qui choque le vulgaire, par l' autorité des anciens Canons & des Peres, durant plusieurs siecles. L' examen de cette controverse n' est pas de ce lieu, & le changement arrivé en cette circonstance de l' Eucharistie, quelque temps devant le Pape Leon IX. ne blesse pas de tout sa verité, & pour ce sujet l' Eglise Latine ne se separeroit point de l' Eglise Greque, ne s' agissant pas d' un dogme essentiel, mais d' une coustume ceremonielle, pour la quelle il ne faut pas rompre l' unité. Quorum verborum hæc est summa: *Usum azymorum in S. cœna, secundum sententiam doctorum virorum, esse quidem recentiorem, mutationem tamen in hac circumstantia factam non diu ante Leonem IX. qui vixit seculo XI. non tollere ejus veritatem, nec propterea ecclesiam Latinam se a Græca separaturam, cum non agatur de dogmate quodam fundamentali, sed de consuetudine ac ceremonia, cujus gratia vinculum concordiæ neutiquam sit rumpendum.* Vid. Ambros. aut quicunque autor est librorum de Sacram. l. 4. c. 4. Bene etiam Suarez: *Constat, jure divino neutrum horum esse præceptum, quia solum Christi factum non satis est, ad inducendum præceptum.*

Corpus Christi in S. cœna spiritualiter, & non spiritualiter manducatur.

Corpus Christi in S. cœna spiritualiter manducatur, quia non manducatur naturali, sed supernaturali modo, & quia *sine spirituali participatione, quæ spiritu & fide in prædicatione & meditatione evangelii fit, sacramentalis illa, aut quæ ore duntaxat fit, manducatio in S. cœna, non modo accipientibus non salutaris, sed noxia etiam, & damnationis causa esse solet.* Form. Conc. p. 709. & 719. *Non autem manducatur spiritualiter*, quasi non vere & substantialiter adesset, atque a communicantibus sumeretur. Utrumque

que celeberrimus Durandus, prout fas est, complexus, pie dixit: *Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus.* Form. Concord. p. 720. Hutter. in Comp. q. 22. Et ad illud Bechm. p. 712. Guil. Forbes. in Considerat. controvers. p. 382. & Pierce in Pacif. Corpusc. p. 244.

Indigni accipiunt, & non accipiunt corpus & sanguinem Domini.

Indigni, seu impœnitentes, *accipiunt* in S. cœna, quæ fit secundum Christi institutionem, *corpus & sanguinem Domini*, manducatione sacramentali. *Et non accipiunt* manducatione spirituali, seu cum fructu. Saubert. in Epit. Exam. Phil. 147. *Nam si spectamus* ipsam sacramenti naturam, *divina virtus abesse a signo non potest, qua sacramentum est, & huic usui servit*: *si* mores & ingenium accipientis, *illi vita & gratia non est, quod alioqui natura sua utrumque est*, scribit auctor Diallactici de Eucharistia, qui, ut Guil. Forbesio p. 420. videtur, est J. Ponetus, Episcopus Wintoniensis Anglus.

Corpus Christi est, & non est in, cum, & sub pane.

Corpus Christi est in, cum, & sub pane, si quis hac phrasi veritatem præsentiæ velit indicare. Form. Conc. p. 694. 697. 701. *Et non est*, si modum præsentiæ, qui tamen percipi a nobis non potest, audeas hac phrasi determinare, aut forte etiam pertendas, necessario eam esse adhibendam, nec aliter Christi præsentiam doceri & defendi posse. Fabric. Syst. 525. Adde G. Calixt. Animadvers. in Confess. Thorun. p. 53.

Panis consecratus, ante sumtionem est, & non est sacramentum.

Panis consecratus, ante sumtionem, est sacramentum, id est, materia sacramentali usui destinata, vel etiam signum visibile invisibilis gratiæ. *Et non est sacramentum*; quia nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum. Nam ad manducandum & bibendum, institutum est hoc sacramentum. Ut verborum Christi, *Accipite, edite, hoc est corpus meum*, hypotheticus hic sit sensus: Si hoc acceperitis, & comederitis, est corpus meum. Fabric. Syst. p. 524.

Hostiæ consecratæ, possunt, & non possunt asservari.

Hostiæ consecratæ possunt, ad modicum tempus, & in usum ægrotorum, more veteris Ecclesiæ, *asservari*. Quanquam sine dubio convenientius est, & ad commemorandam mortem Domini efficacius, integrum S. cœnæ ritum in domo ægroti peragere, & sacra symbola ibidem consecrare. *Et non possunt* vel debent asservari, ad longum tempus, & cum opinione durabilis permanentiæ sacramenti, etiam extra ipsius usum. Id. p. 524.

Remissio peccatorum, per sacramentum S. cœnæ, donatur, & non donatur.

Remissio peccatorum, per sacramentum sacræ cœnæ donatur, quia Deus credentibus, peccata sua non ita condonat semel, ut deinceps condonare cesset, sed, citra sui mutationem, jugiter ea condonat: sicuti interdiu sol sine intermissione splendet, & oculos videntium collustrat.

Et non donatur per illud, ſed obſignatur & confirmatur, atque uberius confertur, quia ſacramenti uſum fides, indeque impetrata peccatorum remiſſio anteceſſit. Schröd. in Catech. p. *626*.

Coëxiſtentia in S. cœna datur, & non datur.

Corporis & ſanguinis Chriſti cum pane & vino benedicto *coëxiſtentia in S. cœna datur*, ſi vere illud manducatur, atque hic bibitur. *Non* autem *datur* illorum *coëxiſtentia* ſenſibilis & obſervabilis. G. Calixt. Animadverſ. in Conf. Thorun. p. 27.

Pranſum aut cœnatum ad menſam Domini accedere, eſt, & non eſt piaculum.

Piaculum eſt, pranſum aut cœnatum ad menſam Domini accedere, ſi ſcilicet temere hoc fiat, & nulla urgente neceſſitate, immo contra Eccleſiæ ſanctiones & conſvetudinem, atque adeo cum offendiculo haut exiguo infirmorum. *Et non eſt piaculum* in ſeſe, quoniam in ſacris literis non datur prohibitio, quæ obſtet, quo minus prandere aut cœnare liceat. Immo ipſi Diſcipuli Domini vix dum agni paſchalis epulum clauſerant, quando ſanctiſſimi hujus epuli primo omnium participes reddebantur. Id. p. 630.

Communio ſub una a Majoribus noſtris fuit, & non fuit damnata.

Communio ſub una tantum ſpecie, ubi non fit participatio benedicti calicis in S. cœna, *a Majoribus noſtris fuit damnata.* Sic enim profitentur in art. I. de Abuſib. *Conſtat, quod conſvetudo contra mandata Dei introducta, non*

fit probanda : ut teſtantur canones, Diſt. IIX. cap. Veritate. Hæc vero conſuetudo nonſolum contra Scripturam, ſed etiam contra veteres canones, & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Paria leguntur in Artic. Smalc. part. III. de Sacram. Alt. *Et non fuit damnata*, (quanquam etiam non approbata) reſpectu eorum, ſive in iis, qui conſcientia erronea laborantes, & præjudiciis Eccleſiæ aut Magiſtrorum, a multis annis talem ritum, ut convenientem inſtitutioni divinæ, propugnantium, capti occupatique, in libera poteſtate Eccleſiæ ſitum eſſe exiſtimabant, alteram ſigni vel ſymboli euchariſtici partem dare & accipere. Hinc in Amica Tractat. inter part. apud Chytr. in Hiſt. de Aug. Conf. p. 254. dicunt: *Nos multis verbis, ad hæc ſcripto quoque oſtendimus, quomodo excuſemus ſumentes unam ſpeciem propter neceſſitatem, quæ multiplex & varia eſt. Interim non probavimus prohibitionem alterius ſpeciei. Neque vero gravamur ſic docere, ut excuſemus Eccleſiam*, (homines pios & ſimplices in Eccleſia) *& tamen prohibitionem alterius ſpeciei non approbemus. &c. Atque ita ſemper ſcripſerunt & docuerunt noſtri, excuſantes Eccleſiam, ne piorum conſcientias onerarent.* Et Lutherus ibid. p. 270. Philippo hunc in modum reſcribit: *Nos dicimus, Eccleſiam fuiſſe invitam captam & oppreſſam tyrannide unius ſpeciei, atque adeo excuſandam. Quemadmodum univerſa Synagoga in Babylone excuſata fuit, quod non ſervavit legem Moſis, in ritibus eccleſiaſticis & ſacramentis ſuis in Jeruſalem. Neque enim ideo non fuit populus Dei, quia ritus ſibi mandatos non ſervavit, ut captivi & violenter prohibiti.* Sic in Apol. A. C. ubi agitur de utraque ſpecie, p. 440. ajunt: *Nos quidem Eccleſiam excuſamus, quæ hanc injuriam pertulit, cum utraque pars ei contingere non poſſet.* Et ſecundum allatam interpretationem capienda etiam eſt ſententia Philippi, quæ extat in LL. Commun. p. 768. *Sic de Euchariſtia judico,*

non

non peccare, qui scientes hujus libertatis, & credentes, alterutra signi parte utantur. Vide Dürrii Isag. in LL. Norm. Norib. p. 44. & 115. & Carpz. in Isag. pag. 601.

De Prædestinatione.

Prædestinatio & electio sunt, & non sunt synonyma.

Electio ad vitam æternam, & *prædestinatio* stricte sumta, *sunt synonyma.* Nam quando prædestinatio stricte sumitur, significat & ipsa ordinationem fidelium ad salutem, secundum Dei propositum institutam. *Et non sunt synonyma*, si prædestinatio accipitur late, quatenus etiam comprehendit reprobationem. Quo sensu hoc vocabulum usurpant S. Augustinus, Anshelmus, Fulgentius, & Scholastici. Cundis. in Not. ad Comp. Hutt. p. 797.

* *Datur, & non datur absolutum decretum.*

Circa salutem hominum, quos Deus ab æterno prævidit lapsuros, reparandam, ejusque modum, *datur absolutum* quoddam Dei *decretum.* Nam ex mero beneplacito decrevit Deus mittere Filium suum, qui pro illis pateretur, eosque æternum salvare, qui vera fide Servatorem illum suum reciperent, atque ad finem vitæ retinerent. Hæc sane decreta sunt absoluta, quippe quæ nullum involvunt respectum ad aliquid ab hominibus præstandum, quo Deus permotus fuerit, ut saluti hominum procurandæ hæc ipsa media constitueret, videlicet Christi mortem, & fidem hominum. Simpliciter acquiescendum heic in Dei voluntate, & quærenti, cur Deus Redemtorem aliquem, aut non alium, quam Jesum Nazarenum

renum, ordinârit, atque ab hominibus nihil aliud requirat, quam fidem & vivam & perseverantem? respondendum cum Apostolo ex 1. ad Cor. I, 12. *Sic libuit DEO.* G. Calixt. in Considerat. doctr. Reformat. p. 64. & Fabric. in System. p. 618. Ipsum etiam decretum prædestinationis est absolutum, ratione causæ & meriti, quoniam nulla erat causa proprie dicta & in esse reali considerata, nullumque meritum in hominibus, ob quam, vel ob quod Deus illos eligeret: *elegit* enim *nos pro benevolo affectu voluntatis suæ*, ad Eph. I, 5. *Falsum est, & cum verbo Dei pugnat, cum docetur, quod non sola Dei misericordia, & unicum sanctissimum Christi meritum, verum etiam* ALIQUID IN NOBIS, *causa sit electionis divinæ, propter quod nos Deus ad vitam æternam prædestinaverit. Non enim tantum, antequam aliquid boni faceremus, verum etiam priusquam nasceremur, imo ante jacta fundamenta mundi, elegit nos Deus in Christo. De hac gratuita electione Paulus Rom. IX. ad hunc modum scribit*: Cum enim nondum nati fuissent, (Jacob & Esau) aut aliquid boni egissent, vel mali: ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: *Major serviet minori*, Gen. XXV. Sicut scriptum est: *Esau autem odio habui.* Mal. I. verba sunt Formulæ Concord. p. 781. idemque etiam docetur p. 591. *Non* vero *datur absolutum decretum*, respectu conditionis fidei ac resipiscentiæ & perseverantiæ finalis, quasi Deus nihil horum, a se ipso quidem suo tempore ex gratia conferendorum, in actu electionis respexerit: *Elegit* enim *nos in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis* evangelicæ, 2. ad Thess. II, 13. *in Christo*, ad Eph. I, 4. hoc est, secundum Chrysostomi & Theophylacti, fatente Joh. Crocio in commentario, interpretationem, *per fidem in ipsum.* Nam

quos præscivit, ordini a se constituto morem gesturos, *etiam prædestinavit*, Rom. IIX, 29. Neque etiam est absolutum decretum, respectu peccati, damnationisve, *quasi Deus maximam partem mundi, aut ullum hominem, sine peccatorum & incredulitatis ipsius respectu, ad sempiternam damnationem, aut causam ejusdem, vel ab æterno præordinârit, vel in tempore creârit; quandoquidem reprobatio non minus, ac damnatio, ex justo Dei judicio, cujus in ipsis hominibus causa est, peccatum nempe, impœnitentia & incredulitas, facta est*, ut Theologi non minus Brandenburgici & Hassiaci, quam Saxonici, profitentur in Colloq. Lips. anni 1631. p. 18. & 20. Cumque Saxonici ibidem addiderint, quæcunque in libro Concordiæ de hoc Electionis articulo doceantur, ea & vera & S. Scripturæ congruentia a se judicari, non gravabimur, ex libri illius pag. 773. & seq. optima illa monita, quibus & Reformati, ut Bergius testatur in præfat. Tractatus de Voluntate Dei omnes salvandi homines, subscribunt, repetere, atque huc transferre: *Cum videmus, quod Deus verbum suum alicui regno aut ditioni donat, idem vero alii genti non largitur: item, quod id ipsum ab uno populo aufert, alii vero diutius concedit: quod hic induratur, & in reprobum sensum datur, ille vero, qui in eadem culpa hæret, ad Deum convertitur: cavendum est diligenter, ne in his rebus expendendis, cogitationibus nostris nimium indulgeamus. Paulus autem certas metas nobis posuit, quo usque progredi liceat. Jubet enim nos in illis, qui pereunt, considerare justum Dei* judicium; *in illis vero, qui salvantur, immensam Dei* misericordiam. Rom. XI. — *Cum enim natura nostra peccato corrupta, & idcirco iræ divinæ & æternæ damnationis rea sit, Deus* nobis prorsus nihil debet, *neque ullo jure tenetur, ut nobis verbum suum & Spiritum sanctum largiatur, atque gratia &*
favore

favorē nos prosequatur. — Quare cum ēo usque in hujus articuli meditatione progredimur, tum in tuta & regia via ambulamus. Scriptum est enim de hoc mysterio : Perditio tua est, Israël : tantummodo in me auxilium tuum. Hos. XIII. *Quæcunque autem cogitationes, aut quicunque sermones extra hos carceres evagari solent, eos statim cobibeamus, & cum D. Paulo labellum digito compescamus, memores dicti apostolici :* O homo, tu quis es, qui responses Deo? Rom. IX. *Et sane, quod in hoc articulo non omnia perscrutari & pervestigare possimus, aut debeamus, docet D. Paulus suo ipsius exemplo. Cum enim de hoc articulo multis e verbo Dei revelato disputâsset, tandem, cum eo ventum esset, ut diceretur, quænam Deus arcanæ suæ sapientiæ de hoc mysterio reservâsset, silentio ea involvit, disputationem abrumpit, eamq; his verbis concludit :* O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! quis enim cognovit sensum Domini? &c. *Eum autem sensum seu animum Domini incognitum dicit Paulus, quem Deus in verbo suo non revelavit.* Quæ totidem pæne verbis etiam leguntur in Enchirid. Chemnitii p. 156. & seqq.

Propter fidem, & non propter fidem electi sumus.

Ad salutem *electi* a Deo *sumus propter fidem*, quæ Christum, in quo electi sumus, constanter amplexatur. Vnde fides, qua nostra est, nulla alia lege subit electionis decretum, quam ut conditio seu medium, sine quo nos in Christo, in quo electionem fieri necesse erat, esse non possumus. Schröder. in Catechet. p. 371. *Et non sumus electi propter fidem*, quatenus ut opus a nobis, vel virtus in nobis concipitur, (sicuti nec ea ratione propter ipsam

Justificamur) aut quasi Deus electionis *ullam causam proprie dictam*, *vel occasionem in ipsis hominibus, vel primam aliquam salutarem inclinationem, motum vel assensum ad fidem invenerit*, aut quod fides electione prior fuerit: *quicquid enim boni in electis est, ex mera liberrima gratia Dei, quæ illis in Jesu Christo ab æterno data est, originaliter provenit, atque ipsa fides, cujus intuitu electio facta, DEI donum est*, ut loquuntur Theologi Saxonici in Colloq. Lipf. p. 19. Sicut autem nulla efficientia vel prioritas (Mart. Chemnit. in Enchirid. p. 143. & Gerh. §. 170.) fidei tribuitur, quando cum Schrödero, *propter fidem nos electos esse*, vel cum J. Musæo, eumque fideliter secuto Bajero, fidem esse *causam* electionis *impulsivam externam minus principalem*, & quidem *virtualiter* duntaxat *agentem*, vel cum aliis dicitur, fidem esse *causam instrumentalem* decreti electionis a parte nostra, (quanquam Gerhardus L. de Elect. & Reprobat. locutiones istas, nos *propter fidem, vel propter prævisam fidem electos*, vel *ex prævisione fidei* esse prædestinationem, §. 161. 170. 172. 173. 175. rejicit, nosque etiam ab usurpatione vocabuli *causæ* in hac controversia tandem abstinere possumus ac volumus, ceu moderate, nec male, præter alios, se declarat optimus genitor meus in Syst. suo p. 610. ita non est negandum, *fidei intuitum ingredi decretum electionis*, ut loqui amat Gerhardus §. 175. vel, uti se explicat §. 161. &, quasi ejus verba mutuati essent, Theologi Saxonici pronunciant in Colloq. Lipf. p. 19. *Deum ab æterno elegisse, quoscunque prævidit, in tempore, vi atque operatione verbi sui & Spiritus sancti, in Christum credituros, & in fide usque ad finem vitæ perseveraturos esse.* Atque hoc, ut alia omittam, probari potest ex harmonia executionis cum decreto: sicut enim Deus credentes, in tempore salvat, ita eosdem ab æterno etiam prævidit credituros, eosque elegit. Quod argumentum

tum concedunt eximii inter Reformatos viri, Georg. Sohnius, Theologus Heidelbergensis, Tom. 1. Operum p. 257. Thom. Pierce, Anglus, Regiæ Majestati a sacris, Theol. Professor, & Decanus Sarisburiensis, in pacificat. orthod. doctr. Corpusc. p. 48. & Heideggerus, Prof. Tigurinus, in Medulla Theol. christ. p. 104. Neque desunt in cœtu Doctorum Reformatæ religionis, qui sententiam Nostratium de intuitu seu prævisione fidei, suis etiam suffragiis confirmant & statuminant. Nam Theologi Lambethani in Censura Articulorum Whitakeri sic profitentur: *Placuit DEO servare singulos homines, si crederent.* Lancelotus, Wintoniensis Episcopus, in Iudicio de iisdem: *Ego certe*, scribit, *nullo modo existimo, divellenda esse hæc, nempe* præscire & prædestinare, *sed, quod Apostoli faciunt, conjungenda. Neque hic vero audeo præcipitare sententiam meam, aut damnare Patres, qui fere omnes* secundum prævisam fidem *& eligi & prædestinari nos asserunt.* Joh. Rudolph. Stuckius, Theologus Tigurinus, in Considerat. quæstionum, de quibus in Colloquio Lipsiaco non convenerat inter collocutores, circa quæst. 3. de Electione ex prævisa fide, dicit, *assertionem hanc excusationem quandam habere, quia præstitutionem illam fidei & perseverantiæ sic urgeant* (Lutherani,) *ut fidem tamen & in illa perseverantiam, pura esse Dei dona nobiscum fateantur. Vnum & simplicem illum electionis actum, ipsa Scriptura S. ad captum nostrum se accommodans, in decretum de fine, & mediis ad finem ducentibus, distinguit. Non enim ad vitam æternam tantum ordinatos dicit, sed* in Christo *etiam electos testatur, tanquam in medio, perseveranti fide amplectendo, per quod ad vitam æternam ducimur.* Et Josephus Hall, Episcopus Exoniensis, in Iudicio de Colloq. Lips. apud Gesselium in Hist. Eccles. Tom. II p. 650. *Certe*, ait, *inter omnes de prædestinatione quæstiones levissima illa est, quæ de ordine*

decreti solet agitari: quandoquidem nobis certum sit, uno & simplicissimo actu totum hoc ab infinito & sapientissimo rerum Moderatore peragi. Nihil certius est, quam Deum prævidisse credituros, & salvandos prædestinâsse. Detur hoc modo, quod iidem Saxonici non illibenter profitentur, fidem esse unicum Dei ipsius donum, & quicquid boni in electis sit, ex mera liberrima Dei gratia, quæ illis in Jesu Christo ab æterno data fuit, originaliter provenire: *nihil profecto potest esse periculi in illa prævisionis sententia. Prævideri ab æterno DEUS, quod ipse ab æterno dare decrevit, in tempore credituris. Tuta sunt istic omnia, nec est,* (notentur probe hæc verba) *quod iste contentionis funis ultra protrahatur.*

Fides est, & non est fructus electionis.

Fides est fructus electionis eo, quod Deus homines quosdam ad salutem electurus, proposuit sibi, se fidem per evangelii prædicationem in eorum cordibus accensurum. *Nam electio, seu propositum gratiæ, efficiens causa est omnium eorum, quæ ad salutem pertinent,* ait Chemnit. in Enchirid. p. 144. *causa efficiens omnia illa, quæ ad conversionem, fidem, & pietatem pertinent.* p. 143. *Et non est fructus*, sed illud ipsum, quod Deus a parte hominum unice respexit, & cujus intuitu decretum electionis condidit. Alii distinguerent iuter electionem late & stricte dictam, vel inter decretum de toto opere perducendi homines ad salutem, & decretum de certis hominibus, sub certa ratione intellectui divino cognitis, certo salvandis. Schröder. in Catechet, 370. & Bajer. Comp. 933.

Fides est, & non est propria electorum.

Fides ad finem usque perseverans, *est* solorum *electorum propria*: Hi enim finaliter credunt, & sic salvantur. *Et non est propria electorum*, sed etiam competit quibusvis renatis, quamvis non salventur, videlicet illa fides, quæ in se quidem vera est, sed temporaria duntaxat. Sunt enim, *qui ad tempus credunt, & tempore persecutionis desciscunt*, ut Salvator noster loquitur Luc. IIX. 13. Raupp. L. de Bon. Oper. p. 249.

Christus est, & non est liber vitæ.

Christus est liber vitæ, suo modo, & allegorice loquendo, quatenus in ipso facta est electio ad vitam æternam, & omnes finaliter credentes, ipsi, secundum Scripturæ S. ductum, sunt inserti. Et *non est liber vitæ*, quando *liber vitæ* appellatur singularis Dei cognitio de salvandis, seu, ut plenior detur descriptio, catalogus salvandorum, quos Deus ex gratia, propter meritum Christi, perseverante fide apprehensum, & ab æterno prævisum, ante jacta mundi fundamenta, ad vitam elegit, in laudem gloriosæ suæ gratiæ. Form. Conc. p. 588. Chemnit. in Enchirid. p. 138. & Meisn. Anthropol. S. disp. XV. p. 179.

* *Angeli a DEO sunt electi, & non sunt electi.*

Electio vel late accipitur vel stricte. Late accepta est decretum dandi gloriam, post spontaneam creaturæ rationalis obedientiam. Stricte autem accepta, hominibus tantum competit: dicitur enim facta in Christo, & est τῶν μελλόντων πιστεύειν. Jam quando *Angeli*, nempe boni, *a Deo electi* esse dicuntur, intelligendum id est de electione late

late ſumpta, ita tamen, ut nec ex prævifis illorum meritis judicetur facta, nec ex abſoluta Dei voluntate, ſed ex conſequente & conditionata, cum Deus omnes angelos ad gloriam creârit, & ſufficientia ad eam obtinendam media gratiæ ipſis dederit. Sic mentio fit 1. Tim. V, 21. *angelorum electorum*. *Non* autem *ſunt electi*, voce electionis ſtricte ſumpta: non enim, ut hominibus, ita etiam angelis datus eſt Chriſtus redemptor, neque illi fide in Chriſtnm dicuntur vel ſalvati, vel electi. Gerhard. Iſag. in LL. Diſp. XIII. §. 13.

** Numerus prædeſtinatorum eſt certus, & non eſt certus.*

Numerus prædeſtinatorum, ſive quot homines ad ſalutem æternam ab æterno prædeſtinati ſint, *eſt* reſpectu Dei *certus*, ita ut nec augeri poſſit, nec minui, nec alterari, eo quod, qui ſemel ſunt electi, manent electi, nec unquam fiunt reprobi: nam *quos præſcivit* Deus, *hos prædeſtinavit*, Rom. VIII, 29. & *firmum ſtat fundamentum Dei, habens ſignaculum hoc, Novit Dominus, qui ſint ſui*, 2. Tim. II, 19. Ecquomodo Deúm lateat ſapientisſimum & omniſcium, quot & qui ad finem usque vitæ perſeveranter credituri ſint? Unde S. Auguſtinus l. 16. de Correpr. & gratia c. 13. ſcribit: *Hæc de iis loquor, qui prædeſtinati ſunt in regno Dei, quorum ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis. Non eſt* autem *certus* eorum numerus, quoad homines: nam iis, quot electi ſint, ſcire, eſt impoſſibile; indagare autem velle, ſtultum eſt & impium. Meiſner. in Anthropol. S. Diſp. 19. p. 270.

** Electi fidem & Spiritus sancti gratiam possunt, & non possunt amittere.*

Electi, per peccata mortalia & contra conscientiam admissa, *possunt fidem & gratiam Spiritus sancti amittere* totaliter, ita ut ex filiis gratiæ fiant filii iræ, sicut testantur dicta S. Scripturæ Ezech. XVIII, 26. Luc. VIII, 13. Joh. VIII, 34. & exempla Aaronis, Davidis, Salomonis, Petri, & Thomæ. *Et non possunt amittere*, puta finaliter, quia per hanc finalem fidem prævisam eos ab æterno elegit Deus. Meisn. Anthropol. S. Disp. 19. p. 305.

** Electi necessario, & non necessario salvantur.*

Electi necessario salvantur, propter immutabilitatem voluntatis divinæ, quæ tamen immutabilitas tantum est hypothetica. Nam qui electi sunt intuitu fidei finalis prævisæ, sicut poterant non credere finaliter, ita poterant non salvari, sed damnari, adeoque poterant non eligi, sed reprobari. Quando autem, ut finaliter credituri, a Deo prævisi, & sic electi sunt, sicut non possunt esse credentes finaliter, & non credentes finaliter: ita cum electi sunt, necessitate hypothetica non possunt esse non electi. *Et non necessario salvantur*, absolute loquendo, sive quia non salvantur per absolutam necessitatem. Bajer. in Comp. p. 961.

Est, & non est duplex inscriptio in libro vitæ.

Est duplex in libro vitæ *inscriptio*, nempe *temporalis*, quæ Ecclesiam militantem attinet, omnes renatos comprehendit, & per impœnitentiam, ex parte hominis,

deleri potest: & *æterna*, quæ Ecclesiam triumphantem, spectat, solis electis propria est, & nunquam fit irrita. *Et non est duplex*, sed unica duntaxat, quæ modo *æterna* dicebatur, si quis stricte & accurate, & cum ipsa etiam Scriptura, Apoc. XXII, 19. loqui velit. Meisn. Anthrop. S. Disp. XV. p. 185.

Qui inscripti sunt libro vitæ, possunt, & non possunt inde deleri.

Si *liber vitæ* alius dicitur gratiæ, alius gloriæ, haud difficilis est explicatio. Etenim *qui inscripti sunt libro vitæ* gratiæ, *inde possunt deleri*, si sua culpa Spiritui gratiæ reluctentur, eumque expellant. *Et non possunt*, qui inscripti sunt libro vitæ gloriæ: quia hæc inscriptio fundatur in infallibili Dei præscientia. 976.

Electi possunt, & non possunt fieri reprobi.

Electi possunt fieri reprobi, in sensu diviso, & disjuncto, quia non est absolute impossibile, eum, qui est a DEO ad salutem æternam electus, potuisse non eligi: si enim media salutis, prout in ipsius erat potestate, repudiâsset, Deus, pro infinita scientia sua, hoc ipsum prævidisset, atque adeo eum non elegisset. *Non* autem *possunt fieri reprobi*, in sensu composito & conjuncto, hoc est, postquam electi sunt: Nam electio ab æterno facta est, non, ex voluntate Dei absoluta, sed κατὰ πρόγνωσιν, neque secundum prævisionem qualiscunque, sed, usque ad obitum, perseverantis fidei. Quam certa igitur est præscientia Dei, & ejusdem decretum, secundum illam factum, tam falsum est, eum, quem DEUS in fide perseveraturum,

præví-

prævidit, atque ideo elegit, posse fieri reprobum, & transire in numerum damnatorum. Raupp. L. de Prædest. p. 52.

Certitudo prædestinationis datur, & non datur.

A parte prædestinatorum, *certitudo prædestinationis* potest spectari vel pro præsenti, vel pro futuro. Priore modo si spectatur, quilibet suæ electionis & salutis, a posteriori, ex verbo Dei patefacto, & ex fide sua in Christum, certus esse potest, ac debet. Hinc jubemur nos ipsi *experiri, an simus in fide.* Si autem posteriore modo consideratur, tunc certitudo illius non est, nisi conditionata. Cum enim voluntas divina de salvandis hominibus sit conditionata, & conditionis illius observatio ipsis incumbens, extendat se ad ultimum usque vitæ terminum, ac in libertate ipsorum sit posita; non enim necessario, sed libere in fide & sanctitate perseverant, ita ut, si vellent, possent recedere, fidemque & sanctitatem excutere: hinc aliter de prædestinatione sua & futura glorificatione non possunt certi esse, quam sub conditione hac, si perseveraverint. Ideoque requiritur ab ipsis, *ut studeant, vocationem & electionem suam firmam efficere*, II. Pet. I, 10. assiduis videlicet precibus, continua & solicita mediorum salutis usurpatione, fideique & pietatis quotidianis exercitiis. *Non* autem *datur* absoluta, & omnem oppositi formidinem excludens, quomodocunque homines comparati sint, vitamque suam instituant. Fabric. Syst. 620.

Datur, & non datur gratia irresistibilis.

Datur gratia irresistibilis, si loquimur de gratia præveniente & initio conversionis: Non enim est penes hominem in peccatis mortuum, primis divinæ illuminationis radiis sanctisque motibus, quos in ejus animo ad conversionem operari incipit Spiritus sanctus, resistere, & obicem ponere. *Non* vero *datur* gratia irresistibilis, si sermo est de gratia comitante & progressu conversionis: Nam ut homo per gratiam prævenientem vires accipit Deo cooperandi, ita comitanti, seu ulteriori, post primas sanctas cogitationes, gratiæ, per propriam malitiam resistere, si velit, potest. Patet hoc ex inspectione aliquot hominum verbum Dei audientium, qui omnes ex æquo ad pœnitentiam invitantur, & interna gratia præveniuntur; alii tamen conversionem admittunt, alii eandem excludunt & repudiant. C. Franck. in Exerc. Antiwendelin. VI. §. 22. & Joh. Berg. in scripto German. de Voluntate Dei circa omnium hominum salutem c. 12. p. 79.

Deus vult, & non vult omnium hominum salutem.

Ad explicandam propositionem hanc, opus est distinctione inter voluntatem Dei primam seu antecedentem, & secundam seu consequentem. *Prima seu antecedens Dei voluntas* dicitur, qua is vult aliquid ex se solo, seu ex nativa sua inclinatione præcise, nec dum habita ratione circumstantiarum. *Secunda* autem *seu consequens* appellatur, qua aliquid vult, consideratis circumstantiis, seu intuitu alicujus causæ aut conditionis, ex parte creaturæ, cui aliquid vult, spectatæ. Hanc distinctionem jam applicamus ad præsens, ac dicimus: *Deus vult salutem* æternam *omnium hominum*, voluntate antecedente, eaque seria, prout Paulus scribit in I. ad Tim. II, 4. *Deus vult omnes*

omnes homines salvos fieri, nemine excepto: quemadmodum ibidem jubentur Christiani *pro omnibus hominibus*, ne quidem Nerone præterito, quantumvis ethnico, & tyranno crudelissimo, preces fundere. Similiter Petrus ait in 2. ep. III, 9. *Deum non velle ullos perire*. Idem tamen *non vult omnium hominum salutem*, voluntate consequente, & quoniam non omnes conditionem salutis implent, ac fidem a Deo datam acceptant, eave, ut decet, utuntur. Joh. Musæus disp. de Volunt. anteced. & conseq. Cui etiam addi possunt Theologi Brandenb. & Hass. in Colloq. Lips. anni 1631. p. 15. & testimonia aliorum Reformatorum, quæ singulari studio collegit, &, appendicis loco, tractatui suo Germanico de Volunt. Dei circa omnium hominum salutem, subjunxit J. Bergius.

Evangelium toti, & non toti orbi est annunciatum.

Evangelium toti orbi ab Apostolis *est annunciatum*, dum illud in maxima orbis parte prædicârunt, ita, ut omnes homines ad ejus cognitionem pervenire potuerint: Dicitur enim toti factum, quod maximæ parti. Sic toti urbi aut communitati intimatum censetur, quod coram multis publice promulgatum est, ubi, quamvis non omnes incolæ adfuerint, nemo tamen illorum fuit exclusus. *Et quo non pervenit pes Apostolorum, penetravit sonus*, sive per ordinariam prædicationem, sive per famam ab aliis eo delatus. Ad Rom. I, 18. & ad Colols. I, 6. *Et non toti orbi*, sic quidem, ut in omnes angulos & claustra mundi pervenerint Apostoli. Scherzer. in Syst. 284. Quo etiam spectat, quod legitur in Form. Conc. p. 765. *Quos prædestinavit, hos & vocavit. Dominus autem non solet*

 homines

homines immediate vocare: sed per verbum eos, quos vult, vocat. --- Alios quidem hora prima, alios vero tertia, sexta, nona, vel etiam undecima hora. Matth. XX. & in Enchirid. Chemnitii p. 145. *Quos vult esse convivas nuptiarum filii sui, eosdem etiam per missos servos suos vocat*, Matth. XXII. *quemvis scilicet suo tempore. Nec Deo affingamus vel duplex cor, vel contradictorias sententias & voluntates: sed quando per verbum homines ad communionem regni Filii sui vocat, non illudit vocatis, sed voluntatem & sententiam suam serio ita declarat, quod eos, quos vocat, velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, I. Tim. II. *quodque per hanc vocationem, quæ per verbum fit, velit esse efficax, ut vocati illuminentur, convertantur, fide justificentur & salventur.*

Doctrina de prædestinatione ad securitatem & desperationem abducit, & non abducit.

Doctrina de prædestinatione abducit ad securitatem, & impœnitentiam, aut angustias *& desperationem*, per accidens, & vitio hominum, qui ea abutuntur, aut minus commode eam vel intelligunt vel tradunt. *Sic enim* (ut verba Form. Conc. p. 761. mea faciam) *quidam periculose secum cogitant, quin etiam interdum in hanc sententiam loquuntur: Deus electos suos ad vitam æternam prædestinavit, antequam mundi fundamenta jacerentur: electio autem Dei errare non potest, neque eam quisquam impedire aut mutare*

tare valet. Ergo ſi ad vitam æternam ſum electus, nihil ſaluti meæ decedet, etiamſi absque omni pœnitentia omnis generis ſcelera atque flagitia deſignavero, verbum & ſacramenta contemſero, neque unquam de pœnitentia, fide, precibus aut pietate cogitavero. Neceſſario enim ſalvabor, quia electio Dei non erit vana: ſed quod ille de me decrevit atque prædeſtinavit, impleri neceſſe eſt. Si vero non ſum prædeſtinatus, nihil prorſus mihi proderit, etiamſi verbum Dei mediter, pœnitentiam agam, atque in Chriſtum credam: quia electionem neque impedire, neque mutare potero. Neque vero tantum homines impii, verum etiam pii quandoque in has cogitationes veniunt, & incidunt, ut, ſi maxime, per Dei gratiam, pœnitentiam agant, in Chriſtum credant, & pie vivendi laudabile inſtitutum habeant, nihilominus ita ſecum rem reputent: Quid? ſi non ab æterno ad ſalutem electus ſeu prædeſtinatus es, omnis tuus conatus, totusque labor tuus irritus erit. Hæc atque hujusmodi tum præcipue homini pio in mentem veniunt, cum ſuas infirmitates conſiderat, & in eorum exempla animi oculos defixos habet, qui non in fide ad finem usque perſeverârunt, ſed a vera pietate in impietatem rurſus prolapſi, & apoſtatæ facti ſunt. Sed ſalva res eſt, nec magis doctrina de prædeſtinatione efficit falſas & horrendas cogitationes iſtas, quam lex divina iram. Ideo etiam hoc ſubjungimus: *Doctrina de prædeſtinatione*, in ſe, ac per ſe, *non abducit ad ſecuritatem & deſperationem*, ſed potius plena eſt multiplicis ſolatii, ſi ſententia ejus non ex lege, neque ex rationis humanæ judicio, neque ex oc-

culta Dei voluntate petitur, ſed ex evangelio, adeoque ex voluntate Dei revelata. In eo autem perſpicue docetur, quod Deus pœnitentibus, & in Chriſtum perſeveranter credentibus, ſalutem æternam daturus ſit, & quod tales prædeſtinaverit. Chriſtus, ut liber vitæ, nobis proponitur. In hunc ſi credis, & mandatis divinis pro virili obedientiam præſtas, quamvis fides tua infirma ſit, & obedientia tenuis, dummodo corde ſincero præditus ſis, & alienus ab hypocriſi, non eſt, quod dubites de tua prædeſtinatione. Non te deſeret Deus, niſi tu eum deſeras. Nemo te rapiet ex ejus manibus. Arundinem quaſſatam ipſe non franget, nec exſtinguet ellychnium fumigans, ſed ſervabit te, confortabit te, & glorificabit te. Chemnit. in Enchir. 134. Neuberger. in Speculo fidei p. 115. & Wollebius apud Pierce p. 57.

De Ecclesia.

* *Eccleſia Chriſti poteſt, & non poteſt errare.*

Eccleſia Chriſti, ſive hoc vocabulum ſumatur pro univerſis cœtibus aſpectabilibus eorum, qui per totum orbem ſalutarem Chriſti doctrinam profitentur, ſive pro Eccleſia inaſpectabili ſeu veris fidelibus, *poteſt errare* in rebus, quæ ad ſalutem æternam conſequendam ſcitu vel obſervatu non ſunt neceſſariæ, quandoquidem ſine earum cognitione aut obſervatione ſalutaris Chriſti doctrina ſuo loco integra conſiſtere poteſt. Et, loquendo de Eccleſia inaſpectabili, ſive de vere fidelibus ſoli Deo notis, *non poteſt errare*, in rebus ad ſalutem neceſſariis; certe non finaliter: hæc enim privilegium accepit a Chriſto, quod portæ inferorum non poſſint eam ſuperare. Matth. XVI. 18. Gerh. in Conf. Cathol. lib. 1. part. 2. c. 11. & Bechm. in Not. uber. ad Comp. Hutteri p. 602. & ſeqq.

Impura

Impura Ecclesia est, & non est vera.

Impura Ecclesia, seu collectio illa hominum, quorum prædicatio publica, erroribus fidei catholicæ adversis contaminata & corrupta est, *vera est*, prout vox *vera*, Ecclesiæ voci addita, nihil dicit, præter Ecclesiam, & relationem rationis ad potentiam cognoscentem, cui Ecclesia esse apparet, cum Ecclesia non sit. Quo sensu Ecclesia vera & falsa opponuntur inter se contradictorie, & dicitur *Ecclesia vera*, quæcunque non est non Ecclesia, sive quæ est Ecclesia aliqua. *Et non est vera*, prout vox *vera* dicit negationem admixtæ rei alienæ, & Ecclesia vera idem est, ac ecclesia pura, & non falsata; *falsa* autem, quæ impura, falsata & corrupta est. J. Musæus Tract. de Eccles. P. 1. p. 215. Cum quo etiam facit Gerh. in Confess. Cathol. p. 728. his utens verbis: *Vera Ecclesia opponitur falsæ vel* contradictorie, *i. e. non ecclesiæ, seu ipsam essentiam baptismi & religionis totius evertenti coetui*; *vel* privative, *id est, non orthodoxæ ecclesiæ. Posteriore significatione, Ecclesia, apostasiæ partialis rea, non est vera ecclesia, propter depravationem religionis, sed est falsa, h. e. vitiata & impura ecclesia. Prioris oppositionis respectu, concedimus, talem ecclesiam esse veram, h. e. adhuc esse ecclesiam. Quod patet cum a sacramenti initiatorii, h. e. baptismi, quem retinet, veritate, tum a communicatione verbi, facta per publicam textuum biblicorum lectionem.*

Datur, & non datur ecclesia invisibilis.

Ecclesia datur invisibilis, quia revera in his terris est cœtus vere credentium & sanctorum, qui inter se cum Christo capite uniuntur per fidem, nec distincte, ab aliis, utpote corda inspicere non valentibus, videntur aut co-

gnoscuntur. *Et non datur*, sic, ut homines ipsi, qui sunt membra illius propriæ dictæ ecclesiæ, quatenus sunt homines, videri & cognosci nequeant, & quasi confusa de illis, ut vere fidelibus & sanctis, notitia, plane sublata sit. Muss. Tract. de Eccles. P. 2. p. 502.

Una eademque Ecclesia potest esse sponsa Christi, & satanæ scortum.

Una eademque ecclesia in his terris militans, & synecdochice, seu de promiscuo ex sanctis & non sanctis cœtu accepta, *potest esse* castissima *Christi sponsa*, & adultera, *satanæque scortum*, secundum diversas partes; nimirum Christi sponsa, secundum eam partem, qua constat bonis, h. e. vere credentibus & sanctis, quos Christus *filios regni* appellat Matth. XIII, 38. Satanæ scortum autem, & adultera, secundum alteram partem, qua continet malos, sive *filios diaboli*. Sicut unus idemque homo materialis & corruptibilis dicitur secundum corpus, & immaterialis atque incorruptibilis, secundum animam. Sic etiam S. Augustinus in enarrat. Psalmi LXI. *bonos & malos*, ex quibus permixtis ecclesia, synecdochice accepta, aggregata est, in duas distinguit civitates, *Babyloniam* unam, alteram *Hierusalem*, quarum illa sit sub rege diabolo, hæc sub rege Christo, & subjungit: *Hæc duo corpora sub duobus Regibus agentia, ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem seculi, donec fiat ex commixtione separatio, & alii ponantur ad dextram, alii ad sinistram.* Id. P. 1. 288.

Vera Ecclesia ante Lutheri reformationem permansit, & non permansit.

Ecclesia, synecdochice accepta, *ante Lutheri reformatio-*

mationem permansit vera, Catholica & Apostolica, ea parte, qua adhuc constabat vere credentibus & sanctis, qui Dei gratia ab erroribus gravissimis conservati fuerunt intemerati. *Et non permansit*, ea parte, qua constabat non — sanctis, & in errores haut exiguos prolapsis. Id. P. I. 224.

Protestantes secesserunt, & non secesserunt ab Ecclesia Romana.

Protestantes secesserunt ab Ecclesia Romana, ut erroribus haud minimis, variisque abusibus contaminata. *Et non secesserunt* ab ea, qua illa constabat, atque etiam nunc constat vere credentibus & sanctis. Hi enim sunt veræ ecclesiæ membra, a quibus Protestantes segregare se nunquam cogitârunt, nec cogitabunt in posterum. Valet heic illud, quod Philippus Eccio, crimen desertæ Ecclesiæ Romanæ objicienti, respondit: *Cum consensum catholicæ Ecclesiæ Christi vere amplectamur, ac tantum quosdam abusus alterius partis reprehendamus; -- non discessimus ab Ecclesia catholica Christi, sed reliquimus taxatos abusus. Ac ab ipsis verius ex ipsorum cœtibus expulsi sumus violentis edictis, excommunicationibus & nova acerbitate, quæ in Ecclesia non fuit usitata.* Id. 225.

Fuerunt, & non fuerunt concilia œcumenica.

Fuerunt olim *concilia œcumenica* seu universalia, in ordine & respectu ad particularia sic dicta, & quia fere ex universis orbis Romani Ecclesiis aliquos Episcopos & viros doctos continebant, eorumque decreta postmodo ab universis Ecclesiis approbata & recepta fuerunt. *Et non fuerunt* unquam absolute & simpliciter *œcumenica*,

quæ totius Ecclesiæ militantis Episcopos & viros doctos comprehenderent, vel Ecclesiam militantem universam perfecte repræsentarent. Id. P. II. 576. & seqq. & Hildebr. disp. 2. de Iurib. episcop. §. 26.

Corpora civium Ecclesiæ veniunt, & non veniunt sub potestatem ecclesiasticam.

Corpora civium Ecclesiæ veniunt sub potestatem ecclesiasticam, secundum eam conditionem, quam per regenerationem adepta sunt & habent, & qua in æternum etiam perennatura sunt. ***Et non veniunt sub eam***, quoad corporalem suam conditionem: Sic enim potius subsunt potestati civili. Carpz. Isag. in LL. Symb. 746.

Catechumeni sunt, & non sunt de Ecclesia.

Catechumeni, qui in capitibus doctrinæ christianæ informati sunt, iisque fidem adhibent, nec dum tamen ad baptismum pervenerunt, ***sunt de Ecclesia*** universali, ejusque evaserunt membra, ut credentes. Nam Ecclesia universalis est cœtus credentium, Hierosolyma illa superior, omnium nostrûm mater, Gal. IV, 26. ***Et non sunt de Ecclesia*** particulari & visibili, quia in talem nondum actu & solenniter sunt recepti, sed recipiendi. J. Gerh. L. de Eccles. p. 54.

Schismatici sunt, & non sunt membra Ecclesiæ.

Distinguendum inter *schismaticos* malitiosos, qui ex mera malitia ac pertinacia, ecclesiasticæ unitatis vinculum rumpunt, ac turbas movent; & infirmos, qui ex infirmitate, aut ob scandala quædam secessionem faciunt, eamve

meditantur. Hi *sunt membra ecclesiæ*, & ex præcepto Paulino ad Rom. XIV, 1. suscipiendi, non abscindendi, nisi monitoribus asperi fiant. Sic in Corinthiaca Ecclesia erant dissidia, ita ut alii vellent esse Paulini, alii Apollistæ, alii Cephistæ, quos quidem S. Apostolus corrigit, eorumque studium improbat, sed eos tamen communi *fratrum* nomine complectitur, & dignatur ℣. 10. 1. Cor. I. Carpzov. Isag. p. 921. Alii quoque schismaticorum sunt occulti, alii manifesti. *Occulti*, qui juxta Augustinum Quæst. X. ex Matthæo, *invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos vel degradandi, vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes, vel Ecclesiæ perturbationes cogitent excusare*, sunt membra Ecclesiæ quoad externam professionem, non autem quoad fidem & charitatem. *Manifesti* nec externe, nec interne. Musæus Tract. de Eccl. Part. I. 188. & Part. 2. 204.

Excommunicati sunt, & non sunt membra Ecclesiæ.

Alii excommunicantur & ejiciuntur ex Ecclesia jure, alii injuste. Quicunque igitur injuste *excommunicati* sunt, illi omnino *sunt membra Ecclesiæ* christianæ. Sic a Pharisæis excommunicati fuerunt Apostoli, Joh. IX, 22. 34. qui tamen viva Ecclesiæ Judaicæ veræ membra erant. Qui autem jure, & propter ipsorum demeritum, excommunicationis fulmine tacti sunt, illi *non sunt membra* veræ Ecclesiæ, quamdiu in hoc statu manent, nec resipiscunt. Id. part. II. 318.

Angeli sunt, & non sunt Ecclesiæ membra.

Angeli ſancti *ſunt Eccleſiæ membra*, ſi Eccleſiam ſumas late, pro quovis Deum colentium cœtu, ſive ex hominibus conſtet, ſeu ex ſpiritibus, & in quo non ſint media reſtituendæ gratiæ. Qualem eccleſiam ante lapſum formabant homines, in ſtatu innocentiæ conſtituti, ac formabunt beati aliquando in cœlis. *Et non ſunt*, ſi ſtricte illud vocabulum accipiatur, ac pro cœtu hominum, in peccata lapſorum, & ad civitatem Dei vocatorum. Angeli enim nec per verbum vocantur, nec illius prædicatione egent, nec ſacramentis utuntur, nec Mediatorem habent, in quem fidem, ut nos, collocent. Raupp. L. de Eccleſ. p. 174.

Extra Eccleſiam eſt, & non eſt ſalus.

Extra Eccleſiam ſtricte ſumtam, & nondum conſtitutam, *eſt ſalus*. Sic Adam & Eva, quum nondum erat talis eccleſia, in ſtatu verſabantur ſalutis inchoatæ, & ad conſummatam quoque perveniſſent, ſi a Deo in cœlum fuiſſent translati. Item ſi Deus extra ordinem operari, & immediate aliquem illuminare ac vocare velit. Eſt etiam extra Eccleſiam Romanam poſteriorum ſeculorum, ubicunque pura doctrina viget & ſacramentorum legitimus uſus, ac diſciplina obſervatur. *Et non eſt*, ſi de eccleſia conſtituta ſermo eſt, & ordinario convertendi & ſalvandi modo, citra Dei miraculum. S. Auguſtin. lib. de Fide ad Petrum Diaconum, T. III. p. 51. K. & p. 53. H. & auctor Sermonum de Tempore, qui exſtant Tomo X. Opp. S. Auguſtini p. 190. G.

Petrus eſt, & non eſt fundamentum eccleſiæ.

Si *fundamentum* denotat illum, qui Eccleſiam ſuper Chriſti

Christi doctrina fundare ac plantare omnibus studet viribus, haud absurde dixeris, *Petrum esse fundamentum ecclesiæ.* Sic enim omnes Apostoli & Prophetæ fundamenta possunt vocari, ut dicitur in epist. ad Ephes. II, 20. *Superstructi estis super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, extremo angulari lapide ipso Jesu Christo.* Qua ratione doctrina illorum est fundamentum dogmaticum, Christus autem fundamentum substantiale seu personale. *Et non est fundamentum Ecclesiæ,* si fundamentum proprie illud dicitur, quod totum Ecclesiæ ædificium sustentat. Sic enim solus Christus est fundamentum Ecclesiæ, deque eo capiendum dictum 1. ad Cor. III, 11. Hunn. in Comment. in loca citata.

A disciplina ecclesiastica debet, & non debet abesse vis coactiva.

A disciplina ecclesiastica abesse debet aliqua *vis coactiva,* ut carnalis, violenta, nimia, tyrannica, antichristiana: arma enim Ecclesiæ non carnalia sunt, 2. Cor. X, 4. Non vero omnis: non spiritualis & interna, quæ, ut Apostolus l. c. loquitur, valida, & ad destructionem munitionum sufficiens sit, quæque sic cogat ingredi, Luc. XIV, 23. nec externa, & Magistratui competens christiano, qua abscindatur reus, & e cœtu ejiciatur, atque expurgetur. Ad Gal. V, 10. 12. 1. Cor. V, 3. III. Joh. ℣. 10. Carpz. Isag. 946.

Consistoria sunt, & non sunt ordinatio humana.

Consistoria seu Judicia ecclesiastica, plerunque viris ecclesiasticis pariter ac politicis constantia, *sunt humana ordinatio,* quatenus ab hominibus, & quidem a Principibus & Statibus Imperii protestantibus, jure superioritatis

territo-

territorialis, constituta sunt, quum Regio & Religio arctissime cohæreant. *Et non sunt humana ordinatio*, quatenus origo eorum esse quasi divina videtur, quum simile quid etiam Apostoli constituerint Act. VI, 2. & 1. ad Tim. V, 17. Quemadmodum & Magistratus civilis *humana ordinatio* dicitur 1. Pet. II, 13. qui tamen a Deo suam habet originem, ad Rom. XIII, 1. 2. Henr. Linck. de Jure Episc. p. 505.

Omnes, & non omnes Christiani sunt clerici.

Cleri vel *Clerici* nomen alias late sumitur, pro iis, qui ad occupandum κλῆρον τῶν ἁγίων, *sortem sanctorum* ac bona spiritualia, per Christum lecti sunt, ad Colos. I, 12. alias stricte & specialiter, pro illis, qui ad functiones ecclesiasticas obeundas constituti sunt. Qui & eodem sensu *spirituales* vocantur. *Omnes* igitur *Christiani sunt clerici*, quoad priorem; *non* vero *omnes*, sed tantum illi, quibus ecclesiastica munia concredita sunt, quoad posteriorem acceptionem. Id. p. 71.

Templa & altaria Sanctis erigere & dedicare licet, & non licet.

Sanctis vere talibus, & de quibus certi sumus, quod ut aliis Christianis singulari fidei ac virtutum exercitio præluxere, & insigne Ecclesiæ commodum attulere, ita & pie obdormiverint, (quales sunt B. virgo, Apostoli, Martyres & similes) *templa & altaria erigere & dedicare*, seu ab illis denominare *licet*, in eorum memoriam, atque ad virtutum ipsorum imitationem. Hinc factum, quod templa seu τὰ κυριακὰ antiquitus appellarentur *Martyria*, utpote in memoriam martyrum erecta, Augustinus lib. 1.

de C.D.

de C. D. c. 1. *Testantur hoc*, ait, *martyrum loca, & Apostolorum basilicæ.* Et Concilium Gangrense in epist. ad Episcopos Armeniæ damnat Eustathium, tanquam *contemtorem basilicarum SS. Martyrum*, & can. 20. nominat *Martyrum basilicas*, τὰς συνάξεις τῶν μαρτύρων. Adde Gundlingii Notas in h. l. Et sic etiam nos templa ac altaria Sanctis consecrata, prout a Majoribus accepimus, retinemus. *Non* autem *licet* erigere & consecrare Sanctis fictis & in cerebro hominum natis; aut veris etiam, ut Diis, atque adeo primario, & cum ritibus ac ceremoniis superstitiosis. De utroque, quod videlicet certo respectu liceat, & non liceat, audiamus S. Augustinum. Sic enim scribit l. 8. de C. D. c. 27. *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui, usque ad mortem suorum corporum, pro veritate certârunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis. — Quis autem audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumq; constructum, dicere in precibus:* Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane; *cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit: ut ea celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur?* Et l. 22. c. 10. *Nobis martyres non sunt Dii. — Nos martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed nos Deo, & martyrum & nostro, sacrificium immolamus.* Atque in

hunc ſenſum intelligendum, quod idem S. Pater in l. 1. contra Maximinum, Arianorum Epiſcopum, profitetur, p. 149. tomi VI. *Nonne ſi templum alicui ſancto angelo excellentisſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathemizaremur a veritate Chriſti & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo?* Hildebr. in Enchirid. de primit. Eccl. Sacr. publ. Templis, & dieb. feſt. C. 2.

Lutheranorum appellatio poteſt, & non poteſt permitti.

Lutheranorum appellatio poteſt permitti, ad differentiam eorum, qui aliis religionibns chriſtianis addicti ſunt, ſicut olim Chriſtiani, ad differentiam heterodoxorum, *Catholicos* ſe vocârunt. Et Paulus in 2. epiſtolæ cap. I. Timotheum cavere jubet, *ne ipſum pudeat ſui, qui evangelii cauſa ſit vinctus.* Scilicet non ſatis erat Timotheo, evangelium profiteri, & Paulum abnegare, qui id prædicaverat. *Et non poteſt permitti*, ſi Lutherus creditur eſſe religionis autor, quæ tamen non magis a Luthero eſt, quam chriſtiana illa a Paulo. Legatur de hac diſtinctione non modo Balth. Meiſn. in Tract. Germ. quem vocat Unterricht von Verm. der Calv. p. 32. Æg. Hunn. in Refutat. libelli Emdani de S. Cœna p. I. G. Ritter in Diſpp. Catech. de J. C. Filio DEI unigenito, Domino noſtro, §. 33. Raupp. L. de Eccleſ. 224. ſed & Lutherus ipſe T. 2. Opp. Jenenſ. Germ. p. 62. 64. & 92. ubi clariſſime docet, nec denominationem a ſe, tanquam magiſtro fidei, petendam, nec omnem ſui, utpote miniſtri evangelii, memoriam abjiciendam & conculcandam eſſe, ne forte ipſum etiam evangelium pariter abjiciatur & contemnatur.

Ponti-

Pontifex Romanus est, & non est Vicedeus.

Pontifex Rom. est Vicedeus, ut summus Episcopus & Magistratus Politicus. *Et non est Vicedeus*, secundum encomia adulatorum, quæ & inter Pontifices aliqui affectârunt, aut certe non rejecerunt. Interim modestiores minime iis delectantur. J. Wülfer in not. ad Orat. inagural. pag. 135.

Eidem competit, & non competit primatus.

Eidem competit inter Episcopos *primatus* ordinis, immo & aliqua potestas in illas Ecclesias, quæ provida Pontificum Romanorum cura olim fuerunt plantatæ; sed jure duntaxat positivo humano. Hinc Phil. Melanchthon Articulis Smalcaldicis subscribens: *De Pontifice*, ait, *statuo, si evangelium admitteret, posse ei propter pacem & tranquillitatem communem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & inposterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti.* Quæ verba quum in symbolicis Ecclesiarum Protestantium libris relicta sint, judicent prudentiores, an publicam nacta sint autoritatem, & consensum communem, nec ne. *Non* autem *ei competit primatus* jurisdictionis & potestatis in omnes universæ Ecclesiæ christianæ Episcopos, sive de humano, sive de divino jure. Luth. T. 1. Oper. Jenens. Lat. p. 306. & 307. G. Calixt. part. II. Refut. Buscheri p. 30. & Fabric. in Syst. 441. Cavendum tamen, ne cum primatu sive ordinis, sive jurisdictionis, vel etiam cum Sede Romana confundas auctoritatem potestatemve directoriam, quæ in Ecclesia ad instituendum & conservandum bonum or-

dinem, itemq; ad evitandam confusionem necessaria, & eo, quod a Deo, boni ordinis amante & auctore, dependet, in quocunque aut quibuscunque sit, juris divini esse non immerito censetur. *Non enim est potestas, nisi a Deo.* Rom. XIII. De quo loco sic pronunciat Lutherus coram Cardinali Sixti Rom. Pontificis Legato, T. I. Operum Jenens. Lat. p. 191. *Quodsi Monarchia Papæ probari potest, potius ex illo Apostoli Rom. XIII. probabitur,* omnis potestas a Deo est, & quæcunque a Deo sunt, ordinata sunt. *Hujus, inquam, virtute (proprie loquendo) subjicimur Sedi Romanæ, donec Deo placuerit, qui solus, non etiam Romanus Pontifex, transfert regna atque constituit.* Et in Resolut. super XIII. Proposit. Eccian. de Potest. Papæ, p. 297. quarta ratio, quæ ipsum movet, Romanum Pontificem esse aliis omnibus, quos saltem noverimus, se Pontifices gerere, superiorem, est desumpta ex Rom. XIII. ubi Apostolus dicat: *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi a Deo. Quæcunq; autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt: qui autem Deo resistunt, ipsi damnationem sibi acquirunt.* Atque his verbis recitatis, sic pergit Lutherus: *Hac certe omnium robustissima, quantum ego capio, causa, nos Romano Pontifici subjecti sumus, in qua clare asserit, nullam potestatem nec esse quidem posse, nisi a Deo. Cum autem Romani Pontificis potestas jam sit robustissime stabilita, ut videmus, certe non oportet Dei ordinationem hanc impugnare, sed, quanta quanta est, humiliter sustinere, etiamsi injusta esset, & judicium Deo relinquere.*

Pontifex Romanus est, & non est Dominus.

Ponti-

Pontifex Rom. est Dominus, non solum ut Princeps, absoluta in Status & Provincias suas potestate pollens; (ubi præscindere oportet, quo jure illas habeat subjectas: sufficit enim, quod, multis seculiaribus Potestatibus non contradicentibus, habeat, iisque pacate fruatur) sed etiam ut summus Episcopus. Sancti enim, & Episcopi, multoque magis summi Episcopi & Patriarchæ, qualis est Papa Romanus, honoris causa *Domini*, & unico apice expuncto, *Domni* vocabantur olim. Et Pontificibus Rom. peculiariter hoc nomen tributum fuisse, contendit Onuphr. Panvinius, idemque ex Alb. Cranzio probat Strauchius in Amœnit. Jur. Canon. ecl. I. c. 11. ad denotandum videlicet vel venerationem erga verbum Dei, quod illi hominibus proponerent, vel subordinationem quandam respectu Dei & Domini Dominorum. De quo legi potest Du Fresne in Glossar. voce *Dominus*. *Non* autem *est Dominus*, ratione verbi & sacramentorum, quasi in illis mutationem suscipere, & aliquid vel addere vel demere, pro lubitu possit, sed potius minister, vigil, pastor, dispensator, sicut Paulus de se scribit ac reliquis Apostolis, 1. ad Cor. IV. 1. Neque hoc dissimulârunt, sed aperte professi sunt illustrissimi illi Novemviri, delecti Cardinales & alii Prælati, qui Paulum III. cujus jussu & auctoritate judicium suum formaverant, alloquentes dixerunt: *Secutus doctrinam Apostoli Pauli, vis esse dispensator, non Dominus.* Sed nec Dominus est Dominantium, i. e. Cæsaris, Regum, Principum, qui olim sub Imperatore Rom. fuit, deque ejus donatione ipse sibi gratulatur. Quin potius *Servus* est *Servorum*, ut modestiæ causa se ipse solet appellare. Quorum autem? an vilissimorum hominum, & abjectissimorum mancipiorum? Minime; sed eximiorum illorum DEI servorum, S. Petri, & S. Pauli, teste

Gloſſa ad Can. 9. Cauſ. I. q. 7. & Barboſa in I. Eccleſ. c. 2. n. 29. Quos citat H. Linck. in Comment. ad Decretal. p. 34.

Pontifex Rom. eſt, & non eſt præſes conciliorum.

Pontifex Rom. eſt præſes conciliorum generalium in Eccleſia Latina, etiam in externis, ut ex auctoritate concilia moderetur, ſi Cæſares, ut jam diu factum eſt, exercitium juris ſui ei velint indulgere, aut ſaltem, ex ſingulari Sedis Apoſtolicæ veneratione, connivere. *Non* autem, jure expreſſo divino, vel quaſi ſacræ Imperatorum Romanorum Majeſtates plane eo ſe abdicaverint, & exuerint. Neque etiam ei competit jus præſidendi in conciliis, quæ extra Eccleſiæ ſuæ pomœria habentur. Dreier. in Controv. cum Pontif. p. 443. & ſeqq.

Papa eſt, & non eſt antichriſtus.

Antichriſtus, juxta deſcriptionem Apoſtoli Pauli in 2. ad Theſ. II. hoc loco dicitur ſeries & complexus plurium hominum in eadem impietate ſibi ſuccedentium, & in Eccleſia Chriſti quidem regnum peculiare, ac velut divinam in omnes poteſtatem ſibi arrogantium, varias quoque doctrinæ & ſacrorum publicorum corruptelas invehentium, & fraudibus multaque violentia, oppreſſis veræ fidei confeſſoribus, propagantium. Talis *antichriſtus eſt Papa* Romanus, quia plures ex ordine papali, habuerunt in ſe illa ſigna, quæ Apoſtolus l. c. tribuit antichriſto, ex quo videlicet catholicæ Eccleſiæ œcumenici Principes ſalutari credique voluerunt. Hinc jam ante Lutheri tempora, non ſolum Imperatores, Reges, Principesque, ſed & ſcriptores hiſtorici ac theologi Pontificem Rom. notis illis inſignitum, anti-

antichristum appellârunt. Testimonia eorum collegit Gerh. in Conf. Cathol. l. 2. art. 3. cap. 6. p. 585. Immo ipse Bellarm. præfat. in Controv. de Pontif. ingenue fatetur, *permisisse ad extremum Deum, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando sedem Rom. tenerent & regerent; quales sane fuisse Stephanum VI. Leonem V. Christophorum I. Sergium III. Johannem VII. aliosque non paucos.* Et in Chronologia, circa seculum X. *Vide,* ait, *seculum infelix, in quo nulli scriptores illustres, nulla concilia, Pontifices parum solliciti de Rep.* Ac sequente seculo: *His temporibus, quibus Pontifices Rom. a pietate veterum degenerârunt, Principes seculi sanctitate vivebant.* Nec immerito etiam quis huc retulerit, quod delecti Cardinales & alii Prælati in Consilio de Emendanda Ecclesia, coram Paulo III. R. P. profitentur, ipsum probe nôsse, principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices, sui prædecessores, prurientes auribus (ut inquit Apostolus Paulus) coacervârint sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Porro autem *non est antichristus* omnis Papa Romanus. Certe non fuerunt, qui Apostolorum temporibus proximi, sinceritatem doctrinæ cum sacramentorum integritate illibatam servârunt, & sancte viventes, sanguinis sui profusione veritatem cœlestem si non confirmârunt, confirmare tamen parati fuerunt. Nec sunt etiam illi, qui ab Hildebrandino fastu, nimiisque adulatorum encomiis & hyperbolis, nec non a sævitia & tyrannide abhorrentes & alieni, carbones errorum pro auro veritatis evangelicæ acceptant, interim tamen Deum timent, pie vivunt, & ad multos, quos vident, sed non adeo facile corrigere possunt, defectus, ingemiscunt, quibusque non tam animus,

quam

quam consilia desunt, opportuna & ad resarciendam Ecclesiæ pacem & concordiam utilia media adhibendi. Moderata, cunctisque mitioribus ingeniis perplacens, & suo modo ac tempore imitanda vox est G. Calixti, quando, postquam ex professo in Exposit. liter. 2. ad Thessal. II. docuerat, nonnullos e Rom. Pontificibus fuisse antichristos, tandem p. 82. concludit, & hunc in modum se explicat: *Hodiernum etiam Pontificem* (scribebat autem hoc circa annum XXXVII.) *ego nolim dicere antichristum; & fuerunt superioribus seculis plurimi, quos etiam nolim ita vocari; sed multi antichristi sederunt in illa sede, &* (fortassis) *porro sedebunt.* Adde Gerh. l. c. p. 581. Cavendum etiam, (quod piorum monitum est) ne antichristum Romæ quæramus, eumque ipsimet in pectore gestemus.

De Libertate christiana.

Sumus, & non sumus liberati a lege morali.

Lex moralis potest spectari 1. quoad vim directivam, prout, ad instar normæ, hominem in operando dirigit, eique agenda & omttenda ostendit, & hoc modo ad obedientiam obligat. 2. quoad vim coactivam, dum homini, obedientiam non præstanti, pœnas comminatur temporales ac æternas, & transgressorem maledictioni subjicit. *Liberati* autem *sumus a lege morali* quoad vim coactivam. *Et non sumus liberati*, quoad vim directivam: nam & renatis opus est lege, ut habeant normam, secundum quam vivant, & actiones suas componant. Bechm. ad Hutt. Comp. 515.

A ceremonialibus & forensibus legibus sumus, & non sumus liberati.

Liberati

Liberati sumus a ceremonialibus & forensibus legibus, quatenus continent aliquid, quod in se & sua natura erat indifferens, attamen a voluntate Legislatoris determinatum, ut hoc, & non alio modo fieret. Vt, quod Deus voluit coli per sacrificia, & blasphemum lapidari. *Non* autem ab illis *liberati sumus*, in quantum continebant aliquid per se bonum, quodque adeo fieri decebat, atque etiam nunc decet: e. g. lex de sacrificiis in se hoc continet, Deum esse colendum: lex forensis de lapidatione blasphemi, facinorosum talem esse puniendum. Id. 517. Hutter. in LL. 498. & Zepper. in LL. Mos. for. Explicat. p. 119. Immo & alio sensu posterior propositio vera est, nempe quod leges illæ ceremoniales & forenses nobis Christianis non fuerunt latæ, adeoque nec nos obligârunt unquam. Fabric. Syst. 676.

A traditionibus humanis sumus, & non sumus liberati.

Traditiones humanas vocamus constitutiones ecclesiasticas de ritibus, ceremoniis aliisque rebus indifferentibus, ab Ecclesiæ Antistitibus, boni ordinis causa, & in ædificationem fidelium, factas & ordinatas. *Ab hisce liberati sumus*, ratione absolutæ necessitatis, cultusque & meriti, quæ ipsis falso tribuuntur. Et *non sumus* inde liberati, si per se spectantur, & prout auctoritate Superiorum sunt constitutæ, ad decentem in Ecclesia ordinem: quippe omnium est fidelium, conformiter illis vivere, non modo ut scandalum declinetur, sed & ne ordo turbetur, ac disciplina ecclesiastica. Bechm. 517.

Renati sunt, & non sunt liberi a dominio peccati.

Renati liberi sunt a dominio peccati, quatenus superiore sui parte serviunt DEO. *Et non sunt liberi*, dum quoad appetitum sensitivum servituti se conspiciunt subjectos. Fabric. in System. p. 676.

Ceremoniæ ecclesiasticæ sunt liberæ, & necessariæ.

Ceremoniæ ecclesiasticæ sunt liberæ in se & sua natura, quia non sunt divinitus constitutæ, sed libere in Ecclesiam introductæ. Unde & ab ea mutari possunt, addendo, demendo, aut prorsus abolendo. Non autem sunt liberæ, sed *necessariæ*, certo modo, nimirum 1. ut in prædicatione verbi, & administratione sacramentorum ordo sit, atque ut, S. Augustino sic loquente, *pietas perficiatur*. 2. Postquam semel latæ sunt, inducunt obligationem ad obsequium, adeoque necessitatem obtemperandi. 3. Potest etiam necessitas aliqua antecedere hujus illiusve ceremoniæ constitutionem, eamque imperare. Sicut Apostolos ursit aliqua necessitas, ut legem ferrent de abstinentia ab esu idolothytorum, nec non sanguinis & suffocati. Act. XV. Id. p. 683.

* *Ministerium regimine politico est, & non est superius.*

De Ministerio ecclesiastico. *Ministerium ecclesiasticum est superius Regimine politico*, quoad spiritualia, & in ordine ad vitam æternam. Eodem autem non est superius, sed inferius, quoad politica, & in ordine ad externam Reip. tranquillitatem & salutem. Quemadmodum igitur Magistratum gerentes, jurisdictio-

risdictionem Ecclesiæ, & potestatem, quam a Deo acceperunt Ministri verbi, e. g. potestatem ligandi & solvendi, merito agnoscunt; ita in tributis solvendis, in causis criminalibus, & similibus, quæ ad forum politicum spectant, Magistratibus civilibus sese subjicere, iisque morem gerere tenentur Viri ecclesiastici: sicut Paulus scribit Rom. XIII, 1. *Omnis anima supereminentibus Potestatibus subjecta esto.* Vnde S. Bernhardus ad Clericos: *Si omnis, & vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.* Raupp. in L. de Mag. polit. p. 158.

* *Auditores, Ecclesiæ Doctoribus possunt, & non possunt aliquid opponere.*

Auditores Ecclesiæ Doctoribus, quos audiverunt concionantes, *possunt* contradicere, iisque *aliquid opponere*, si fiat discendi gratia, & idoneo tam loco, quam tempore. Sic Christus jubet cavere pseudoprophetas, Matth. VII, 15. Maria dicebat angelo: *Quomodo fiet istud*? Luc. I, 34. Fides etiam in omnibus non est æqualiter firma; sed sæpe sua habet obstacula & dubia, quæ proponi possunt. *Et non possunt*, quando id facere volunt inepto loco & tempore, & quia ratio verbum non potest capere, nec ei se vult submittere, sicuti Capernaitæ dicebant: *Durus est sermo iste*, Joh. VI, 60. Ex hisce immoderatis oppositionibus fiunt contentiones. *Carnales* autem vocat Apostolus eos, inter quos est contentio, 1. Cor. III. Et 1. Cor. XI. scribit, Ecclesiam Dei non esse contentiosam. Contentiones etiam dicit esse eorum, qui superbi sunt, & nihil sciunt, 1. Tim. VI, 4. Hæc ex Balduino Auctor Operis novi Quæst. practico-theol. sive Cas. consc. p. 35.

Vocatio ad ministerium ecclesiasticum est, & non est necessaria.

Ad ministerium ecclesiasticum, ejusque functiones peragendas, ***necessaria est vocatio***, boni ordinis causa, & ubi jam constituta est Ecclesia, nec desunt, ad quos jus vocandi spectat. Et hoc vult Aug. Conf. quando in Art. XIV dicit, ***neminem debere in Ecclesia publice docere, aut sacramenta administrare, nisi rite vocatum. Et non est necessaria***, in extrema necessitate, ubi nullus est, qui vocet, & si Ecclesia primum colligenda est. De isto necessitatis casu intelligendum est illud, quod Lutherus scribit in lib. de Abusu Missæ, prout ipse se explicat in lib. de Institut. ministror. T. 2. Lat. Jen. p. 553. & de Fundam. & caus. judic. de doctr. & voc. Ministr. T. 2. Jen. Germ. 233. Vide Balth. Meisner. in Consultat. cathol. de Fide Luther. contra Lessium p. 281. & Gerh. L. de Minist. eccles. §. 54.

Ordinatio ad solos, & non ad solos pertinet Episcopos.

Ordinatio, qua Clericus nominatus, electus & confirmatus, sacro ministerio peragendo, per impositionem manuum & preces, consecratur, *ad solos pertinet Episcopos*, jure ecclesiastico, ex quo Episcopi aliquando eam in Ecclesia soli peregerunt, ut testatur Hieronymus in ep. 85. ad Evagrium, scribens: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat? Et non ad solos pertinet Episcopos*, sed etiam Presbyteros, jure divino, quo, secundum receptam apud nos sententiam, & interpretationem locorum Act. XX, 17. & 28. 1. ad Tim. IV, 14. & ad Tit. I, 5. 7. Episcopi & Presbyteri pari passu ambulant. Memorat quoque Hieronymus, aliquot seculis, & præser-

præſertim a Marco usque ad Heraclam, in eccleſia Alexandrina Epiſcopos a Presbyteris fuiſſe ordinatos. Cujus facti teſtis eſt domeſticus Eutychius, Patriarcha ipſemet Alexandrinus, verbis, ex Arabico in Latinum a Seldeno verſis, his utens: *Conſtituit item Marcus Evangeliſta XII. Presbyteros cum Hanania, qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo, ut, quum vacaret patriarchatus, eligerent unum e XII. Presbyteris, cujus capiti reliqui XI. manus imponerent, eumque benedicerent. — Neque deſiit Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, ut ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris XII, usque ad tempora Alexandri, Patriarchæ Alexandrini.* Hildebr. Diſp. 2. de Jur. Epiſc. §. 10.

Omnes, & non omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes.

Omnes Chriſtiani ex æquo *ſunt Sacerdotes* de communi jure, ita, ut quilibet eorum in caſu neceſſitatis, jure ſacerdotali uti, atque id peragere poſſit, quod alias peragere ſolet Miniſter Eccleſiæ ſeu Sacerdos, ubi ejus haberi poteſt copia. Vndenam vero hoc probatur? Ex Scriptura S. & officiis ſacerdotalibus. Nam ſi Chriſtus eſt Sacerdos, uti dicitur in Pſ. CX, 4. omnino & Chriſtiani tales ſunt, quoniam ipſe dicit in Pſ. XXII. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Et rurſus: *Vnxit te, Deus, Deus tuus, oleo præ participibus tuis.* Jam quod fratres ejus ſumus, non niſi nativitate nova ſumus. Quare & Sacerdotes ſumus, ſicut ipſe. Et Petrus ſcribit in 1. ep. c. II, 5. & 8. ad Chriſtianos Aſiaticos: *Vos eſtis ſacerdotium, regale ſacerdotium.* Nec dubitant dicere Seniores Apoc. V, 10. ad Agnum i. e. Chriſtum, in epinicio, quod ei canebant: *Et feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes.* Sacer-

dotalia autem officia ferme hæc ſunt: Docere, prædicare, annuntiareque verbum Dei; Baptizare; Conſecrare, ſeu euchariſtiam miniſtrare; Ligare, & ſolvere peccata; Orare pro aliis; Sacrificare ſeu offerre hoſtias ſpirituales, per Chriſtum acceptas Deo, hoc eſt, ſe ipſos; & Judicare de omnium doctrinis ac ſpiritibus. Quæ omnia ad omnes Chriſtianos pertinent, ſi paullo attentius conſideremus S. literarum dicta ſequentia, 1. Pet. II, 5. & 8. Matth. XXIIX, 19. (conferatur praxis apud ipſos etiam Pontificios uſitata, quando in caſu neceſſitatis mulierculis quoque concedunt facultatem baptizandi) 1. ad Cor. XI, 24. 25. Matth. XIIX, 15. 17. 18. c. VI, 9-13. & Joh. IV, 23. Rom. XII, 1. & 1. Pet. II, 8. denique Matth. VII, 15. XVI, 6. 1. ad Cor. XIV, 32. 1. Joh. IV, 1. *Et non omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes*, ut ſingulis publice, nec deficientibus ordinariis Eccleſiæ Miniſtris, liceat omnes illorum munerum partes obire. *Nam cum omnium Chriſtianorum hæc ſint omnia, uti probavimus, communia, nulli licet in medium prodire auctoritate propria, & ſibi arripere ſoli, quod omnium eſt. Verum hæc communio juris cogit, ut unus, aut quotquot placuerint communitati, eligantur vel acceptentur, qui vice & nomine omnium, qui idem jus habent, exequatur officia iſta publice, ne turpis ſit confuſio in populo Dei, & Babylon quædam fiat in Eccleſia, ſed omnia ſecundum ordinem fiant, ut Apoſtolus docuit* 1. ad Corinth. XIV, 40. *Aliud enim eſt, jus publice exſequi, aliud, jure in neceſſitate uti. Publice exſequi non licet, niſi conſenſu univerſitatis, ſeu Eccleſiæ: In neceſſitate utatur, quicunque voluerit.* Luther. de Inſtit. Miniſtr. Eccleſ. Tom. II. Jen. Lat. p. 553. Atque hoc, quod de neceſſitate dicit, & nos cum eo diximus, concernit inprimis baptizationem, abſolutionem, & porrectionem euchariſtiæ: reliquis enim officiis ſacerdotalibus, omni tempore, & quando-

cunque

cunque commode licet, fungi potest ac debet pius Christianus. De hac materia ulterius legi potest Spener. in libello de Sacerdotio spirituali.

* *Magistratus politicus potest, & non potest hæreticos occidere.*

Hæreticorum alii sunt seditiosi & blasphemi, qui, præter falsæ doctrinæ propagationem, seditiones excitant, subditos adversus Magistratum instigant, ac directas & apertas contra Deum blasphemias evomunt; alii simplices, qui a seditionibus, blasphemiis & aliis delictis capitalibus sibi cavent, solo mentis errore occupati. Illos *hæreticos Magistratus* Christianus licite *potest occidere*, non quidem qua hæreticos, sed qua facinorosos; hos autem *non potest*: nam propagatio doctrinæ cœlestis in N. T. juxta vaticinia Prophetarum Esa. II, 4. c. XI, 7. 8. 9. c. LXV, 25. & Zach. IX, 10. fieri debet absque cæde & sanguine; nec auferri, sed caveri jussit Christus pseudoprophetas. Matth. VII, 15. & Paulus arma militiæ nostræ negat esse carnalia, 2. Cor. X, 4. Et recte dicitur can. 13. Caus. 23. q. 4. *Nunquam spiritualis carnalem persequitur, sed carnalis spiritualem.* Cui jungendum S. Bernhardi dictum in serm. 64. in Cant. *Capiendi sunt hæretici non armis, sed argumentis, quibus repellantur errores eorum, ipsi vero, si fieri potest, reconcilientur Ecclesiæ catholicæ.* Gerh. in Conf. Cathol. l. 1. part. 2. c. 19. p. 293. & seqq. & F. V. Calixt. de Hæres. p. 356. 362.

De Magistratu politico.

Quod Principi placuit, legis vigorem habet, & non habet.

Multis hoc dictum, *Quod Principi placuit, legis vigorem habet*, adulatorium videtur; attamen verissimum est,

est, si dextre explicetur. Neque enim lex sine ratione intelligi & concipi debet. *Quod* ergo *Principi placet*, κατὰ λόγον, ex ratione, quæ in Principe, & consilio ejus, esse præsumitur, quandoquidem ille, secundum Aristotelis doctrinam l. 5. Eth. est justitia animata, & quod secundum illam vult, id jure meritoque *legis vigorem habet. Et non habet*, si quid ei sine ratione placuerit. Calvin. JC. in Them. Hebr. Rom. p. 96.

Princeps est, & non est solutus legibus.

Intelligendum est dictum de *legibus* positivis civilibus, ab ipso latis Principe. Talibus *Princeps est solutus*, quod attinet vim coactivam, quia Superiorem non habet, a quo possit cogi & puniri: cumprimis etiam, si illæ præscribant, quod solis subditis competit, neutiquam vero personæ Principis, e. g. Ne quis in urbe gladium gestet, aut holosericis induatur, vel extra eam venatum eat. Hisce ac similibus legibus solos subditos obligari, non autem Principem, manifestum est. Idem tamen *non est solutus legibus*, etiam suis, (ne dum divinis & moralibus) quoad vim directivam, si tales illæ sint, quæ bonum spectent publicum, nihilque dignitati atque eminentiæ Principis detrahant. Sic legi de certo justoque frumenti pretio morem gerere, eamque observare, ipsum utique etiam decet Principem, quippe qui pro virili promovere debet bonum publicum, & regulam sequi actionum bonarum, quæ cum ratione est constituta. Fabric. Syst. 337. & Calvin. JC. l. c. p. 95.

* *Sponsalia omnia sunt de futuro, & de præsenti.*

Vltimum

Hoc paradoxum verbis H. C. Hochmanni, viri excellentis eruditionis, & illustri Senatui Norib. a consiliis, evolvere lubet. Sic autem ille in egregia Comment. de Bened. Nupt. p. 166. *Ratione consensus matrimonialis, ad quem in futurum præstandum mutuo sese obligant sponsus & sponsa*, omnia sponsalia *tam Civili, quam Canonico jure*, sunt de futuro; *ratione autem consensus sponsalitii eadem quoque dici possunt* de præsenti, *salva nihilominus manente illorum ab ipso matrimonio differentia. In omnibus namque sponsalibus consensus sponsalitius præsens est, licet nonnunquam aliter atque aliter interponatur: vel enim pure & simpliciter quis futuras nuptias promittit, quæ sponsalia de præsenti vocantur, vel sub certa conditione, aut post certum tempus; & licet hæc quoque sponsalia propter præsentem sponsalitium consensum de præsenti sint, (alias enim forent pacta de sponsalibus) quia tamen effectus illorum in certæ conditionis existentiam aut determinatum tempus differtur, appellari communiter solent de futuro. Et hoc in sensu accipiendi sunt textus Decretalium, quando mentio in illis fit verborum de futuro & de præsenti, non quod per illa sponsalia distinguantur tanquam genus in suas species, sed quod ex modo contrahendi & conditione adjecta, alia sponsalia statim effectum sortiantur, alia in futurum: quanquam interim majorem vim tributam videamus sponsalibus, quæ verbis in præsens tempus conceptis contracta fuere, quam iis, quorum effectus in futurum est collatus, ita ut ab illis non tam facilis sit recedendi licentia, quam ab hisce.* Adde Luther. von Ehe-Sachen / T. V. Jen. Germ. p. 240.

Conjugium habet, & non habet vim præcepti.

Conjugium habet vim præcepti, respectu eorum, qui flammas libidinis sentiunt, neque illas possunt suffocare & extinguere. Hos enim præceptum Apostoli 1. Cor. VII, 2. obligat: *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam.* Et ℣. 9. *Melius est nubere, quam uri. Et non habet vim præcepti*, quoad eos, qui apti sunt ad cœlibatum, & caste in eo vivere possunt, seque adeo decenter continere. Idem enim Apostolus hoc sensu etiam l. c. dicit: *Bonum est homini, mulierem non contingere.* Raupp. L. de Conj. 314.

Conjugium est, & non est indissolubile.

Conjugium est indissolubile secundum quid, quia societas maritum inter & uxorem non facile, nec levi de causa solvi debet: Contractum enim illud est de perpetuo, & per omnem vitam continuando, nec per mutuum etiam conjugum ipsorum consensum dissolvendo consortio. Quo accedit institutio divina, quæ ad instar legis est, Gen. II, 24. his verbis concepta: *Propterea deseret vir patrem & matrem suam, & adhærebit* (quasi glutine junctus, adeoque non disjungendus, προσκολληθήσεται) *uxori suæ.* Unde Salvator noster Matth. XIX, 6. notabilem istam appendicem facit: *Quod igitur Deus conjunxit, homo non separet.* Idemque *non est indissolubile*, absolute: quia solvi potest per mortem, nec non per adulterium, & spontaneam ac malitiosam desertionem. Tarnov. & Menzer. de Conj.

Polygamia Patrum est, & non est damnanda.

Poly-

Polygamia Patrum in V. T. ut Abrahami, Jacobi, & aliorum, qua ſinguli plures una ſimul habuerunt uxores, *eſt damnanda*, per accidens, & quoad imitationem, hoc eſt, ſi quis hodie illorum exemplum imitari, & plures uxores uno tempore adſciſere, ſibique copulare vellet: nam talis ageret contra legem evangelicam, qua Chriſtus ad normam inſtitutionis primævæ, negotium matrimoniale revocavit, Matth. XIX, 8. item contra leges civiles & eccleſiaſticas. Et *non eſt damnanda*, in ſe & ſimpliciter: quoniam non erat contra jus naturæ, aut intrinſece & ſimpliciter mala. Neque enim evertebat fines matrimonii, qui ſunt ſobolis procreatio, mutuum adjutorium, & ſcortationis evitatio; & poſt diluvium Deus eam conceſſit, dummodo non ad voluptatem carnis exſaturandam, ſed propagandam ſobolem eſſet directa, atque imprimis eam Patriarchis permiſit. Zeidler. tract. de Polygam. p. 30. & ſeqq.

Conſenſus facit, & non facit nuptias.

Conſenſus promittentis, & ſtatim accipientis deſponſam in ſua, *facit nuptias. Et non facit*, ſi ſit ſolummodo promittentis nuptias futuras. Henning. de Conj. 154.

Nuptiæ in gradu primo lineæ collateralis æqualis ſunt, & non ſunt prohibitæ de jure naturali.

Nuptiæ in gradu primo lineæ collateralis æqualis, inter fratres & ſorores, *ſunt prohibitæ de jure naturali*, ſub certa hypotheſi obligante, poſita videlicet multiplicatione

generis humani. *Et non ſunt prohibitæ de jure naturali*, abſolute & ſimpliciter: alioqui liberi Protoplaſtorum, non potuiſſent inter ſe, (ſaltem cum germanis ſororibus) conjugium inire. Dürr. Theol. Mor. p. 364. & Zeidl. tract. de Polyg. p. 202.

Conjugium cum defunctæ uxoris ſorore eſt, & non eſt licitum.

Conjugium cum defunctæ uxoris ſorore eſt licitum, ſecundum jus naturæ, & divinum poſitivum. Eo enim non tollitur reſpectus, qui maritum inter & uxorem, natura dictante, requiritur; fuitque talis mos non modo in Syria & Meſopotamia, ſed & apud alias gentes moratiores, ut Theſſalos & Romanos. Neque abſolute ejusmodi conjugium prohibetur Levit. XIIX, 18. ſed tantum uxore adhuc *viva*, & *invita*. Si autem abſoluta foret prohibitio, ea tamen ad leges forenſes duntaxat pertineret, quæ, ut tales, Chriſtianos non obligant. *Et non eſt licitum*, per conſtitutiones chriſtianas civiles & canonicas. De quibus ajunt, non temere eſſe negligendas & violendas; quandoquidem haud careat periculo, rumpere & ſubvertere illud, quod Eccleſia, quæ omnium noſtrûm mater, eſt, ob majorem honeſtatem maturo conſilio ſanxit & conſtituit. Zeidler. in Judic. de Matrim. cum def. uxor. ſorore, quod ſubjunctum eſt Tractatui de Polygamia, & ſub nomine Reſponſi Facult. Theolog. Regiomont. extat in Actis Colloquii Oetting. A. 1681.

Cauſæ matrimoniales pertinent, & non pertinent ad Judicium eccleſiaſticum.

Causæ matrimoniales pertinent ad Judicium ecclesiasticum, quantum ad institutionem & mysterium ecclesiæ, quum DEUS dicatur intervenire, & conjuges per Ministrum ecclesiæ ipse copulare, atque interdum casus conscientiæ oriantur, a Theologis evolvendi; item quoad quæstiones de matrimonii substantia, vinculo, jure, & viribus ejus. *Et non pertinent ad ecclesiasticum*, sed civile Judicium, ratione formæ, quæ est perpetua cohabitatio & societas humana; item in quæstione de facto, an scilicet matrimonium fuerit inter patrem & matrem ejus, qui vult succedere. Hinc etiam in Consistoriis a politicis pariter & ecclesiasticis viris causæ matrimoniales tractantur & deciduntur. Carpzov. Jurisprud. Consist. l. 2. tit. 1. def. 1. Linck. de Jure Episc. p. 316.

Martinus V. dispensavit, & non dispensavit in conjugio cum sorore germana.

Martinus V. Papa Romanus, qui vixit Sec. 15. *dispensavit* alicui *in conjugio*, contracto jam & consummato, *cum sorore germana* illius, quam is antea per fornicationem cognoverat. *Et non dispensavit* in conjugio cum sorore germana propria. Hoc enim sensu si quis affirmare auderet, non immerito mendacii argueretur a Bellarmino l. 1. de Matrim. c. 25.



ORATIO I.
DE
VTILITATE

Quam

Theologiæ Studiosus ex itinere capere poteſt Italico,

Habita Altorfi in Academia Noribergenſium,

d. 5. Martii A. 1678.



SI liberum eſſet, partes orationis in me jam vel recipere, vel declinare, & a me removere, certe hoc potius, quam illud facturus eſſem; idque non ſine ratione. Nam ſi vos, qui ad audiendum conveniſtis, & partim jam præditi eſtis magna eruditione, partim ad eam adſpiratis, nil expectatis, niſi eruditum, veror, ut expectationi veſtræ ſatisfacere poſſim, qui eruditionem non tam in me reperio,

reperio, quam in aliis colo atque veneror. Deinde locum hunc ſemper a perfectis oratoribus caluiſſe memini: in quorum numerum, abſit, ut ego me referam, qui in arte dicendi, Latine cumprimis, jam diu non exercitatus fui; immo, ſi quid in ea valui, quum in hoc eſſem Athenæo, poſtea apud exteros pæne dedidici, & linguæ barbaræ ſtudio (ita enim Italicam reſpectu Latinæ, more veterum, appellare liceat) ſenſim ſine ſenſu barbariem mihi contraxi. Attamen dicendum mihi eſt hodie, coram vobis, Auditores, hoc ipſo in loco, idque ex recepta conſuetudine, quæ nemini ad lectiones publicas aditum permittit, niſi aliqua iis oratione proluſerit. Quantumvis igitur nec locum hunc eleganti ſermone ornare, nec auribus veſtris exquiſitiſſima afferre, atque ita exſpectationi veſtræ ſatisfacere valeam, ſpero tamen, fore, ut lubentes me audituri ſitis, quoniam conſuetudini veſtræ, ceu fas & æquum eſt, me ſubmitto, atque ejusmodi argumentum tractaturus ſum, quod non Theologis tantum, ac theologiæ ſtudioſis, ſed & reliquorum ordinum tum Doctoribus tum diſcipulis, niſi omnia me fallunt, auditu jucundum erit. Dum enim demonſtrare conabor aliquot argumentis, Theologiæ Candidato iter Italicum multum utilitatis præbere, adeoque neminem, qui ſacris literis operam navans, ejusmodi iter ſuſcipit, aut inde revertitur, ſi aptus ad illud fuerit, & recte in eo ſe geſſerit, propter id culpandum, ſed potius laudandum eſſe, licebit pariter inſerere, quæ & reliquos delectare, ſi non juvare poſſint. Agite ergo, Auditores honoratiſſimi, ſuaviſſimique, implete ſpem meam, & vacivas mihi aures ad breve temporis ſpatium commodate.

NOn uno, ſed multis modis peregrinatio per Italiam inſtituta S. Theologiæ Studioſo utilis atque ſalutaris eſſe poteſt. Vt adeo mihi non tam de argumentis pro ea conqui-

Iter Italicum Theologiæ Stu-

dioso utile est conquirendis anxie laborandum sit, quam hoc potius agendum, ut eorum habeam delectum, & potissima saltim percurram.

I. *ad ritus & ceremonias aliarum Ecclesiarum observandas*

Primum autem hoc mihi dabitis, Auditores, Theologiæ alumno, non suæ modo, sed & aliarum Ecclesiarum ritus atque ceremonias, qualescunque sint, cognitas esse debere; quandoquidem ei, sive in suggestu sive in cathedra docturo, frequens de istis disserendi offeretur occasio. Vbi autem fertilior earum seges est, quam in Ecclesia Græca & Romana, quam utramque Italia hodie sinu suo fovet?

Græcorum templum ingredienti, oculosque huc illuc circumferenti statim occurunt multæ Divorum *imagines*, non quidem sculptæ, sed pictæ, aut (*a*) levi effictæ sculptura: ab illis enim tanquam a Deo prohibitis religiose abstinent, hisce interim religiosum cultum deferentes. Peculiarem etiam modum in *Divorum salutatione* observant: Ante enim, quam certum locum occupent, in medio templi consistunt, facie versus sanctuarium versa, nec unico sanctæ crucis signo contenti, vel decem aut triginta faciunt, manu fronti, pectori genibusque admota; & cum tanta corporis agitatione & dejectione capitis, ut metuas, ne aut cerebrum effundant, aut spinam dorsi confringant. *Sacra* eorum potissimum consistunt in missa & precibus vespertinis, nec minus, quam alibi, lingua populo ignota fiunt: Græci enim hodierni linguam veterem, qua sacra eorum officia, atque ipsa etiam Scriptura sacra & SS. Patrum libri constant, non magis intelligunt, quam Italorum quispiam Latinam, superiorisque Germaniæ populi Belgicam. Apud eos, qui Venetiis sunt, ne unica quidem toto anno habetur concio: quia, ut ipsi ajunt, Ecclesia non habet, unde concionatorem alere possit. Mirum sane, quum habeat, unde cereos ad sacra & processiones comparet, &

aliquot

aliquot Sacerdotes alat, qui modulando & ſacrificando officium peragunt. *Miſſam* quotidie celebrant, ſed ſemel duntaxat; nec publice, ſed in abſcondito, in ſanctuario nimirum, quod interjecto pariete a reliquo chori ſeparatur. Eſt ibi altare, atque ad latus ejus dextrum menſa propoſitionis, in qua euchariſtiæ fit præparatio. Panem adhibent fermentatum, eumque a Sacerdotis uxore aut alia quadam muliere, quæ non ſit polluta, coctum, cui effigies crucis impreſſa, cum ſex literis Græcis majuſculis, quæ hoc ſignificant: Ἰησῦς χριςὸς νικᾷ, *Jeſus Chriſtus vincit*; idque (*b*) *ſigillum* nuncupant. Poſtquam igitur Diaconus ſanctum diſcum, in quo panis reponitur, ad ſiniſtram præparavit, calicem vero & alia ad dextram, Sacerdos panem ſumit in ſiniſtram, dextra vero (*c*) lanceam, & cum ea ſignum crucis faciens ſuper ſigillum, dicit ter: *In memoriam Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Et ſtatim infigit lanceam in dextram partem ſigilli, eamque diſcindit, mox idem faciens in ſiniſtra, & ſuperiore atque inferiore parte. Porro immittens ſanctam lanceam ex obliquo dexteræ partis oblatæ, extollit ſanctum panem, ut ſignificet ſublatam de terra vitam Chriſti; poſtea eum ponit in diſco ſupinum, immolationis indicandæ cauſa; & pungit in dextra parte ſancta lancea, ad denotandum id, quod Chriſto mortuo fecit unus militum, qui lancea ſacratiſſimum ejus latus perfodiſſe dicitur. Heic jam Diaconus infundit in ſanctum calicem vinum & aquam ſimul. Et Sacerdos particulas, e ſacro pane cuſpide lanceæ erutas, (*d*) in ſancto diſco ſecundum ordinem ponit, majorem quidem in memoriam B. virginis Mariæ, minores in honorem Sanctorum, & hiſce minores pro demortuis ſuis, pro ſe ipſo, & pro quibus vult viventibus, memorato cujusque nomine. Atque omnes iſtas particulas educit ex uno pane. Si vero plures fuerint a populo oblati, e ſecundo

effodit eam, quæ matri Servatoris noſtri, e tertio eas, quæ Sanctorum gloriæ, e reliquis eas, quæ defunctis, ſibique & aliis viventibus conſecrandæ ſunt. Mox (*e*) aſteriſcum ſuffumigatum ſuper panem ponit, ſacra tribus velis contegit, capiti imponit, manibusque tenet, atque ita, præferente calicem Diacono, e porta propoſitionis exit, & facta ſinuoſa per chorum via, ut memoria delati ad ſepulchrum corporis Chriſti repræſentetur, per ſcevophylacii portam rurſus ingreditur, & miſſam ad altare, reliquis extra ſacrarium Sacerdotibus ἀντίφωνα concinentibus, ſuſcipit celebratque. Vbi imprimis obſervandum eſt, quod, ſicut Diaconus aſterem & vela a ſanctis removet, & (*f*) flabello ſuper ea reverenter ventilat, ne ſacra ſymbola a muſcis conſpurcentur, præterea circa ſacram menſam ſive altare ſuffumigat, & e diptychis ſive duabus tabulis, mortuorum & vivorum ibi deſcriptorum memoriam peragit, factaque jam conſecratione, ad fidei fervorem denotandum, aquam fervidam vino miſcet, & finita miſſa particulas panis ſancti, quas ἀντίδωρα appellant, vel ipſe populo diſtribuit, vel diſtribuendas Epiſcopo exhibet; ita Sacerdos, poſt benedictionem, hoſtiam elevet, in quatuor partes diffringat, in calicem immittat, & myſteria euchariſtiæ in calice ita commixta, beneficio (*g*) cochlearis parvuli, cujus manubrium tenue & oblongum crucicula in extremitate ornatum eſt, communicare volentibus ſimul diſpenſet. Mitto jam alios ritus, quos iidem Græci in *hebdomada magna* & præcipuis *feſtis* uſurpant, inprimis feſto Paſchatis, quo Epiſcopus ſacris veſtibus operoſe induitur, evangelium ab eodem ſub porta ſanctuarii, & duobus Sacerdotibus, altero in media, altero in ultima templi parte ſtantibus, prælegitur, & ad ſingulos verſiculos, poſtquam ſignum campana datum eſt, extra ſanctam ædem, nitrati accenſione pulveris, lætitiæ tonitrua eduntur: & deni-

& denique osculum pacis exercetur, ita quidem, ut Sacerdoti primario & genas & frontem, & manum, quem que ea tenet, codicem evangelii; reliquis omnia præter genas; at laicis non nisi evangelium & manum Episcopi basiari, mutuaque sibi invicem oscula figere liceat. Apud *Maronitas* quoque sive Syros, quales Romæ reperiuntur, miras observes ceremonias, præcipue *die Palmarum*, quo palmæ loco olivam candelulis cereis plenam, atque ad altare positam, suavi modulatione præmissa, in templo circumferunt, & in suo repositam loco, hominibus, quotquot adsunt, diripiendam exponunt. Heic dum quisque egregium ramum decerpere nititur, alter alterum vel longe protrudit, vel plane in terram projicit: alius pro oliva aërem capit, alius manum a candelulis ustam cum clamore retrahit, & tandem omnis cœtus in risum, immo vero cachinnum solvitur, ut crederes, non in domo sancti Dei se esse, sed in theatro.

Quod *Romanæ Ecclesiæ ritus* attinet, illorum quidem plurimi aliis in locis cerni possunt, at non omnes, nec ullibi melius, quam Romæ, unde, tanquam rivuli e fonte, profluxerunt. In horum censum refero *ceremonias in capella Pontificis* usitatas, quarum pæne nullus est finis; (*b*) *creationes* sive *Sanctorum* sive *Beatorum*; consecrationem plancentularum cerearum, quæ a figura agni ipsis impressa, (*i*) *Agni Dei* appellantur; (*k*) *rosæ & gladii benedictionem*; celebrationem (*l*) anni *jubilæi*, &, quæ tum potissimum instituuntur, *processiones*, tam in honorem Sanctorum, quam ad recipiendos peregrinos; & ea denique, quæ *in die cœnæ Domini* sive viridium, quotannis fiunt, ubi Papa habitu pontificali amictus, & super porticu basilicæ D. Petri sedens, prælecta a Cardinali Archidiacono bulla cœnæ Domini, qua quicunque ab ipso dissentientes, ejusque imperium recusantes, (*m*) excommunicari creduntur,

cereum ardentem ex alto projicit, ut indicet, ita se fulmine adversarios suos tactos velle; quod tamen illi an magis sentiant, ac brutum aliquod Jovis fictitii, aliis judicandum relinquo. Mox idem tredecim peregrinis, candida veste amictis, cum proposito imitandi Christum, non pedes lavat, sed pedem duntaxat dextrum, immo ne hunc quidem lavat, sed pauxillo aquæ rosaceæ aspergit, iisque (*n*) nummo aureo & argenteo donatis, ad mensam lautissimis epulis instructam, ministrat. Sed, misso Vaticano, basilicam D. Petri ingrediamur. Vbi primum occurrit (*o*) *sancta* illa *porta*, quam ipse Pontifex in principio anni jubilæi aperit, ut per eam intrantes, & certum precum numerum recitantes, Divosque & Divas salutantes, veniam peccatorum consequantur. Deinde in medio templi *S. Petrus*, ex ære formatus, qui sedens pedem alterum e pallio profert, crebris devotæ gentis osculis detritum & lævigatum; In choro, *cathedra*, seu sella *S. Petri*, quæ ære inaurato obducta, a nobilissima (*p*) Ecclesiæ veteris Doctorum quadriga, Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio & Augustino sustentatur, & imminentem habet Spiritum S., maximo Angelorum numero cœlestibusque splendoribus cinctum: opus sane magnificum & ob sumptuosam elegantiam valde æstimandum, &, si famæ credendum est, in adumbrationem infallibilitatis Pontificis conditum. Similes sunt *aliorum Sanctorum effigies* sive pictæ sive sculptæ, quæ vel in eodem, vel in reliquis templis visuntur, quorum quisque, ut certi mali averruncus aut medicus, populo adorandus proponitur; (*q*) *VII. templorum visitationes*; (*r*) *processiones* solennes, & ascensio per (*s*) *scalam sanctam*, non pedibus, sed genibus fieri solita, ut nescio quod meritum apud summum & corporalium & spiritualium bonorum Largitorem inde consequantur. Multa jam haberem dicenda de *æde Lauretana*, in cujus medio (*t*) ædicula, aut

cella

cella potius, longa pedes circiter 40. lata 20. altitudine paululum latitudinem ſuperante, marmoreis parietibus pulcherrime cælatis forinſecus veſtita, ipſa autem, ut intrinſecus videre licet, e coctis lateribus ſaxiſque ineleganter conſtructa, & muri ejus crebro attritu lævigati, veterique pictura obducti ſunt, quæ ſuperne multis locis manet. In illo, quod templi fores ſpectat, latere feneſtra eſt, qua ingreſſus Angelus D. Mariæ virginei partus nuntium tuliſſe fertur, ex adverſo feneſtræ caminus neque amplus neque ornatus; poſt altare, Virginis, filium ſiniſtra manu amplexantis, dextra ſuſtinentis, ſtatua colitur, a S. Luca, ut ajunt, e cedro ſculpta oblitaque coloribus, & una cum cella ſive ædicula Nazaretho in Dalmatiam, ac porro in hunc locum, Angelorum manibus advecta. Sed fallor, an credulitatis hæc regia eſt? Huc enim omnis pæne Europa, quæ Sanctorum cultui in Latina Eccleſia addicta eſt, confluit, & a Diva illa, ſi Medici aut ars aut voluntas deficit, petit auxilium, &, quaſi non ſufficeret gratis colere, quisque pro facultatum ſuarum modulo munus aliquod deponit. Quo cum & Principum atque Monarcharum ingentia dona a multis jam inde annis acceſſerint, factum eſt, ut maximus ſtupendusque theſaurus fuerit collectus. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis, nî fallor, apparet, theologiæ cultori, ſi ritus & ceremonias aliarum Eccleſiarum, notare velit, in Italia minime deeſſe materiam, adeoque iter illuc inſtitutum, hac in re fructu ſuo neutiquam carere. Neque eſt, quod forte credatis, res illas ac ceremonias, absque ſimulatione, &, quæ hinc oritur, conſcientiæ læſione obſervari non poſſe: nemo enim eſt, qui templo, vel, ut loqui malunt, eccleſia te arceat, etiamſi eorum ritus non imiteris; dummodo a loco, in quo ſacra fiunt, aliquanto ſis remotior, nec ea, ut ſtulti faciunt, pro deridiculo habeas.

II. *ad notandum Antiquitates ecclesiasticas.*

Deinde si theologiæ cultorem nostrum, historiarum, & imprimis tam sacrarum quam profanarum cognitionem habere oportet, ubi quæso eam vel hauriat, vel de hausta confirmabitur melius, quam in ipsa illa terra, ubi & antiquissima Ecclesia Christi floruit, & Imperii Romani sedes fuit? Et quod antiquitates ecclesiasticas attinet, illas peregrinator noster non in ultima Italia quærendas habet, sed in medio etiam, imo & principio ejusdem invenire potest. Nam ubi Germania ab Ausonia terminatur, pandit se urbs circumcirca montibus altissimis cincta, & Athesi flumine irrigata, in cujus templo cathedrali Romanæ Ecclesiæ filii, præsentibus etiam Cæsaris Regumque Legatis, librum illum procuderunt, qui Pontificiæ religionis hodie palladium est, atque ab urbe & (*u*) congregatione ibi habita *Concilium Tridentinum* dicitur. Venetiis, in vestibulo templi D. Marci, si id, quod ore hominum, multisque etiam scriptis circumfertur, admittere volumus, (*x*) lapis loquitur quadratus, quid (*y*) *Papa Alexander III.* fecerit Friderico Barbarossæ Imperatori, quod nimirum in terram ibi prostratum Monarcham pede conculcaverit, verbis hisce adjectis: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quæ historia, sapientissimorum Senatorum jussune dicam, an permissu? (*z*) denuo depicta cernitur in augustissimo Palatii Ducalis loco, qui Consilium Magnum dicitur, & justitiæ sedes est. Ipsa autem pictura, ut curiositati vestræ satisfaciam, ita se habet. Papa stans, brachiisque a Venetorum Duce & Cardinali quodam suffultis, pede sinistro cervicem Imperatoris, gradibus solii pontificii incumbentis, & sanctitatem summi Episcopi venerantis, comprimit, in eumque, quasi hoc ipsi agendum esset, superbos oculos defigit, maxima hominum multitudine sacram tragœdiam attonite spectante. Sed nos a tam tristi spectaculo ut

faciem

faciem avertamus, Bononiam proficiscimur, ubi in eorum templo, qui Servorum nomen sibi imposuerunt, urceus monstratur lapideus, haud ineleganter cælatus, & duobus manubriis instructus, trium vel quatuor summum mensurarum, isque pro *una ex hydriis Canæ Galilææ* venditatur. At fabulæ huic nullam habent fidem, qui aliunde sciunt, illas longe capaciores fuisse. *Ariminum* jam sequitur, urbs non tam a nupero terræ motu, quam a concilio, quod ibi olim habitum, inclyta. Vbi autem ? Difficilis sane quæstio, quam tribus ad hinc annis, ne doctissimi quidem e tribus illius urbis collegiis viri decidere potuerunt; Canonicus autem quidam ecclesiæ cathedralis admodum senex respondit, celebratum id fuisse ad mœnia eo in loco, qui Italico idiomate *Il cortile della Gagliana* hodie vocetur. Ita sæpe fit, ut, qui exterarum rerum notitiam magno sibi studio comparant, in historia patria hospites sint atque peregrini. Haud procul inde pagus est exiguus, & magno insignitus nomine: nam *Catholica* dicitur, eo quod Arianorum secta invalescente, catholicis Episcopis aliquandiu refugium præbuit atque domicilium, sicut (*aa*) ex inscriptione, quam ecclesiolæ murus prætereuntium oculis subjicit, discere licet. Inde jam ad urbem pergimus, quæ olim caput mundi ac terrarum domina audivit. Sed ante, quam eam intremus, transeundus est nobis *pons Milvius*, Tiberino superstratus amni, & vel propterea notandus, quod Constantinus M. Maxentium ibi superavit, & Ecclesiæ christianæ constantem atque æternam contra ethnicos persecutores libertatem acquisivit. In ipsa autem urbe, Deum immortalem, quantus antiquitatum sacrarum est numerus! Hîc sub basilica D. Petri considera mihi, viator sacer, *ecclesiam* a prædicto *Constantino* exstructam, & dic, annon hodiernus fastus a veteri simplicitate multum differat, recentioresque Pontifices eam sepelire voluisse videan-

deantur, quod vastissimam novæ basilicæ molem superstruxere? Nec prodigalitatis, sed cæsareæ magnificentiæ signum est *baptisterium* ejusdem *Constantini*, quod e vivo & eleganti marmore confectum. Dumque jam vicini sumus matri Ecclesiarum Romanarum, basilicæ Lateranensi, age, ingrediamur, visuri non *caput Zachariæ* sacerdotis; aut *calicem*, e quo venenum illæsus hauserit S. Joannes Apostolus; aut *catenam*, qua vinctus Romam deductus fuerit; aut *indusiolum*, quod Maria virgo filio suo texuerit; aut *linteum*, quo Christus lotos discipulorum pedes siccaverit; aut *arundinem*, qua capiti ejus spinea corona impacta; aut *purpuram*, qua amictum Pilatus Judæis exhibuerit; aut *spongiam*, quam aceto repletam sitienti carnifices porrexerint; nec *aquam cruore* permixtam, quæ e Christi latere effluxerit; nec *linteum*, quo vultus ejus, cum in sepulcrum conderetur, obtectus; nec *alterum*, quo summum supplicium perpetiens fuerit velatus; nec *mensam*, super qua paschalem agnum cum discipulis sumserit; nec *sanguinem* a Joanne profusum; nec *capita* denique SS. Apostolorum, *Petri & Pauli*: nam quis de veritate harum reliquiarum nos plane certos reddat? sed *sellam* illam, in qua, ut ex ipsis Catholicis multi scriptores confitentur, postquam fœmina, virum mentita, & in Papam electa, forte in via partum edidisset, Pontificibus recens electis genitalia fuere attrectata, ne forte eadem fraus denuo fieret. In porticu quidem ecclesiæ contiguo duæ adhuc visuntur *porphyreticæ* cum sede perforata; in quibus, ceu Marcellus refert, Archiepiscopus Corcyrensis, ex ordine sedit Pontifex, sive ut acciperet & restitueret claves Laterani, sive (*bb*) ut humilis originis suæ admoneretur. Quam etiam ob causam chorus cecinit: *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solum gloriæ teneat.* Unde & *stercorariæ* dictæ sunt. At illa ipsa, quæ
ad

ad explorandum ſexum adhibita perhibetur, alibi quærenda eſt, nec a multis inde annis amplius uſurpatur. Neq; tamen dixerim, id fieri ob illam rationem, quam Joannes Pannonius, Epiſcopus Quinquecclefienſis, duplici hoc expreſſit diſticho:

Non poterat quisquam reſerantes æthera claves
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic jam tempore ceſſat?
Ante probat quod ſe quilibet eſſe virum.

Cui Marullus concinit de Innocentio IIX. e Cibonum familia oriundo:

Quid quæris teſtes, ſit mas, an fœmina, Cibo?
Reſpice natorum, pignora certa, gregem.

Atque nunc quidem nobis ſufficat vidiſſe ſellas ſtercorarias: ex his enim facile imaginari nobis poſſumus, qualis tertiæ illius, quam *probaticam* appellare liceat, facies atque figura ſit. Age igitur, mi viator, proripiamus nos hinc ad alia obſervanda. Ex hiſtoria ſacra ſine dubio didiciſti, in exercitu M. Aurelii contra Marcomannos pugnantis fuiſſe legionem Chriſtianorum, quæ precibus per Chriſtum ad verum & unicum Deum fuſis, ſibi & reliquis copiis pluviam ad ſedandam ſitim, hoſtibus autem vehementem grandinem, ignem & fulmina, quibus perirent, impetravit, inde *legio fulminatrix* dicta: nec te latebit, Chriſtianos ſub ethnicis Imperatoribus, dum perſecutionum procellæ ſæviebant, *ſub terris* latuiſſe, repertos autem, ſive beſtiis objectos, ſive aliis cruciatibus abſumtos: ſcies etiam, *candelabrum aureum* & *tabulas Moſis* a Tito Veſpaſiano e Judæa in Italiam dici transportatas; & ſanctiſſimos chriſtianæ religionis athletas, *Petrum & Paulum*, non in vinculis modo habitos, ſed etiam cruce & gladio interemtos eſſe. Ecce omnia hæc tibi proponit Roma: nam (*cc*) hiſtoria de legione fulminatrice, præclariſſimum

fidei christianæ monumentum, in illa vægrandi Antonini columna, quæ firmo hodienum stat pede, ab ipsis Ethnicis scalpta est. In qua probe notandum, milites illos christianos in scutis suis signum crucis habere. Ad Christianorum habitationes subterraneas, (*dd*) sanctoque Hieronymo, quum adhuc puer esset, & studiorum causa Romæ degeret, diebus dominicis frequentatas, (*ee*) in & extra urbem aditus patet. Locus ubi Christiani cum bestiis pugnantes, ludum idololatris coacti sunt facere, est (*ff*) amphitheatrum illud celebre, cujus rudera adhuc miramur. Cæterum ubi tot martyrum myriades sanguinem & vitam profuderunt, illa est regio, quæ ecclesiæ D. Pauli imminet, & *Campus Martyrum* dicitur. Effigies autem vera (*gg*) tam candelabri aurei, quam tabularum Mosis, marmori, e quo arcus constat Titi Vespasiani, incisa est: & (*hh*) *Apostolorum carcer* ad radices Capitolii reperitur, *locus* autem *supplicii*, diversus est: nam Petrus crucifixus dicitur aut (*ii*) in Janiculo, aut in eo Vaticani loco, in quo deinde pia fidelium manu sepultus est, ac toto terrarum orbe celeberrima constructa ejusdem basilica cernitur; Paulus autem capite amputatus (*kk*) ad Aquas Salvias. Quod dum memoro, pariterque innocentum sanctissimorumque virorum merita æstimo, sacer me horror invadit; quemadmodum & fieri solet in contemplatione ingentis illius (*ll*) *petræ Cajetanæ*, quæ, si non dissiliit in die mortis Christi, quando petræ Judaicæ omnipotente Dei manu disruptæ fuere, tamen hiatu suo, quasi aperto ore, saxea & dura Christianorum quorundam corda inclamat, allatrat, increpat, iisque, ni resipiscant, interitum annunciat.

& profanas. Jam si ea spectare placet, quæ antiquitatum profanarum numero inferri debent, nihil est, quod theologiæ alumnus in itinere Italico jure meritoque desiderare queat. Nam in diversis Italiæ civitatibus, præcipue autem in urbe

septi-

fepticolli aut prope eam exhibentur *thermæ*, *naumachiæ* loci, *circi*, *theatra*, *amphitheatra*, *arcus triumphales*, *aquæductus*, *columnæ*, *obelisci*, *mausolea*, *prætoria* & *templa Gentilium*, e quibus fere integra in hodiernum usque diem perdurant duo illa, quorum alterum (*mm*) Baccho dicatum fuit, alterum Diis ac Deabus universis, Græco nomine (*nn*) *Pantheon* appellatum. (*oo*) *Rubiconem*, si lubet, minore, quam Julius Cæsar fecerat, periculo transire potes. In *foro Ariminensi* (*pp*) lapis erectus tibi dicit, Cæsarem in ipso stantem milites allocutum fuisse, eosque ad arma contra æmulos suos capessenda animâsse. *Capuanam* regionem, quæ invictissimum alias Ducem Hannibalem deliciis superavit, absque detrimento peragrare licet: nam inculta est hodie, atque eremo, quam voluptatum habitaculo, similior. Pisis vas marmoreum publice ostendunt columnæ ophiticæ impositum, quod, ut (*qq*) subscriptus titulus refert, fuit *mensura tributi*, quod Cæsari olim tributaria civitas pendebat. (*rr*) Paravinum Prætorium custodit (*ss*) *cineres Livii*, sed non historiarum patris, & (*tt*) *lapidem cessionis bonorum*, in quo, qui solvendo non erant, nudis natibus sedére. Genua (*uu*) *rostro*, quod hodie in toto orbe unicum reperias, tanquam incomparabili tropæo superbit, idque, armamentarium ingressuris, ante omnia conspiciendum porrigit, quasi reliqua, quæ intus sunt, cimelia præ hoc contemnens: & Torcellæ, Venetarum insularum haut ultima, fenestris templi cathedralis affixas etiam nunc habet duas sat grandes ac densas *valvas*, *quæ e vivo saxo* excisæ, sævas barbarorum irruptiones, quum tormenta bellica nondum essent nata, sane eludere poterant. Huc forte etiam quis referret *picturam* illam, quæ *in Palatii Veneti aula*, a quatuor portis seu januis nomen ferente, conspicitur, ita quidem, ut Dux serenissimus solio insidens, & Consiliariis suis Senatoribusque stipatus, duos

ante ſe ſtantes audiat Legatos, quos (xx) vulgo ajunt a Magiſtratu Noribergenſi, leges tutelares petendi cauſa, miſſos fuiſſe. Verum non ita ſeſe res habet: petitæ enim atque impetratæ ſunt leges iſtæ non per Legatos, ſed literis: nec (yy) qui de publicis Venetorum picturis peculiarem in lingua Italica librum ſcripſit, illam de Noribergenſi legatione, ſed alicujus in Statu Veneto urbis interpretatur. Quod ſane cum habitu Legatorum, qui in tabula picturæ, viſuntur, eleganter convenit: amicti enim ſunt talaribus, pelliceaque fimbria ornatis togis, quibus Doctores, qui plerumque Oratorum munere funguntur, in terris illis uti ſolent. Sed quid tam diu de antiquitatibus Puteolanis & Baienſibus nihil dicimus? Neapoli Puteolos eunti tranſeunda eſt illa *crypta*, quæ a vicina urbe *Neapolitana* dicitur: opus ſane admirandum, quo Græci, ut videtur, Cumis habitantes, ut recta Neapolin ire poſſent, montem Pauſilypum ad paſſus circiter mille perforârunt. *Nihil*, ut Senecæ *epiſt. 57.* verbis utar, *illo carcere longius, nihil illis faucibus obſcurius; quæ nobis præſtant, non ut per tenebras videamus, ſed ut ipſas.* Cryptæ huic, ſi Servio, & communi hominum relationi credimus, ſuperimpoſitum eſt Poëtarum principis *Virgilii ſepulcrum*, in quo olim ſteterunt novem columnæ, ſupraque eas urna cineres Poëtæ ſervans, cum hoc, quod ipſe ſibi fecerat, epitaphio:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Partenope. Cecini Paſcua, Rura, Duces.

At omnia peſſum ivére; nuda modo atque informior e lateribus exſtructa ædicula ſupereſt. Paullo interius, ubi tamen adhuc proſpectus datur in Caprearum inſulam & oceanum, eſt *locus, in quo idem Poëta carmina* ſolitus eſt condere, carmina lauream promerita; unde & ipſa natura, gratitudinis ergo, laurum ibi produxit, atque etiam nunc conſervat. In via Puteolana porro occurrit *antrum*

canum,

canum, in quod immiſſi canes, ubi ſulphureum, quem alii peſtiferum credunt, halitum ſentiunt, velut vertigine obruuntur, ut mortui videantur. Remedium autem in propinquo eſt: extracti enim & *lacui Agnano* immerſi, protinus vitam, quam videbantur amiſiſſe, & ſpiritum recipiunt. *Monti Novo*, e cineribus & pumicibus, quos igneus terræ motus anno XXXIIX. ſuperioris ſeculi ejecit, orto, imminent rudera quædam, quam Ciceronis illam, porticu & nemore celebratam, *Academiam* fuiſſe, plurimi cenſent, Plinius autem lib. XXXI. N. H. cap. 2. litori impoſitam fuiſſe, memorat. In quo quidem ſibi invicem minime contrariantur: conſtat enim, mare aliquantum inde receſſiſſe. Heic jam viator noſter ab antiquitatum interprete, qui ortum ſuum e Ciceronis familia deducit, ejusque nomen gerit, cætera indoctus & infimæ conditionis homo, egregie falli poteſt, (zz) niſi ipſe autores de iis conſulat: Nam *pilæ illæ lateritiæ, quæ prope Puteolos* in mari adhuc ſtant, non pontis a Caligula Baias usque ſtrati, ſed munimentorum portus Puteolani reliquiæ ſunt; fecit enim ille pontem ex onerariis navibus inter ſe colligatis, non vero e coctis lateribus aut ſaxis; nec *crypta Sibyllæ*, lacui Averno adjacens, ejusdem habitaculum fuit, quippe quod Cumis erat, ſed Cimmeriorum potius vatidicorum, aut tranſitus ſaltim, forte a Cumanis factus, ut in plana via Baias pervenire poſſent; nec *campi Elyſii* illi ſunt, qui juxta Mare Mortuum ſive Portum Julii monſtrantur, nam in Cumano quærendi ſunt agro; nec *Centum Cellæ* ergaſtula fuerunt, in quæ Nero tyrannus homines damnârit, ſed ciſternæ potius, quibus aquæ vel in potum claſſicorum, vel ad irrigationem hortorum aſſervatæ; quem etiam in finem haut inde procul facta exſtat *Piſcina Mirabilis*, 48. pilis innixa, quæ quatuor ordinibus numero quaternario diſtributæ, ſymmetriam quintuplicis portus

per elegantem longitudinem efficiunt; nec *Mercatus sabbati* locus fuit solis mercatoribus solo die sabbati frequentatus, sed circus, in quo ludi celebrati; nec forte etiam *fornix* ille, paululum supra terram exstans, & sphingum, grypum, similiumque animalium insculptis simulacris ornatus, Agrippinæ sepulcrum est, sed particula domus, quam Augusta illa ibi habuit. Vt jam *villas* prætercam *Pompeji, Marii, Cæsaris, C. Calpurnii* Pisonis, *Hortensii & Vatiæ.* Nec de *Acheronte* quidquam dicam, ne eum movisse videar. Has & similes alias antiquitates, theologiæ filius recte, nî fallor, pervestigat: neque enim tantum apud probatos scriptores, quorum lectio ab ipso requiritur, illarum fit mentio, sed & in Ecclesia vel Academia loquenti usui esse possunt. Nolumus tamen, ut antiquitatum studio nimium sis deditus, eosúe imiteris, qui rugas & senectutem depereunt, & singula quæque, ut bajuli caseum, situ & mucore æstimant, quique ad quodvis saxum senio obesum, vel arcis rudera, moras faciunt, atque in eorum contemplatione dum diutius attente & stupentes hærent, pæne itineris suscepti obliviscuntur. Temporis habenda est ratio, mi viator, idque alia etiam, quæ observari merentur, sibi postulant. Quænam vero illa?

III. *adlustrãdum potiora & praeclariora opera Natura*

Primum quidem celebriora naturæ opera: ea enim tibi serviunt instar speculi, e quo bonitatem atque potentiam Creatoris sive ipse perspicias, sive aliis ostendas. Neq; eorum penuria est in Italia, immo ne in ejusdem quidem finibus. Nam in principio statim expandunt se illa montium juga, quæ vertice suo cœlum attingere videntur, quorumque particulæ forte avulsæ atque in planum delapsæ, magnitudinem domus haud parvæ exæquant. De *Alpibus* me loqui, facile ipsi conjicitis. Neque illæ viatorem statim dimittunt, sed per integrum octiduum detinent, ut Conditoris magnitudinem inde metiens, cum Siracide dicat: *Magnus Dominus, qui hæc fecit!* Ex Alpium

pium carceribus emiſſum excipit *Lombardia*, poſt *Companiam felicem*, quæ merito Liberi Cererisque certamen dicitur, omnium regionum & elegantiſſima & fertiliſſima. At jam cautos atque circumſpectos eſſe nos oportet: prope enim ſumus *monti ignivomo*, a cujus faucibus Plinius hiſtoricus, dum curioſius inſpiceret, raptus atque devoratus fuit. Age igitur, poſtquam voraginem Veſuvii hujus fumantem vidimus, atque unum alterumq; quaſi ſtomachantis ſtrepitum crepitumq; audivimus, deſcendamus protinus: nam ipſe, qui ad radices montis a Prorege Neapolitano erectus eſt (1) lapis, fugere nos jubet. Sed vereor, ne, dum Charybdim vitare volumus, in Scyllam inciderimus: ecce enim nos delatos in *Forum Vulcani*, quod vulgo *la Solfatara* dicitur, *campum* ut, Strabo l. 5. ſcribit, *circumquaque incluſum ſuperciliis ignitis, quæ paſſim, tanquam e caminis, incendium magno cum fremitu exſpirant*. Viden, viator, ut ſolum omne ſulphurea arena flavet? ut aurati ſcrobium margines vivo ſulphure rutilant? ut nigro exhalante fumo cœlum obducitur? Audin, ut ſcrobium aliæ velut ingentis crepitu flammæ ſtrepunt, aliæ fervent ebulliente aqua? ut pede pulſata humus reboat? Parum abeſt, quin credam, nos ſupra tartareæ domus tectum conſiſtere, quo rupto, mox infera omnis turba detegenda ſit. At purgatorii hunc locum eſſe, quisquis vult, credat. Sed quam horribilis, tam ſalutaris eſt locus iſte: nam originem ſuam inde ſumunt (2) *Thermæ Bajenſes*, de quibus vere Plinius lib. 31. c. 2. *Nusquam largius, quam in Bajano ſinu, emicant benigne aquæ, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ & acida ſalſave miſtura. Vapore quoq; ipſo aliquæ proſunt. Tantaq; eis eſt vis, ut balineas calefaciant, ac frigidam etiam in ſoliis fervere cogant. Obſonia quoque percoquunt. Jam generatim nervis proſunt pedibusve,*

busve, aut coxendicibus, aliæ luxatis fractisve. Inaniunt alvos. Sanant hulcera. Capiti, auribusque privatim medentur: oculis vero Ciceronianæ. Vere ita Plinius: nam nihil iſtis aquis ſalubrius eſſe, quotidiana teſtatur experientia. Dolendum modo, non omnes earum fontes adhuc eſſe integros: nam olim affixæ erant (3) inſcriptiones & imagines lapideæ, quæ virtutes eorum, & qua ratione uſurpandi eſſent, adeo recte indicarent, ut jam vulgus, Medicorum opem negligeret, atque huc, tanquam ad Æſculapii ſedem, læte feliciterque concurreret. Quid autem Medici Salernitani? (4) Tres ex iis (fides eſto penes famam, & ſcriptores nonnullos) lucrum ſuum publicis commodis præponentes, conſcenſa cymba Baias navigârunt, & imagines pariter atque inſcriptiones nocturno tempore confregerunt. Sed ut ſemper ultio divina, malefactis parata eſt, ita nec invidi iſti atque avari effugere eam potuére: nam quum domum reverterentur, exarſit repentina tempeſtate pelagus, (5) eosque vivos abſorpſit; ut nimirum per aquas punirentur, qui contra aquas deliquerant & peccaverant.

IV. *& Artis.* Hactenus de operibus naturæ ſingularibus. A quorum conſideratione ſi vobis videtur e re eſſe, ut ſacrarum Muſarum alumnus ſe convertat ad inſigniora opera artium, nulla fere eſt terra hac in parte felicior Italia: In ea quippe ſedem fixit *Architectura*, in ea floret *Pictura*, in ea caput effert *Sculptura*, in ea viget *Muſica*, & *Theatrica* in ea regnat. Adeat, qui hæc non credit, adeat modo celebriores Italiæ urbes, Auguſtam Taurinorum, Genuam, Mediolanum, Venetias, Florentiam, Romam, & Neapolin, & verum, immo minus, quam par eſt, me dixiſſe fatebitur: nam ars dicendi in me tanta non eſt, ut *Vitruviorum*, *Apellum*, *Praxitelum*, *Orpheorum* & *Terentiorum* Italicorum divina opera, ſatis & ex merito deſcribere ac celebrare valeam.

Neque

Neque vero etiam id a me requiritis, Auditores benevolentissimi, quin potius aliud argumentum, unde Italici itineris sacra utilitas probetur, exspectatis. Ne igitur expectationem vestram fallam, extra omnem controversiam esse autumo, theologiæ studioso optimos quosque concionatores audiendos, atque ad imitationem trahendos esse. Habet enim studium homileticum cum aliis hoc peculiare, quod magis ex auditu & visu, quam lectione discatur. Certe elocutio, quæ pronunciationem & actionem complectitur, atque anima orationis habetur, e vivo organo felicius hauritur, quam e præceptis. Jam vero quanquam Germania, puriori doctrinæ addicta, atque in ea urbs etiam Norimbergensis, & oppidum hocce, viros habeat in sacra eloquentia excellentes, pace tamen eorum dixerim, Italiam hac etiam in parte esse beatiorem. Nec mirum: quum enim nostris sæpe vix dies unus aut biduum suppetat ad concionem elaborandam, memoriæque mandandam, illis non unius duntaxat hebdomadis, aut mensis, sed integri anni, immo plurium quandoque annorum spatium conceditur; neque turpe est, eandem crambem non bis duntaxat, sed pluries apponere. Ita enim quasi usu receptum est apud eos, ut qui conciones quadragesimales prima vice in pago habuit, easdem anno sequente in oppido, tertio in mediocris urbe spatii recitet; donec postea in majores, ac denique in maximas transeat. Hinc fit, ut homilias suas sæpius emendatas, sæpiusque memoriæ infixas, felicissime tandem habere possint, populusque eos, tanquam *Augustinos* accurate docentes, *Hieronymos* graviter admonentes, *Ambrosios* suaviter consolantes, *Hilarios* nervose refutantes, *Cyrillos* terribiliter fulminantes, *Chrysostomos* flumine orationis abundantes, & *Basilios* commotione affectuum corda humana expugnantes, admirabundus audiat, lætoque post sermonem

V. *ad concionatorum optimorũ imitationem.*

ſuſurro, tanquam ſolenni acclamatione, favorem (6) adeo perfectis oratoribus conteſtetur, & iis quaſi triumphum canat. Quum vero tales ſint concionatores Italici, quis vitio vertat homiletici ſtudii candidato, ſi eos audiendi, &, quantum licet, imitandi cauſa, in Italiam ſe conferat, præſertim qui jam didicit aurum a ſcoriis, purum ab impuro diſcernere? Quanquam, ut verum fatear, inter eos non deſunt, (7) qui in concionibus ſuis a fabulis abſtinent, atque hoc agunt, ut corruptos hominum mores, Scripturæ & Patrum eccleſiæ beneficio, repurgent vitamque chriſtianam ac piam e fuga retrahant.

VI. *ad meliorem pronunciationem.* Atque iidem oratores ſacri probe ſcientes, non ſatis eſſe, ut homilia elegans conſcribatur, niſi eadem decora exornetur pronunciatione, in hoc potiſſimum incumbunt, ut ſuaviſſima & diſtincta pronunciatione utantur. In quo certe Germaniæ ſuperioris incolæ (date veniam, populares, veritatem profitenti) ſæpe negligentiores & indoctiores ſunt: quid enim magis tritum eſt, quam quod ſimplicem conſonantem pronunciamus, ut duplicem, aut duplicem, ut ſimplicem, b pro p, f pro v, d pro t, & vice verſa? Quæ & ſimilia vitia corruptæ elocutionis, magno cum faſtidio doctarum & delicatarum aurium audiuntur: quin ſæpe obſtant, quo minus oratio, quanquam eruditiſſime conſcripta, ab aliis percipiatur, & ſcopum attingat. Ita, referente Philippo Melanchthone, accidit *Legatis Würtenbergicis*: quantumvis enim viri docti, eloquentes, & magna auctoritate præſtantes eſſent, tamen eorum pronunciatio & peroratio tam craſſa & ingrata Cardinalibus & Pontifici Romano fuit, ut indignabundus illos absque reſponſione dimiſiſſet, re infecta, niſi Capnio, veluti interpres, ſuaviori elocutione illorum errorem correxiſſet, atque delicatioribus auribus feciſſet ſatis. Sed quid peregrinum repeto, quum domeſticum ad manus ſit? Idque vobis, qui

Horas

Horas Subcisivas elegantissimi Camerarii legistis, ex Cent. 3. c.70. ignotum esse non potest. Cum enim Legatus Regis Galliarum, Nicolaus Herlæus, Dominus de Sanci, qui progressionibus juventutis & præmiorum distributioni, in Gymnasio Altdorffino, auditor atque spectator adesse non dedignatus erat, a *patricio quodam Norimbergensi*, tunc adolescente & classico adhuc, eleganti oratione extemporanea exceptus, eique gratiæ peculiares pro honorifica præsentia actæ, nihil aliud desideravit vir amplissimus, quam politiorem, cultiorem & molliorem pronunciationem, ita, ut, se pleniorem sensum eorum, quæ dicebantur, assequi potuisse negaret. Equidem facile huic vitio remedium afferri posset, si Præceptores, quibus prima concreditur juventus, eam ad cultiorem pronunciationem assuefacerent. Sed quomodo alios recte doceant miselli, quod nunquam ipsi didicerunt? Quare, nisi opem defectui huic ferant Magistratus, apud alios ea tandem addiscenda est: inter quos quum in Italia oratores ecclesiastici caput efferant, quantum lenta solent inter viburna cupressi, merito eos sacræ eloquentiæ cultor audiat atque imitetur.

Jam de linguarum studio quid judicatis, Auditores? Nonne illud theologiæ studioso insignem utilitatem præbet, aptumque reddit, partim ut sacræ Scripturæ fontes adire, partim ut ejus versiones inter se conferre, immo & cum peregrinis, qui præter patriam linguam, nullam aliam callent sciuntve, agere, eorumque libros evolvere possit? Loquor autem de *Hebræa*, *Syriaca*, *Arabica*, *Græca*, *Italica*, *Gallica*, *Belgica* & *Anglicana*. Et illæ quidem in pluribus Germaniæ universitatibus, in ipsa etiam Altdorffina nostra, commode addisci possunt, ubi in Græca & orientalibus linguis præstantissimos habemus Professores; attamen fateri oportet, eas certo respectu multo

VII. *ad linguarum studium.*

felicius excoli in Italia, ejusque duabus præcipuis urbibus, Venetiis & Roma, ubi aquas ex ipſo fonte bibere, hoc eſt, Italicam cum Italis, Gallicam cum Gallis, Anglicanam cum Anglis, Belgicam cum Belgis, Græcam cum Græcis, Syriacam cum Syris, Arabicam cum Arabibus, & cum Hebræis, tam orientalibus, quam occidentalibus, Hebræam exercere, ſi lubet, licet. De *Hieronymo*, magno illo Eccleſiæ doctore, notum eſt, eum in orientem profectum fuiſſe, ut linguam Hebræam diſceret. Quid ergo? Culpandusne erit officii ſacri candidatus, qui in Italiam abit, tot tantasque linguas, ſi non diſcendi, ſaltim perdiſcendi & excolendi cauſa?

VIII. *ad librorum & virorum doctorum notitiam acquirendam.*

Denique ſi (8) Bibliothecæ publicæ, in qua magnus eſt & impreſſorum & manuſcriptorum librorum numerus, adeundæ ſunt bonarum ſacrarumque literarum ſtudioſo, haud ſcio, an Italia in hisce cuiquam alteri regioni vel tantillum cedat. Nam quid venerabilius eſt illa *D. Marci*, quæ Venetiis? quid nobilius *Ambroſiana*, quæ Mediolani? quid inſtructius *Laurentiana* & *Medicea*, quæ Florentiæ? & quid pretioſius *Vaticana*, quæ Romæ eſt? Quibus hodie merito addas, quam *Cardinalis Barberinus*, Purpuratorum Apollo, in ſua domo multis ſumtibus erexit, & publico bono conſecravit. Sic vero notitiam librorum ſibi comparans peregrinator noſter, eadem via in amicitiam quoque perveniet magnorum clariſſimorumque virorum. Nam etſi Italia non amplius, ut olim, abundat doctis ingeniis, pauca tamen illa, quæ habet, doctiſſima eſſe, nemo ſane negare poteſt. Atque ex iis, ut duo magna luminaria inter ſtellas minores, eminent *Octavius Ferrarius*, & *Antonius Magliabechius*, ille Eques, & in Athenæo Patavino Eloquentiæ & Græcæ Linguæ Profeſſor, hic in florentiſſima Florentiæ urbe Bibliothecarius; ille ob incomparabilem ſuadam alter Cicero, hic, ob feli-

ciſſimam

ciſſimam Principis juvenis informationem, alter Ariſtoteles; ille ob ætatem ac merita venerabilis, hic ob ſummam humanitatem amabilis; uterque ob ſingularem eruditionem non modo quibusvis Muſarum cultoribus, ſed Regibus magnisq; Principibus magno in pretio habiti. Atque hoc in iis præcipue laudandum, quod, quamvis in tanto æſtimationis faſtigio conſtituti, & negotiis graviſſimis pæne obruti ſint, neminem tamen, qui honeſtas diſciplinas colit, liminibus ſuis arceant, ſed quam maxime curent, ut unumquemque & doctiorem & meliorem dimittant. Jam ſi Gaditanus quidam Romam profectus fuit, Plinium viſendi cauſa, quanto magis digni ſunt Duumviri iſti, ob quos etiam ſacrarum Muſarum alumnus Italiam ſalutet, quippe qui non Plinium duntaxat, ſed quotquot Græcia pariter ac Latium ſcriptores probos in lucem protulit, vaſto atque improbo ſtudio ſuo exhauſere?

Argumē- torum ἀνακε- φαλαί- ωσις.

Quando igitur Italicum iter tam multis modis utile eſt, nempe ad ritus & ceremonias adverſarum Eccleſiarum obſervandas, ad antiquitatem tam eccleſiaſticam, quam profanam notandam, ad naturæ & artis opera luſtranda, ad concionatorum optimorum imitationem, ad meliorem pronunciationem diſcendam, ad linguarum exterarum ſtudium, ad librorum & virorum doctorum notitiam acquirendam; nemo erit, credo, qui theologiæ ſtudioſum in Italiam, dum ſumtus, ætas, & eruditio ſinit, iter ſuſcipientem, aut inde reverſum, reprehendat, aliisve reprehendendum offerat.

Concluſio.

Quisquis autem illuc te confers, vide, ut eos fructus, quos deſcripſimus, immo etiam plures, quam deſcripſimus, domum referas. Sunt, qui pro auro carbones, pro roſis ſpinas colligunt, quando delicias ac vitia Italica, quæ nec pauca ſunt, nec parva, cœco impetu ſequuntur. At tu, qui ſacris ſtudiis initiatus es, cave, ne quam iis maculam

culam affrices. Aures obtura cum Vlysse, ne Sirenum cantus te seducant, immune conserva pectus tuum ab omni impuritate, nec quidquam decerpe, quod lætitiam bonæ conscientiæ possit offuscare. Et nisi tali animo instructus sis, prorsus ineptum te judicamus ad peregrinationem, memores sapientissimæ illius legis, quam Basilius M. Episcopus Cæsariensis Ascet. c. 44. hisce verbis complexus est: *Peregre amandetur, qui proficisci potest citra animæ suæ detrimentum.* In patriam autem reversus, ne despicias alios, qui domi manserunt, nec vel voluntatem, vel occasionem habuerunt peragrandi terras alio sub sole calentes; sed, quantum illi interea in otio suo præstiterint, inquire, & si quid tu boni didicisti, eoque nemine ab iis rogatus fueris, candidus imperti. Denique spartam, quam nactus es, omni fide ac diligentia orna, ritus patrios sectare, nec unquam itinera tua jacta: quia, ut id, quod B. Hieronymus de Hierosolymis scripsit, ad metropolin Italiæ accommodemus, *non Romæ fuisse, sed Romæ bene vixisse laudandum est*; quin eo tandem annitere, ut ipso opere exprimas, quod Romani veteres hieroglyphica structura templorum Virtutis & Honoris, quæ non nisi unam habebant portam principalem, ita ut in templum Honoris nemo pervenire posset, nisi qui per templum Virtutis transiisset, indicare volebant. Virtutem igitur sectare, mi viator, sed veram & christianam. Ita fiet, ut honor, isq; verus & Christiano dignus, si non hac in vita, tamen post fata, si non apud homines, certe apud Deum, te sit excepturus.

Atque heic orationi meæ colophonem imponerem, nisi pietatis, gratitudinis, observantiæ atque humanitatis debitum prius a me persolvendum esset. Instare jam video diem illum, quo initium professionis meæ theologicæ erit faciendum. Ardua sane hæc est functio, non modo ob su-

ob ſublimitatem rerum, quæ tractandæ ſunt, ſed etiam ob inſignem eruditionem ac præclara merita, quibus eam ornavit, dum viveret, celeberrimus Dürrius, affinis & præceſſor meus deſideratiſſimus. Attamen tu, qui ſpartam illam in me devolviſti, o æterne ac benigniſſime DEVS, pater ſapientiæ, vires quoque mihi concedes, ut eam rite obire ſuſtineam. Illumina, quæſo, mentem meam, largire mihi ſpiritus S. dona, & fac, ut omnes labores mei cedant in ſacroſancti nominis tui gloriam, ac ſtudioſæ juventutis emolumentum.

A divino Numine ad vos me converto, ſplendidiſſimi Domini SCHOLARCHÆ, (liceat enim abſentes, tanquam præſentes, venerari) gratiasque vobis ago ingentes, quod ad honorificum hoc munus, ab illuſtri Magiſtratu, cujus non infima pars eſtis, mihi decretum, menon modo e peregrinis oris vocare, ſed & reverſum benigniter excipere, & plus una vice benevolentiæ atque patrocinii veſtri certiorem me reddere volueritis. Effeciſtis hoc ipſo, Mæcenates optimi, ut obſervantiam atque obedientiam debitam non prius vobis ſim ſubtracturus, quam anima corpuſculum hoc reliquerit.

Multum quoque tibi me debere fateor, re & nomine MAGNE FEZERE, Vniverſitatis noſtræ Procancellarie magnifice: non enim absque tuo conſilio demandatam mihi eſſe hanc ſpartam, extra dubium videtur eſſe poſitum. Servet Te DEVS felicem ac florentem, tuamq; domum, totius non modo Civitatis, Academiæque & Reipublicæ patriæ, ſed aliorum etiam S. Rom. Imperii Statuum oraculum, omni bonorum genere repleat, mihique facultatem concedat, ut animum tibi devinctiſſimum ipſo opere ſæpius exhibere atq; demonſtrare queam.


Sed o me felicem, qui e vultibus veſtris, PATRES ACADEMICI, omnem favorem atque amorem mihi tam certo

certo polliceri possum, quam e solis splendore, diei serenitatem! O me felicem, dum eorum lateri admotus sum, qui mihi olim aut præceptores fuerunt, aut commilitones, aut certe fautores! Immo e quibus tres ipse etiam Pater meus, cujus memoria sit in benedictione, hoc in loco (9) collegas, atque (10) unum ex illis tribus, venerabilem nunc senem, multisque ingenii monumentis in Rep. literaria celebratissimum, doctorem in Philosophia & ductorem habuit non contemnendum. Recipite igitur, viri æstimatissimi, quando Superis ac prudentissimo Senatui sic visum est, recipite pro collega discipulum, discipulique & collegæ filium, civem, commilitonem, amicum & cultorem vestrum, & periculum facite, num qua erga vos in me sit fides, num qua integritas, num quod inserviendi studium. Emoriar, atque indignus sim sacro munere, nisi omnes vires adhibiturus sum, ut me vobis ex asse probem.

Quumque vestrî causa huc venerim, pereximii atque ornatissimi JUVENES STVDIOSI, sacrarum literarum alumni, ut nempe in theologiæ studio & publice & privatim vobiscum me exerceam, nolite dubitare, omnem me operam daturum, ut officium seduli atque fidelis magistri impleam, vosque ad munera sive ecclesiastica sive academica, quantum in me est, & officii mei partes permittunt, aptos reddam atque idoneos. Si quid grati etiam reliquo nobilissimorum pectorum cœtui, sive civilis prudentiæ, sive artis salutaris, sive sapientiæ castra sequantur, præstare potero, illud omne bona fide iis jam offero, ac suo tempore lubens lætusque præstabo.

DIXI.


NO-



I. *Sanctus Panis*

ΑΓΙΟϹ ΑΡΤΟϹ







II. ΛΟΓΧΗ
Lancea




III. ΔΙϹΚΟϹ
Discus



IV. ΑΣΤΗΡ
Stella



V. ΡΙΠΙΔΙΟΝ
Flabellum



VI. ΛΑΒΙC
Cochlear



VII. *Numus Lotionis pedum*






IIX. *Numus Jubilaei sive Portae Sanctae*.







NOTÆ.

Ad pag. 592.

(*a*) *Levi sculptura*) Quam Itali *mezzo rilieuo* appellant.

Ad pag. 593.

(*b*) *Sigillum*) Figuram istiusmodi sigilli sive panis sancti duplicem, eamque delineatam, damus in tabula sub numero I. Confer de hoc & sequentibus Goari Not. in S. Chrysostomi Missam, & Zimmerm. lib. *Fiunt, non nascuntur Christiani*, pag. 342.

(*c*) *Lanceam*) Figura II. eam tibi exhibet.

(*d*) *In sancto disco*) Eum repræsentat figura III. Vbi notabis, majorem illam panis particulam, quæ ad dextram sigilli est, positam esse in memoriam B. virginis Mariæ, reliquas novem ad sinistrum latus in honorem Sanctorum, inferiorem majusculam pro Sacerdote, & minusculas pro ejusdem vel demortuis, vel adhuc viventibus amicis & consanguineis.

Ad pag. 594.

(*e*) *Asteriscum*) Sive stellam, quam exhibet figura IV.

(*f*) *Flabello*) Figuram ejus vide sub numero V.

(*g*) *Cochlearis parvuli*) Quod figura VI. expressum est.

Ad pag. 595.

(*h*) *Creationes* sive *Sanctorum*, sive *Beatorum*) Illæ canonizationes, hæ beatificationes proprie dicuntur. *Canonizationem* hæc præcedunt: 1. Regis cujusdam pro canonizando, qui ante 50. aut minimum 40. annos demortuus sit, iterata petitio. 2. Commissio ad formandum processum. 3. Inquisitio in vitam & gesta canonizandi. 4. Relatio commissionum. 5. Relatorum in consistorio examinatio. 6. Examinatorum, an miracula mereantur appellari, sine

quibus nulla canonizatio procedit, diſcuſſio. 7. Secreta conſiſtorii deciſio. 8. Canonizationis publica manifeſtatio. 9. Temporis, quo canonizatio peragi debet, determinatio. Ipſa autem peractio publicæ ſolennitatis fit impenſis Regni illius, in quo natus fuit. Solennitatis concomitantia ſunt genuflexio & oratio pro evitando errore, & ut Deus corda illuminare velit tam Papæ, quam Cardinalium; item canonizati publicatio, cum recitatione miraculorum illius, & offertorium, quo Papæ repræſentantur candelæ albæ cereæ, vinum in doliolo argenteo inaurato, panes & turtures in cavea. Fit etiam celebratio miſſæ in ejus honorem, & demum inſcriptio in matriculam Sanctorum, & ſuspenſio vexilli in templo D. Petri. *Beatificatio* in hoc diſtat a canonizatione, quod nec tot ſolennia, nec adeo accuratum proceſſum requirit, nec univerſalem, ſed ſolum in particulari loco determinatum tribuit honorem. Vtraque non niſi a Papa conceditur: In hac quidem, ut N. *beatus* appellari poſſit, & certo tempore ac loco officium miſſale illius celebretur memoriæ. Sprenger. in Roma Nova p. 114. & 115. Anno 1675. qui jubilæus erat, d. 21. Apr. ſive dominica in Albis, *Joannis de Cruce*, Hiſpani, ex ordine Carmelitarum diſcalceatorum, beatificatio fiebat hoc modo: Poſitis in choro baſilicæ D. Petri rite organis, dum muſicus concentus perſonabat, Clerici cum Cardinali quodam, ſacris veſtibus & mitra ornato, ſolenni pompa templum ingrediebantur, & in prædicto choro omnibus conſidentibus, unus illorum, conſcenſo ſuggeſtu, qui inter duo organa poſitus erat, bullam Pontificis clara voce prælegebat, hujus tenoris: Satis jam notum eſſe, quod *Joannes de Cruce*, Hiſpanus, vir fuerit valde & doctus & pius. Non dubitare igitur Papam, iſtum, ob virtutes tam theologicas, quam morales, in cœlo cum reliquis electis jam triumphare; rogatum autem eo nomine ab Hiſpaniarum Rege, ut prædi-

prædictum Joannem de Cruce in numerum Beatorum referret, eundem jam pro tali declaratum velle, & potestatem facere, memoriæ ipsius altare in tribus locis erigendi. His dictis, extra templum, ut manifestatio Beati late per urbem innotesceret, vascula pulvere tormentario repleta, & ordine disposita, explodebantur, veloque pariter a pictura, in qua novus Beatus, genibus flexis, in habitu orantis extabat, remoto, populus omnis in genua procidebat, eumque adoratione venerabatur.

(*i*) *Agni Dei*) Placentulæ illæ contra omnia mala diabolica conferre creduntur. Consecrantur a Pontifice anno sui pontificatus primo, & quovis postea septennio. Nimirum postquam ille privatim cum aliquibus Cardinalibus peregit officium missæ, petit cameram benedictionis, in qua indutus amictu, cingulo, stola & mitra, consecrat aquam, & Cardinales sacras monetulas in eam injectas extractasque detergunt, rursus deinde a summo Pontifice benedicendas. Sprenger. in Roma Nova p. 118. Anno 1675. d. 18. Apr. (erat dies Jovis post dominicam resurrectionis) fiebat secunda vice hæc ceremonia a solis Cardinalibus, qui albo linteo cincti cochlearia haud parvæ magnitudinis argentea tenebant, quibus placentulis illis aquam consecratam affundebant. Scilicet hoc erat *Agnos Dei lavare*.

(*k*) *Rosæ & gladii benedictionem*) In quarta quadragesimæ, rosa, & in nocte natalis Domini, a Papa benedicitur gladius, ut hoc magnos Reges, illa vero Reginas & Principes matronas donet. Adi Casal. de Ritib. Vet. Christian. p. 336.

(*l*) *Anni jubilæi*) Qui vigilia nativitatis Domini inchoatur, & finitur eadem sequentis anni. Bonifacius IIX. anno MCCC. primus jubilæum instituit quolibet anno centesimo celebrandum, & visitandas proposuit basili-

cas div. Apoſtolorum Petri & Pauli. At Clemens VI. anno 1350. ſtatutum illud mox abrogavit, & centeſimum in quinquageſimum contraxit, adjiciendo ulterius eccleſiam D. Joannis Lateranenſem. Denique Sixtus IV. anno 1475. annum poſuit vigeſimum quintum, adjecta ulterius eccleſia D. Mariæ majoris. Atque hic ultimus annorum numerus hactenus a Pontificibus obſervatus eſt, celebrante jubilæum Clemente IIX. anno 1600. Vrbano IIX. anno 1625. Innocentio X. anno 1650. & Clemente X. anno 1675. Atque hodie viſitantes ad VII. Eccleſiarum (de quibus infra) adſtringuntur acceſſionem.

(m) *Excommunicari creduntur*) Eodem, quo fit excommunicatio, tempore, Papa ſolennem populo dat benedictionem, quemadmodum etiam facere ſolet die reſurrectionis, & feſto aſcenſionis Chriſti. Vbi quidem notandum, id, quod de loco hujus ceremoniæ diximus, *porticu* videlicet *baſilicæ D. Petri*, intelligendum eſſe de hodiernis Pontificibus: priores enim aliis in locis eam peregére, in porticu nempe vel palatii Pontificii, vel D. Petri in vinculis, aut etiam D. Marci, vel D. Joannis, quem ultimum Sixtus V. ſpecialiter benedictionis in uſum exſtruxit. Cæterum de Bulla Cœnæ Domini obſervandum, eam in Latino idiomate Pontifici appellari *Literas proceſſus*, atque inter alia ibi hæc legi verba: *Excommunicamus & anathemizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, quoscunque Huſſitas, Wichlephiſtas, Luteranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a Chriſtiana fide Apoſtatas, & omnes ac ſingulos alios Hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, & cujuscunque ſectæ exiſtant.* Jam mirum alicui videatur, cur Trinitarii hæreticis accenſeantur, ſi Trinitarii ſunt, qui tres in una eſſentia divina perſonas confitentur; hoc enim

nim

nim modo Pontifex se ipse cum sequacibus suis excommunicaret; quoniam cum Ecclesia sua articulo de Trinitate ipsemet subscribit. Atque hoc argumentum adeo est speciosum, ut, quum nostratium quidam primariis Sacerdotibus inclytæ alicujus in Italia civitatis illud objiceret, tempusque cogitandi sat longum daret, illi exinde se extricare haud potuerint. Tandem vero ad Patres Jesuitas, quasi ad triarios, res pervenit, quorum unus primo quidem nihil, biduo autem post ita respondit: Per *Trinitarios* ibi intelligi, non qui ab Antitrinitariis sic appellentur, Pontificios nimirum cum Lutheranis, Reformatis, Anabaptistis, & quibuscunque aliis S. Trinitatem credentibus, sed novam illam *sectam, ortam sub Pio IV.* de qua Gabriel Vazquez Tom. II. Comment. & dispp. in Primam Thomæ p. 9. ita memoret: *Jam vero, ut refert Sanderus lib. 7. de Visib. Monarch. hæresi 228. & Prateolus, verbo* Deistæ, *orti sunt Deistæ seu Trinitarii, qui, cum in Deo tres hypostases confiterentur, tres personas negabant, nescio quid per subsistentiam intelligentes.* Quo si respicit Bulla quoque Pontificia, dubium ane cessat, atque illa, hac quidem in parte, a magno, ut apparebat, liberatur absurdo. Conflata autem est Bulla S. Cœnæ (ut & hoc addamus) ex diversorum Pontificum constitutionibus & bullis, die cœnæ Domini recitari, & progressu temporis mutari, augerive solitis: quas Cherubinus Bullar. tom. 3. p. 248. nota, bullæ Pauli V. præfixa, indigitat. Cumque multi sint, qui integram ejusmodi bullam videre & legere discupiunt, non gravabor, in eorum gratiam, eam, quæ A. 1675. eoque jubilæo, quo & ipse Romæ eram, publicata est, non Latino tantum, sed & vulgari seu Italico idiomate, ad exemplum editionis Romanæ, heic loci communicare. Atque en primo Latinam.

Litteræ Processus

S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ X.

lectæ die Cœnæ Domini

Anno M. DC LXXV.



CLEMENS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Excommunic. & anathematizantur

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia & sollicitudo, cum in omni christanæ Reipublicæ pace & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile

bile eſt placere Deo, unitate atque integritate retinenda, & conſervanda, maxime elucet. Nimirum, ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra ſub Chriſto capite, ejusque in terris Vicario Rom. Pontifice, beatiſſimi Petri ſucceſſore, a quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſane cauſas Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolennis eſt, ſpiritualem eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolenniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum & ſolemnem hunc morem ſequentes:

Hæretici cujuscunque ſectæ, eorundem fautores & libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & ſchiſmatici.

1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, quoſcunque Huſſitas, Vvichlephiſtas, Luteranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Vgonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a chriſtiana fide apoſtatas, ac omnes, & ſingulos

los alios hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodo libet defendentes ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, nec non Schismaticos, & eos, qui se a nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Appellantes a Pontif. ad futurum Concilium, eorumq; fautores.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniversitates vero, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore, appellatum fuerit.

Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Naufragorum Christianorum cujuscunque generis bona, etiam in littoribus inventa, surripientes.

4. Item

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque navibus, tempeſtate, ſeu in transverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eisdem ejecta, in mari, vel in littore inventa cujuscunque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuscunque maris regionibus, & littoribus, ſurripuerint; ita ut, nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum, excuſari poſſint.

Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus, ſibi a jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Falſificantes literas Apoſtolicas, aut ſupplic. a quocunque auctoritatem habente ſignatas, falſoq; publicantes literas Apoſtolicas.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis ſignatarum, nec non falſo publicantes literas Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falſo ſignantes ſupplicationes hujusmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes arma & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios christiani nominis inimicos, & ad Reipubl. christianæ statum pertinentia, iisdem, in damnum Christianorum, nunciantes.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos, per nostras, sive hujus sanctæ Sedis sententias expresse & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum feri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum christianæ reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum catholicæ religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quo modo libet præstant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defen-

defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Ad Sedem Apostol. venientes, vel ab ea recedentes, sua aut aliorum opera lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, a Nobis, vel nostris Judicibus non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

Romipetas, ac peregrinos etiam in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos, ad urbem, causa devotionis seu peregrinationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut

eos a ſuis diœceſibus, territoriis, terris, ſeu dominiis ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

Ad Rom. Curiam pro negotiis ſuis recurrentes, per ſe, vel per alios lædentes.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas eccleſiaſticas quaſcunque, vel ſeculares, ad Romanam Curiam, ſuper eorum cauſis & negotiis, recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Appellantes a gravamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum, ad laicam poteſtatem.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam Seculares cujuſcunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem a gravamine, vel futura executione literarum Apoſt. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam juſtitiam concernentium, nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium & aliorum decretorum, a Nobis, & a Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis,

Nunciis, Præsidentibus, Palatii nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi literarum & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, quive alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis, ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios seu Tabelliones, vel alias quomodo libet retinere præsumunt.

Executionem literarum Apostolicarum aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque, qui per se, vel alios, auctoritate

propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam Judices, interponunt; quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanârunt, a censuris & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel executione literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint, Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

Iudices seculares, qui ecclesiast. personas trahunt ad sua tribunalia, quique ecclesiast. libertatem tollunt, aut opere in aliquo turbant.

15. Quive

15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque, perſonas eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiarum quarumcunque, coram ſe, ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici diſpoſitionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore: nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujusvis conſuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite vel expreſſe præjudicatur.

Impedientes Prælatos, ne ſua jurisdictione utantur, quiq; illorum, & deleg. judicia elevantes ad Curiam ſecul. recurrunt, aut contra illos decernunt, præſtantesq; auxilium.

16. Nec non qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosque ſuperiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Judices eccleſiaſticos ordinarios, quomodolibet hac de cauſa directe, vel indirecte carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, Procuratores, familiares, nec non conſanguineos, & affines, aut alias impediunt, quo minus ſua jurisdictione eccleſiaſtica contra quoscunque utantur, ſecundum quod Canones, & ſacræ Conſtitutiones eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque ſenten-

ſententias, & decreta, aut alias fori eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Vſurpantes Sedis Apoſt. & quorumcunque eccleſ. jurisdictiones, vel etiam fructus ſequeſtrantes.

17. Quive jurisdictiones, ſeu fructus, reditus, & proventus, ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quascunque eccleſiaſticas perſonas, ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, pertinentes, uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia, ſequeſtrant.

Imponentes decimas, & alia onera perſonis eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.

18. Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis eccleſiaſt. ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, abſque ſimili Rom. Pontificis ſpeciali & expreſſa licentia, imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam a ſponte dantibus & concedentibus, recipiunt: nec non, qui per ſe, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, conſilium,

vel

vel favorem præstare non verentur, cujuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Judices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra ecclesiasticas personas.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, notarios, scribas, executores, subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directe, vel indirecte, sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem,

almam Vrbem, Regnum Siciliæ, insulas Sardiniæ, & Corsicæ, terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabineum, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romaniolæ, Campaniæ, & maritimas provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias civitates, terras, & loca, vel jura, ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Rom. Eccles. mediate, vel immediate subjecta: nec non supremam jurisdictionem in illis, Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Absolutio soli Pontifici reservatur.

21. Volentes, præsentes nostros processus, ac omnia & quæcunque his literis contenta, quousque alii hujusmodi processus a Nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absolvere præsumentes, excommunicantur.

22. Ceterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Rom. Pontificē, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscunque personis ecclesiasticis secularibus, & quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam

Episco-

Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis: nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

23. Quod si forte aliqui, contra tenorem præsentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos, spiritualiter, ac temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Papæ absolutio non comprehendit eos, qui a præmissis non destiterint.

24. Declarantes, ac protestantes, quamcunque absolutionem, etiam solenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos, sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis, cum vero proposito, ulterius similia non committendi, destiterint; ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publice revocaverint, & ex archiviis, seu capitularibus locis aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel

Successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apost. ac S. R. E. undecunque & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, provinciis, civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus, quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri. Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus, pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

26. Vt vero præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Jo. Late-

Lateran. & Basilicæ Principis Apost. de Vrbe appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

27. Insuper, ut processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus, & locis fuerint publicata, universis & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient & declarent.

Quicunque audiunt confessiones, apud se has literas habeant.

28. Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique, curam animarum excercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

29. Volentes, earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eandem prorsus fidem

in judicio, & extra illud, ubique locorum abhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, septimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Loco ✝ plumbi.

G. Cardinalis Prodatarius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

I. G. Slusius.

I. C. Gul. de Gentilibus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Die, mense, & anno, quibus supradicta Bulla affixa fuit ad valvas Basilicæ Apostolorum SS. Petri & Pauli, S. Jo. Lateranen. S. Mariæ Majoris, & alia loca solita, & consueta Urbis, per me, Matthæum Bertarellum, Sanctiss. D. N. Papæ Curs. Pro D. Mag. Cursor. Egidius Felicius Curs.

LA BOL-

LA BOLLA IN CENA DOMINI VOLGARE.



CLEMENTE VESCOVO SERVO DEI SERVI DI DIO

A futura memoria.

La vigilanza, e sollecitudine pastorale del Romano Pontefice, per ragione, e debito dell' officio suo, si adopra di continuo in procurare la pace, e tranquillità della Republica Christiana; mà principalmente riluce, & appa- *risce*

risce grandemente in ritenere, e conservare l' unità, & integrità della fede Cattolica, senza la quale è impossibile piacere à Dio. E questo, acciochè i fedeli del Signore non siano parvuli, fluttuanti, & instabili, e nella malitia degli huomini, che astutamente pongono loro insidie, per farli cadere in errore, non si lascino raggirare dà ogni vento di dottrina, anzi tutti pervengano all' età di huomo perfetto nell' unità della fede, e cognitione del Figliuol di Dio, e parimente, acciochè nella compagnia, e communicatione di questa vita non si danneggino, e non si offendano l' un l' altro; mà più tosto congionti insieme col legame della carità crescano in edificatione, come membra di uno istesso corpo, sotto il Capo di CHRISTO, & sotto il suo Vicario in terra, Successore del beatissimo Apostolo Pietro, che è il Pontefice Romano sudetto, da cui l' unione di tutta la Santa Chiesa deriva, & in questa maniera con l' ajuto della divina gratia, godono in tal modo della quiete della vita presente, che parimente vengono a fruire, e possedere la beatitudine della futura. Per le quali cagioni i Pontefici Romani, nostri Predecessori, sono stati soliti in questo giorno, celebre per la memoria annuale, che si fà della Cena del Signore, à esercitare solennemente il coltello spirituale della disciplina ecclesiastica, e le armi salutari della giustitia, per mezzo del ministerio del sommo Apostolato, per gloria di Dio, e salute delle anime.

1 Noi dunque, à i quali niuna cosa è più desiderabile, che il conservare con l' ajuto di Dio l' integrità incorrotta della

della fede, e la publica pace, e giustitia, seguitando questa antica e solenne usanza,

Escommunicamo, & anathematizamo, da parte di Dio onnipotente, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, & anco per l' autorità delli beati Apostoli, Pietro, e Paolo, e per la Nostra, ciascuni Hussiti, Viglefisti, Luterani, Zuingliani, Calvinisti, Vgonotti, Anabatisti, Trinitarii, e tutti, e ciascun' altro Heretico, di qualsivoglia nome, e di qualunque setta siano, con quelli tutti, che gli credono, & i ricettatori, fautori, e generalmente tutti i difensori di essi; e quelli, che i libri de i medesimi, continenti heresie, ò che trattano di religione, senza autorità nostra, e della Sede Apostolica, scientemente leggono, ò ritengono appresso di se, stampano, ò in qualunque modo per qualsiuoglia causa difendono publicamente, ouero occultamente, e sotto qualsiuoglia pretesto, ò colore; e similmente li Scismatici, e quelli tutti, che ostinatamente si sottraggono, ouero si partono dall' obedienza nostra, e del Romano Pontefice, che sarà successivamente.

2. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti, e ciascuno, di qualunque stato, grado, ò conditione siano, & interdiciamo Vniversità, Collegii, Capitoli, compresi sotto qualsivoglia nome, che dalle ordinationi, sentenze, e commandamenti nostri, e de i Romani Pontefici, che succederanno, si appellano al futuro Concilio Vniversale; e quelli, per aiuto, e favore de' quali si sarà appellato.

3. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti i pirati, Corsari, e ladroni maritimi, che scorrono il mar nostro, specialmente dal Monte Argentario sino à Terracina; e tutti i fautori, ricettatori, & difensori loro.

4. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti, e ciascuno, i quali dà naui di qualunque Christiano battute dalla fortuna, ò vero che (come si dice) habbino dato à trauerso, ò in qualsiuoglia modo habbino patito naufragio, haueranno rubati beni di qualsiuoglia sorte: ò in esse naui, ò gettati dà esse, ritrovati nel mare, ò vero nel lito, tanto ne i nostri mari, Tirreno, & Adriatico, quanto in altre regioni, e liti di qualsiuoglia mare, di maniera, che non possono essere scusati per qualunque privilegio, consuetudine, ò possesso di lunghissimo tempo, etiamdio immemorabile, ò sotto qualsiuoglia pretesto.

5. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, i quali, fuor che ne i casi permessi loro dalle leggi, ò vero di special licenza della Sede Apostolica, impongono novi pedagii, ò gabelle, ò quelle accrescono, ò vero le prohibite d' imporsi, & accrescere, riscuotono.

6. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti i falsarii delle lettere Apostoliche, etiamdio in forma di Brevi, & di supplicationi, concernenti gratia, ò giustitia, per mano del Romano Pontefice, ò del Vicecancelliero della Santa Romana Chiesa, ò de' loro Vicegerenti, ò per ordine del medesimo Pontefice, segnate; & ancora quelli, che fanno lettere Apostoliche false, etiam in forma di Breve; e parimente

mente quelli, che segnano simili supplicationi sotto il nome del Pontefice Romano, ò del Vicecancelliero, ò de i Vicegerenti predetti.

7. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che portano, ò mandano cavalli, arme, ferro, filo di ferro, stagno, acciaro, & ogni altra sorte di metallo, instrumenti di guerra, legnami, canepe, corde, tanto di canepe, quanto di qualunque altra materia, & essa materia, e cose simili, à Saraceni, Turchi, & altri nemici del nome di CHRISTO, ò vero ad Heretici, per nostre sentenze, ò di questa Santa Sede Apostolica, espressamente, & nominaamente dichiaritati, con le quali cose impugnano i Christiani, & Catholici: E parimente quelli, che per se, ò per mezzo d'altri, auuisano detti Turchi, & nemici della Christiana Religione, & Heretici, delle cose concernenti lo Stato della Christiana Republica, in danno, e nocumento de' Christiani, & che ad essi danno in qualunque modo aiuto, conseglio, ò favore, non ostanti qual si vogliano privilegi, da Noi, ò dalla Sede predetta, à qualunque persona, Prencipi, Republiche, insin quì concessi.

8. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che impediscono, ò assaltano i conduttori, ò portatori di vettouaglie, ò altre cose necessarie all' uso della Corte Romana; e quelli, che prohibiscono, impediscono, ò perturbano, à fine, che le predette cose non si conduchino, ò portino ad essa Corte; e quelli, che per se, ò per mezzo d' altri difendono chi fà le cose predette, siano di qual si voglia or-

dine, preeminenza, conditione, e stato, ancora che di Pontificale, Regale, ò vero di qual si voglia altra ecclesiastica, ò mondana dignità risplendano.

9. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, i quali dà se stessi, ò per mezzo d' altri, ammazzano, mutilano, spogliano, pigliano, ritengono quelli, che vengono alla Sede Apostolica, & dà quella si partono. Et in oltre tutti quelli, che non hauendo giurisdittione ordinaria, ò vero delegata dà Noi, o dà nostri Giudici, usurpandola temerariamente, ardiscono di commettere cose simili contra quelli, che in essa Corte dimorano.

10. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che ammazzano, mutilano, feriscono, pigliano, ritengono, ò robbano li Romei, ò pellegrini, che à Roma vengono per devotione, o peregrinaggio; e quelli, che vi dimorano, ò dà essa si partono; e coloro, che in ciò li prestano aiuto, conseglio, & favore.

11. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che ammazzano, mutilano, feriscono, percoutono, pigliano, carcerano, ritengono, & hostilmente perseguitano i Cardinali della S. Romana Chiesa, Patriarchi, Arciuescoui, Vescoui, Legati della Sede Apostolica, ò Nuntii, e quelli, che i medesimi scacciano dalle lor Diocesi, Territorii, Terre, Dominii; e quelli parimente, che tali cose commendano, ò appruouano, ò à quelli danno aiuto, conseglio, e fauore.

12. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che per se, ò per altri, qualunque persona ecclesiastica,

stica, ò secolare, che ricorre alla detta Corte sopra le sue cause, e negotii, & in essa Corte le proseguisce, ò procura, e quelli, che trattano detti negotii, Auuocati, Procuratori, & Agenti, ò vero anco gl' Auditori, & Giudici deputati sopra dette cause e negotii, per occasione di detti negotii, e cause, uccidono, ò in qual si voglia modo percuotono, ò spogliano de i lor beni; e quelli, che per se, ò per altri, per via diretta, o indiretta, ardiscono commettere simili delitti, esseguire, ò procurare le cose sopradette, & in esse dar conseglio, aiuto, ò favore, di qualunque preeminenza, ò dignità siano.

13. *Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, tanto Ecclesiastici, quanto Secolari, di qualunque dignità, i quali sotto pretesto di friuola appellatione dà grauame, ò futura essecutione di lettere Apostoliche, etiam in forma di Breue, concernenti tanto gratia, quanto giustitia, e di inbibitioni, sequestri, monitorii, processi, essecutoriali, & altri decreti, dà Noi, e dalla Sede predetta, ò vero da' Legati, Nuntii, Presidenti, della Camera Apostolica Auditori, Commissarii, & dà altri Giudici, e Delegati Apostolici uscite, e che per tempo usciranno, ò altramente hanno ricorso alle Corti secolari, e laica potestà, e dà essa, istando anche il Procuratore, ò Auuocato del fisco, fanno, che simili appellationi si ammettano, & fanno, che le lettere, citationi, inhibitioni, sequestri, & monitorii, & altre cose si piglino, & ritengano. E quelli, che impediscono, & prohibiscono, che esse, ò semplicemente, ò senza loro beneplacito, consenso, ouero esamine siano esseguite, & che i Notari sopra le essecutioni di simili lettere, & processi, non facciano instromenti, & atti, e che fatti non li debbano dare alla parte, che hà interesse; e quelli*

anco, che le parti, ò loro Agenti, Consanguinei, Affini, Famigliari, Notari, Essecutori, ò Sottoessecutori delle lettere, citationi, monitorii, e d' altre cose predette, prendono, percuotono, feriscono, mettono in prigione, ritengono, dalle Città, luoghi, e Regni discacciano, spogliano de i lor beni, spauentano per concussione, impauriscono, e minacciano, per se, ò vero per altri, publicamente, ò occultamente; e quelli, che altramente presumono, per via diretta, ò indiretta, prohibire, ordinare, comandare à qualunque persona, generalmente, ò specialmente, che per proseguire qualunque lor negotio, impetrare gratie, e lettere, non venghino, ò non habbino ricorso alla Corte Romana, & non impetrino esse lettere, ò gratia dalla Sede predetta, e non si seruano delle già impetrate, ò vero quelle ardiscono ritenere appresso di se, ò appresso li Notari, ò altramente, in qualsiuoglia modo.

14. Ancora escommunicamo, & anathematizamo tutti, e ciascuno, che per opera sua, ò d' altri, di propria auttorità, e di fatto, sotto pretesto di qualunque esentione, ò altre gratie, ò lettere Apostoliche, le cause beneficiali, ò di decime, ò spirituali, ò alle spirituali annesse, auvocano dalli Auditori, e Commissarii nostri, & altri Giudici Ecclesiastici, & il corso, & audienza di esse cause, & le persone, Capitoli, Conventi, Collegii, nelle prosecutioni delle cause predette, impediscono, e nella cognitione di quelle, come Giudici, si intromettono: E quelli, che gl' Attori, che l' hanno fatte, & fanno commettere, constringono per statuto, ò altramente, à revocare, ò far revocare le citationi, ò inhibitioni, ò altre lettere in esse decretate, & à fare, ò consentire, che dalle censure, e pene in esse contenute, siano assoluti quelli, contro a' quali tali inhibitioni sono venute, ò l' essecutione delle lettere Apostoliche, ò essecutoriali processi, & decreti predetti in qualsivoglia modo impediscono, ò vero à ciò prestano il favore

vore loro, conseglio, e consenso, etiam sotto pretesto di probibire la violenza, ò di altre pretensioni, ò vero anche insin tanto, che essi habbino à noi (come dicono) supplicato, ò fatto supplicare, per informarci, salvo però, se essi innanzi à Noi, ò alla Sede Apostolica, le dette supplicationi legitimamente proseguissero, ancor che quelli, che commettessero simili cose, fossero Presidenti delle Cancellarie, de' Consigli, e de' Parlamenti, ò vero Cancellieri, Vicecancellieri, Consiglieri, ordinarii, ò straordinarii, di qualsivoglia Prencipe secolare, ancorche di Imperiale, Regale, Ducale, ò di qualunque altra dignità risplendano, ò siano Arcivescovi, Vescovi, Abbati, Commendatarii, ò Vicarii.

15. E quelli ancora, che per loro pretenso officio, ò ad instanza della parte, ò di qualunque si sia, le persone ecclesiastiche, Capitoli, Conventi, & Collegii di qualunque Chiese, inanzi à se, ò loro Tribunali, Audienza, Cancellaria, Consiglio, ò Parlamento, fuori della dispositione de i sacri Canoni, tirano, ò fanno tirare, ò procurano per via diretta, ò indiretta, sotto qual si voglia colore. E parimente quelli, che in genere, ò in specie, per qual si voglia causa, ò sotto qualunque colore, anco sotto pretesto di qual si voglia consuetudine, ò privilegio, ò altramente in qual si voglia modo, hanno fatto, ordinato, publicato, statuti, ordinationi, constitutioni, prammatiche, ò vero altri decreti, ò quelli fatti & ordinati hanno usati, per li quali si toglie la libertà ecclesiastica, ò in alcuna parte si offende, ò si deprime, ò altramente in qual si voglia modo si restringe, ò alle ragioni nostre, e di detta Sede, e di ogn' altra Chiesa, per via diretta, ò indiretta, tacitamente, ò espressamente si pregiudica.

16. E tutti quelli, che gl' Arcivescovi, Vescovi, & altri superiori, ò inferiori Prelati, e tutti gl' altri, qual si siano, Giudici Ecclesiastichi ordinarii di qualunque sorte, in qual si

voglia

voglia modo, per questa causa, direttamente, o indirettamente carcerando, ò dando molestia alli loro Agenti, Procuratori, Familiari, Consanguinei, & Affini, impediscono, che non usino la loro giurisdittione ecclesiastica contro ogni persona, secondo la dispositione de i sacri Canoni, & Constitutioni ecclesiastiche, e decreti de' Concilii Generali, & specialmente del Concilio di Trento. E quelli ancora, che doppo la sentenza, & decreti di essi Ordinarii, ò anche di qual si voglia Delegati, ò altramente sfuggendo il giuditio del foro ecclesiastico, ricorrono alle Cancellarie, & altre Corti secolari, & dà quelle procurano, che si facciano inhibitioni, e precetti, anco penali, à gl' Ordinarii e Delegati predetti, e contra essi si essequiscano, ò vero prestano aiuto, conseglio, patrocinio, e favore nelle medesime cose.

17. E quelli, che le giurisdittioni, ò vero frutti, entrate, & proventi, pertinenti à Noi, & alla Sede Apostolica, & à qualsivoglia ecclesiastica persona, per ragione di Chiese, Monasterii, & altri beneficii ecclesiastichi, usurpano, ò anco per qualsivoglia occasione, ò causa, senza espressa licenza del Pontefice Romano, ò di quelli, a' quali di ragione appartiene, sequestrano.

18. E quelli, che le collette, decime, taglie, prestanze, & altre grauezze a' Chierici, Prelati, & altre persone ecclesiastiche, & a i loro beni, e delle Chiese, de' Monasteri, e d' altri beneficii ecclesiastichi, & a' loro frutti, entrate, e prouenti, senza simile speciale, & espressa licenza del Romano Pontefice, impongono, & con diversi etiam esquisiti modi riscuotono, ò cosi imposti, da quelli ancora, che spontaneamente danno, & concedono, li riceuono. E similmente quelli, che per se, ò per altri, diretta ò indirettamente, ardiscono le predette cose fare, esseguire, ò procurare, ò vero in esse dar aiuto, conseglio, favore, di qualunque preeminenza, dignità, ordine, conditione, ò stato siano, ancorche d' Imperiale, ò Regale dignità risplendano,

ò siano

ò ſiano Prencipi, Duchi, Conti, Baroni, & altri qual ſi voglia Potentati di qualunque ſorte, che etiam a' Regni, Provincie, Città, & Terre in qual ſi voglia modo preſedano, & ancora Conſiglieri, e Senatori, e di qual ſi voglia dignità, ancorche Pontificale, ſiano ornati. Rinouando ſopra queſte coſe i decreti per li ſacri Canoni, tanto nel Concilio Lateranenſe ultimamente celebrato, quanto in altri Concilii generali fatti, con le cenſure, e pene, in eſſe contenute.

19. Ancora eſcommunicamo, & anathematizamo tutti, e qualunque Magiſtrato, Giudici, Notari, Scrittori, Eſſecutori, e Sottoeſſecutori, & altri, che in qual ſi voglia modo ſi intromettono in cauſe capitali, ò criminali, contro perſone eccleſiaſtiche, con proceſſarle, bandirle, pigliarle, ò dare, ò vero eſſequire ſentenze contro di loro ſenza ſpeciale, ſpecifica, & eſpreſſa licenza di queſta Santa Sede Apoſtolica; e quelli, li quali eſtendono queſta licenza à perſone, e caſi non eſpreſſi, ò per altro malamente l' abuſano, ancorche quelli, che ſimil coſe commetteſſero, fuſſero Conſiglieri, Senatori, Preſidenti, Cancellieri, Vicecancellieri, ò di qualunque altro nome.

20. Ancora eſcommunicamo, & anathematizamo tutti quelli, che per ſe, ò per mezzo d' altri, per via diretta, ò indiretta, ſotto qualunque titolo, ò colore preſumeſſero aſſalire, diſtruggere, occupare, detenere in tutto, ò in parte, l' alma Città di Roma, il Regno di Sicilia, l' Iſole di Sardegna, e di Corſica, Terre di quà dal Faro, il Patrimonio di San Pietro in Toſcana, Ducato di Spoleto, il Contado Venayſino, di Sabina, della Marca Anconitana, della Maſſa Trebaria, della Romagna, Campagna, e le Prouincie maritime, e le loro terre, e luoghi, e le terre della commisſione ſpeciale degli Arnulſi, & le noſtre Città di Bologna, Ceſena, Rimini, Benevento, Perugia, Auignone, Città di Caſtello, Todi, Ferrara, Comachio, & altre città, terre, e luoghi, ò ragioni ad eſſa Romana Chieſa ſpettanti, e ſoggette mediatamente, ò imme-

diatamente, & chi presume in esse di fatto la suprema giurisdittione, la quale à Noi, & alla Romana Chiesa compete, usurpare, turbare, ritenere, & in varii modi vessare, e similmente gl' aderenti, fautori, e difensori di quelli, ouero che à quelli in qual si voglia modo presta aiuto, consiglio, ò favore.

21. Volendo, che li presenti nostri processi, e tutte le cose contenute in esse lettere, durino, & habbiano il suo effetto sin tanto, che dà Noi, ò dal Pontefice Romano, che sarà, siano fatti, e publicati altri simili processi.

22. E di più vogliamo, che dalle sudette sentenze nessuno, dà altri, che dal Romano Pontefice, possa essere assoluto, eccetto, che in articolo di morte, nel qual caso nè anco si possa assoluere, se non data cautione di obedire alli comandamenti della Chiesa, e sodisfare, non ammettendo pretesto alcuno di qual si voglia facoltà, & indulti, à ciascune persone ecclesiastiche, e secolari, e regolari, di qual si voglia ordine, ancorche Mendicante, e di militia, & in Episcopale, ò in altra maggior dignità constituite, & alli loro Ordini, Monasterii, Conuenti, Case, Capitoli, Collegii, Confraternità, Congregationi, Hospedali, e luoghi pii; & à i laici, ancorche d' Imperiale, Regale, & altra mondana Eccellenza risplendenti, dà Noi, ò dalla detta Sede Apostolica, ò per decreto di qual si voglia Concilio, in parole, lettere, ò qualunque altra scrittura in genere, & in specie concessi, & innouati, ò concederanno, & innoueranno.

23. E se per auuentura alcuni, contra il tenore delle presenti lettere, à questi tali, illaqueati di scommunica, e di anathema, ò ad alcuno di essi, ardiranno di dare di fatto l' assolutione, li leghiamo di scommunica: l' assolutione della quale riseruiamo à Noi, & a' Romani Pontefici Successori nostri solamente, douendo procedere à più graui pene spirituali, e temporali contro di essi, secondo che giudicaremo espediente.

24. Dichia-

24. *Dichiarando, e protestando, che qualunque assolutione dà farsi, anche solennemente per Noi, non giouerà altrimente agli scommunicati compresi in queste lettere, nè li comprenderà, se essi prima delle cose sopradette non desisteranno, con fermo proposito, di non incorrerui più. E quanto à quelli, che haueranno fatti statuti contro la libertà ecclesiastica, (come si è detto) non saranno compresi, se non riuocheranno publicamente li statuti, ordinationi, costitutioni, prammatiche, e decreti simili, e dagli Archiuii, ò luoghi capitolari, ò dalli libri, oue sono annotati, li faranno leuare, e ne daranno conto à Noi, di esse reuocationi, e cassationi. E di più, che per tal' assolutione, e per ogni altro atto contrario, così tacito, come espresso, anco per patienza, e toleranza nostra, ò de' nostri Successori, quanto si voglia tempo continuata, non si possa, nè si debba, nelle predette cose tutte, e ciascuna, e nelle ragioni della Sede Apostolica, e della Santa Chiesa Romana, in qualsivoglia modo, e per qual si voglia causa acquistate, ò dà acquistarsi, generare alcun pregiuditio,*

25. *Non ostante qualunque privilegio, indulgenza, e lettere Apostoliche generali, ò speciali, concesse alli sopradetti, ouero ad alcuno, ò ad alcuni di esſi, e qualunque altro di qual si voglia ordine, stato, conditione, e dignità, ò preeminenza si siano, ancorche (come si è detto di sopra) risplendano di Pontificale, Imperiale, Regale, ò di qual si voglia altra ecclesiastica, ò mondana dignità, ouero siano concesſi alli loro Regni, Provincie, Città, ò luoghi della predetta Sede per qualsivoglia causa, ancorche per via di contratto, ò di rimuneratione, e sotto qualsivoglia altra forma, e tenore, con qualunq; clausule, ancorche derogatorie alle deroganti, e con espresſione di non potere essere scommunicati, anathematizati, & interdetti per lettere Apostoliche, che non facessero piena, & espressa mentione, e di parola in parola, dell' indulto à lor fatto, e degli ordini, luoghi, nomi proprii, cognomi, e dignità*

loro. E similmente non ostanti consuetudini, etiam immemorabili, e prescrittioni, quantunque lunghissime, e qualunque altre osseruanze, scritte, ò non scritte, per le quali contra questi nostri processi, e sentenze, si protessero aiutare, e difendere, che non fossero inclusi, e compresi in quelli, le quali cose quanto à questo effetto hauendo i tenori di tutte le cose predette per espressi, come se parola per parola, senza alcune omissione, fossero inserti nelle presenti, in tutto annulliamo, e reuochiamo, non ostanti, qual si siano, altri contrarii.

26. E acciocbe questi tali nostri processi vengano più facilmente à publica notitia di tutti, faremo appendere le carte, ò membrane, che contengono li medesimi processi, nelle porte della Chiesa di S. Giouanni in Laterano, e della Basilica del Prencipe degli Apostoli di Roma, acciocbe quelli, alli quali toccano, non possano pretendere alcuna scusa, ò allegare ignoranza, che alle loro orecchie non siano peruenute, ò che non l' habbino sapute, non essendo verisimile, che rimanga incognito quello, che così manifestamente à tutti si publica.

27. In oltre, acciocbe questi processi, e lettere presenti, e tutte, e ciascune cose in esse contenute, tanto più siano note, quanto in più città, e luoghi saranno publicate, commettiamo, per queste nostre scritture, & in virtù di santa obbedienza, strettamente comandiamo à tutti, e ciascuno Patriarchi, Primati, Arciuescoui, Vescoui, Ordinarii de' luoghi, e Prelati, in qualsivoglia luogo siano, che essi, ò vero altri, ò altri in loro nome, poiche haueranno hauute le presenti lettere, ò di esse notitia, almeno una volta l' anno, e, se giudicheranno esser' espediente, più volte nelle lor Chiese, mentre che in esse è maggior moltitudine di popolo radunato alli officii diuini, solennemente le publichino, e riduchino à memoria de' fedeli, annuncino, e dichiarino.

28. *Nel resto, tutti, e ciascuno Patriarchi, Arciuescoui, Vescoui, & altri Ordinarii de' luoghi, e Prelati di Chiese, Rettori, & altri, à chi spetta la cura dell' anime, e Preti secolari, e Regolari di qual si voglia ordine, deputati ad udire le confessioni de' peccati per qualsivoglia autorità, habbino appresso di se un' esemplare di queste nostre lettere, e quelle procurino diligentimente leggere, & intendere.*

29. *Volendo, che alli transunti delle medesime presenti nostre, ancora impressi, e sottoscritti di mano di Notaro publico, e col sigillo di alcun Giudice ordinario della Corte Romana, ò di altra persona in dignità ecclesiastica costituita sigillate, si debba dare in giudicio, e fuori di esso, totalmente quella medesima fede, che ad esse presenti si darebbe, se fossero presentate, e mostrate.*

30. *A nessuno dunque sia lecito rompere questa carta della nostra scommunica, anathematizatione, interdetto, innouatione, innodatione, dichiaratione, protestatione, sublatione, reuocatione, commissione, mandato, e volontà, ouero ad essa con temerario ardire contrauenire. E se alcuno questo ardirà di tentare, sappia di douer incorrere l' ira di Dio, e de' beati Pietro, e Paolo, suoi Apostoli. Dat. in Roma à S. Pietro, l' Anno dell' Incarnatione del Signore mille seicento settanta cinque, gli 11. Aprile, del Nostro Pontificato l' anno quinto.*

G. Card. Prodat.

Vista de Curia S. de' Bilastri
In loco † del piombo.

I. G. Slusio.
I. C. Gul. de Gentili.

Registrata in Secretaria de Brevi.

Ad pag. 596.

(*n*) *Nummo aureo & argenteo*) Ejus figuræ, quam æri incidi curavimus ſub num. VII.

(*o*) *Porta ſancta*) Hujus, apertæ tamen, faciem oſtendit nummus alter, inter figuras locum tenens IIX. ſive ultimum. *Sancta* dicitur a Salvatore noſtro, cui Hieroſolymis ſæpius tranſitum præbuiſſe dicitur. Sunt quidem & alibi portæ ſanctæ, nempe in templo D. Pauli, D. Joannis Lateranenſis, & D. Mariæ majoris, ſed in hoc eſt differentia, quod Paulina a Decano Cardinalium, Lateranenſis & Mariana a templorum iſtorum Archipresbyteris, ſola autem Petrina ſive Vaticana ab ipſo Pontifice aperitur. Vbi hæ obſervantur ceremoniæ. Vigilia nativitatis Domini noſtri, Pontifex, per aliquot conclavia quum pedibus inceſſit, portatur pro more a ſatellitibus ſuis, conſpiciendus in ſella ordinaria. Proceſſio fit cum toto Clero. Principaliores albo amictu incedunt, cereum candidum ardentem portantes, qualem & ipſe Papa gerit, in dextra habens annulum Piſcatoris. Vbi ad portam appropinquat, reſumto prius quietis interſtitio, in genua procumbit, præſente Confeſſionario ſuo, preces aliquas fundens. Tum reſurgit, capitque malleum aureum, & eo portam ter percutit, intra templum diſpoſitis, qui ad portam diruendam atque in terram dejiciendam parata habent inſtrumenta. Ad primum ictum altius Papa ita loquitur: *Aperite mihi portam juſtitiæ.* Reſpondet Capella: *Ingreſſus eam, confitebor Domino.* Ad alterum ſonum: *Introibo domum tuam, Domine,* recinit muſica: *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Peracto tertio & ultimo pulſu, ita finit Papa: *Aperite portas, quoniam nobiscum eſt Deus.* Cum reſponderunt modulantes: *Qui fecit virtutem Iſraël,* ruit porta, minutim confracta. Tum, tradito malleo aureo alicui

alicui e ſuis, Pontifex operto capite templum ingreditur, interque eundum recitat illa verba: *Domine exaudi orationem meam. Hæc eſt dies lætitiæ, quam nobis fecit Dominus. Jubilemus & exultemus in illa.* Quod dum fit, omnes reliquæ templi portæ clauſæ ſunt, populusque catervatim involat in lapides, ut ex his in memoriam anni aliquos tollere, & ſacræ ſequentis ævi recordationi relinquere poſſit. Interim vexilla in apice muri caſtelli S. Angeli volitant, tormentaque exploduntur bellica. Spreng. in Roma Nova *p. 124. 125.*

(*p*) *Eccleſiæ veteris Doctorum*) Quorum quidem ſtatura non eſt ea, quam habuerunt, ſed longe major & coloſſea.

(*q*) *Septem templorum*) Sunt illa S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ majoris, S. Joannis Lateranenſis, S. Crucis in Jeruſalem, S. Laurentii extra urbis mœnia, & S. Sebaſtiani. Pro quo ultimo, quia nimis eſt remotum, nec facile ab omnibus uno die adiri poteſt, a nonnullis, indultu atque privilegio Pontificis, viſitatur eccleſia S. Mariæ populi.

(*r*) *Proceſſiones ſolennes*) Multæ quidem earum fiunt ſingulis annis, plurimæ autem & maxime conſpicuæ anno jubilæo. Nam ipſi non ſolum Prælati & aliæ perſonæ illuſtres, ſed Cardinales etiam, mandato quidem atque autoritate Papæ, peregrinis recipiendis obviam eunt, baculo & habitu peregrinantium ſumto, eosque ſolenniter in urbem, ac porro in aliquod xenodochium comitantur. Iidem cum Principibus viris, vili ſacco amicti, nocturnis hebdomadæ ſanctæ proceſſionibus adſunt, easque a cereorum ardentium copia, & ingente cum aliorum, tum cryſtallinorum candelabrorum machina pompaque ſatis jam illuſtres, redunt illuſtriores.

(*ſ*) *Sca-*

(*s*) *Scalam ſanctam*) Quæ marmorea eſt, & duorum de triginta graduum, ducens in ſacellum D. Laurentii, inter appendices baſilicæ Lateranenſis numerandum, & a ſanctis reliquiis, quas continet, inprimis autem ab effigie, quam a D. Luca delineatam, ab Angelo autem perfectam credunt, *Sancta Sanctorum* appellatum. Scala illa Hieroſolymis ad ædes Pilati fuiſſe, & Chriſtus per eam tractus, eandemque ſanguine e vulneribus rorante imbuiſſe dicitur. Cernere ſane adhuc guttas aliquot licet ſub crate ferrea. Itaque pedibus calcare locum, nefas. Genibus nixi, reptant per gradus, conceſſaſque a Pontificibus indulgentias merent. Pflaum. Mercur. Ital. p. 236.

(*t*) *Ædicula Lauretana*) Aſſervari in ea creditur & monſtratur fere quotidie patina, e qua cibum ſumſerit Maria virgo, & *veſtis*, qua illa uſa fuerit, *panniculus* rubeus, ejusque & materiæ & texturæ, quam Itali *ciambellotto*, Latini *capripilium* aut *telam undulatam* nominant.

Ad pag. 598.

(*u*) *Congregatione*) Depicta illa eſt in grandi tabula, quæ in choro templi cathedralis ſuſpenſa.

(*x*) *Lapis loquitur quadratus*) Exiguus is eſt, ſoleam pedis humani vix ſuperans, operis teſſellati, & varii coloris. Ibi ajunt Alexandrum III. Friderici Imperatoris cervicem pede compreſſiſſe. Quam hiſtoriam, ceu veram, prolixe defendit Wagenſeil. diſput. de Imperatorib. qui poſt Francicos &c. p. 17. At negat Baron. ad A. 1178. Georg Remus in orat. Rupert. in Hiſt. Beſoldi c. 18. p. 663. & Conring. de Fin. Imperii German. l. 1. c. 11. §. 4.

(*y*) *Papa Alexander III.*) Cujus in medio baſilicæ Lateranenſis erectum monumentum, ſequentem præ ſe fert inſcriptionem:

Alexan-

Alexandro III. Pont. max.
Nobili Pandinella gente Senis nato
Qui difficillimis temporibus eximia pietate
Summa prudentia ac doctrina
Ecclesiæ præfuit annis XXII.
Invicta fortitudine atque constantia Apostolicæ
Sedis jura
Auctoritatem dignitatemque restituit & post
immensos labores
Ac solicitudines pace parta
Oecumenicum Lateranense Concilium
celebravit
Sanctissimas de eligendo summo Pontifice
Deque vi & ambitu coercendo leges tulit
Thomam Cantuariensem Antistitem
Bernardum Clarevallis Abbatem
Quos viventes amicissimos habuit
Eduardum Angliæ Caunutum Daniæ Reges
Sanctorum numero adscripsit
Plurimisque aliis maximis rebus gestis vitæ demum &
gloriæ cursum confecit
Anno sal. MCLXXXI. Cal. Sept.
Alexander VII. Pont. Max. nominis &
muneris
In Ecclesia successor
Pontifici tanto civi suo
Pios cineres veneratus posuit.

(z) *Denuo depicta*) A Zuccaro, prout ipsius artificis verba subjecta indicant:

FEDERICVS ZVCCARVS
F. AN. SALV. cIↄ. Iↄ. LXXXII.
PERFECIT AN. cIↄ. Iↄc. III.

Vetus autem inscriptio, quæ simili picturæ addita erat, atque incendium Palatii Ducalis evasit, sic habet:

Anno Dominicæ Incarnationis
MCCXXVIII. Jacobo Theupolo ducante cæptum
fuit historiam
Alexandri terzi hac in nostra aula ære
publico depingi.

Ad pag. 599.

(aa) *Ex inscriptione*) Quæ ita habet:

Anno reparatæ salutis CCCLIX.
Libero Pontif. Max. Constantio Imp.
Cum hæreticorum fraudibus ingemiscens orbis
terrarum
Se Arrianum esse miratus est
Ex quadringentis Episcopis ad Synodum Ariminensem
convocatis
Perpauci Orthodoxi in hunc locum ven-
titantes
Vt seorsim ab Arrianis sacra facerent
Et catholica communione Catholicos im-
pertirent

Occasio-

Occasionem præbuerunt ut vicus ipse Catholica
nuncuparetur
Cujus nominis rationem ac totius rei gestæ
memoriam
Cæsar Cardinalis Baronius Annalibus Ecclesiasticis
inseruit
Bernardinus Cardinalis Spada
Ad peregrinantium pietatem erudiendam
Amoremque suum erga patriam Provinciam
testandum
Hoc posito marmore indicavit.
Anno Domini M DC XXXVII.

Ad pag. 600.

(*bb*) *Humilis originis suæ*) Ita existimat Casalius de Veter. Sac. Christian. Ritib. pag. 321.

Ad pag. 601.

(*cc*) *Legio fulminatrix*) Iconem ejus qui cernere cupit, adeat vel Baronii Annales, vel Casal. de Vrbis ac Rom. olim Imp. Splend. p. 48. Vide etiam Justin. Mart. sub fin. apol. II. Tertull. Apol. c. 5. Euseb. l. 5. H. E. c. 5. & Dion. Cass. in Excerpt. Xiphil.

Ad pag. 602.

(*dd*) *Sanctoq; Hieronymo*) Ita enim ipse scribit Comment. in Ezech. c. 40. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroq; cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraq; parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut pro-*

pemodum illud propheticum (Pſal. LIV.) *compleatur*: Deſcendunt ad infernum viventes, *& raro deſuper lumen admiſſum, horrorem temperet tenebrarum: ut non tam feneſtra, quam foramen dimiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & cœca nocte circumdatis, illud Virgilianum proponitur*: Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

(*ee*) *In & extra urbem*) In urbe ſub baſilica D. Petri, extra urbem, ad S. Agnetis, Priſcillæ, S. Pancratii, & S. Sebaſtiani.

(*ff*) *Ampitheatrum illud celebre*) Notandæ in eo ſunt duæ inſcriptiones a Clemente factæ, quarum una picturæ Martyrum, cum ramis palmarum, inter leones & tigres genibus innixorum, ſubjecta hæc eſt:

Amphitheatrum Flavium
Non tam operis mole & artificio
ac veterum ſpectaculorum
memoria
Quam ſacro innumerabilium Martyrum
Cruore illuſtre
Venerabundus hoſpes ingredere
Et in auguſto magnitudinis Romanæ monumento
Execrata Cæſarum ſævitia
Heroes fortitudinis chriſtianæ ſuſcipe
& exora
Anno Jubilæi MDCLXXV.

Altera diverſo latere poſita, ita habet:

Amphitheatrum hoc vulgo Coloſſæum

Ob Ne-

Ob Neronis colossum illi appositum
Verius ob innumerabilium SS. Martyrum in eo
cruciatorum memoriam
Crucis trophæum
Anno Jubilæi MDCLXXV.

(gg) *Tam candelabri aurei, quam tabularum Mosis*) Candelabrum habet VII. ramos, tres ab unaquaque parte, & scapũ in medio; & rami omnes ornati sunt scyphis, globulis, & flosculis. Singuli rami habent tres scyphos, præter illum, qui est in media parte scapi, qui conjunctim efficiunt XXII. singuli suum globulum, præter illum, qui est in media scapi parte, & tres alios, ubi rami protenduntur, conjunctim XI. & singuli suum flosculum, qui una cum flore, qui in medio scapo, & altero, qui infra ad pedem candelabri est, IX. sunt. Cæterum in floribus ipsis lucernæ ardebant. Plane ut figuram ejus repræsentat Rob. Stephanus in Bibliis Latinis ad Exodi caput XXV. p. 75. R. Jehuda Leo in Templo Hierosolymit. p. 168. & R. Moses, filius R. Gersom Chapetz, in libro Initiationis Templi, tab. VII. fig. 3. Tabulæ autem Legis, quadratæ sunt longitudinis.

(hh) *Apostolorum carcer*) Cujus portæ superinscriptum:

Nell' Anno del Signore LXIX. del Pontificato di Pietro XXV. e dell' Imperio di Nerone XIII. Questa è la prigione tanto celebre dove i SS. Apostoli Pietro e Paolo furono tenuti IX. mesi fino al giorno del loro martirio.

Hoc est:

Anno Domini LXIX. Pontificatus Perti XXV. & *Nero-*

Imperii Neronis XIII. Hic est carcer ille adeo celebris, ubi SS. Apostoli Petrus & Paulus custoditi fuerunt IX. menses usque in diem ipsorum martyrii.

Et paullo superius literis majusculis hæc leguntur verba:

C. Vibius C. F. Rufinus M. Coccejus
M. F. Nerva Cos. ex S. C.

Juvat huc etiam referre inscriptionem, quæ legitur in porticu templi S. Mariæ in via lata:

Alexandro VII. Pont. Max.
Locus antiqua veneratione sacer &
nobilis
In quo S. Apostolum Paulum di moratum non semel
una cum ipso Ecclesiæ capite
S. Petro
De rebus christianæ fidei deliberasse ubi S. Lucam Evangelistam & scripisse & Deiparæ virginis imagines depinxisse jam inde a primis temporibus traditum
congestu terræ olim depressus atque
inaccessus
Facili scalarum descensu
Immissoque fenestris lumine
Pervius factus
Purgatus exornatusque
Pio fidelium cultui restitutus est
Anno Sal. MDCLXII.

(ii) *In Janiculo, aut in eo Vaticani loco*) Consule de hoc *Paulum Aringum* in Roma Subterran.

(kk) *Ad aquas Salvias*) Ai *Trè fonti*, ut hodie loquuntur, id est, Ad tres fontes: qui quidem, ut vulgo credunt, quum abscissum a cervice caput S. Apostoli ter humum pulsasset, simul erupére. Idque etiam titulus, frontispicio templi ibi conditi impositus, indicat: *S. Pauli Apostoli martyrii locus ubi tres fontes mirabiliter eruperunt. Petrus Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius A. D. MDIC.* Baronius in Annal. Eccl. ad A. C. 69. n.13. hæc annotat: *Primus eorum dulcior, lactis saporem aliqua ex parte reddit; cæteri quamvis haut longe a primo distent, paullo diversum gustui saporem afferunt. Cujus rei ea ratio solet afferri, quod ipso primo fluxu lac venæ dederunt, ac deinde sanguinem.* Judicium autem hujus rei esto penes gustantem. In eod. fano extat etiam columna marmorea, cui feriendum caput D. Apostolus imposuisse narratur. Et hæc in ea legitur epigraphe:

Columna
Supra quam decapitatus
S. Paulus Apostolus.

(ll) *Petræ Cajetanæ*) Ex urbe Cajeta in arcem ascendentibus, & inde ulterius progressis, occurrit primo templum S. Trinitatis, mox capella aliqua, cujus paries spectatoribus, antequam ad petram admittat, hanc dat paræness in:

Rumpe cor, o mortalis homo, velut ardua rupes:
In ara crucis compatiare Deo.
O hominum durum genus! ardua saxa dehiscunt:
Saxea corda hominum stant, moriente Deo.

Vna

Vna fuit quondam hæc rupes, nunc diffida; montes
Exitium Domini cum gemuére sui.
Durior es saxis, ferior feritate ferarum,
Sin lacrymis cernas hoc pietatis opus.

Ex capella ista egressos excipit maximæ altitudinis, sed disrupta, atque adeo horrida & formidabilis aspectu petra, perque fauces ejus in scala lapidea nigra descenditur in alteram capellam, immani saxo illi impositam, quod revulsum a summo fastigio quum rueret præceps, impactum hiantibus rupibus, ac retentum inter inæquabiliter eminentes scopulos fuit; ubi etiam hodie suspensum hæret, minaturque identidem ruinam, nec ruit. Atque ut loco major religio concilietur, vestigium manus in petra illa monstratur, incredulitatis signum: Ajunt enim, non fuisse neminem, qui adduci non potuerit, ut crederet, petram Christo patiente dissiluisse, quin manu admota atque infixa dixisse: *Tam hoc verum est, quam, figuram manus meæ in caute remansuram.* At dictum, factum: nam lapidem durissimum, instar ceræ colliquescentem, vestigium manus impressæ ita, ut hodie conspicitur, retinuisse. Quare & distichon hoc ei adscribere haut sunt veriti:

Improba mens verum renuit, quod fama fatetur,
Credere: at hoc digitis saxa liquata probant.

Ad pag. 603.

(*mm*) *Baccho*) Hodie templum hoc S. Constantiæ, quæ sub altari majore sepulta, consecratum est. Habet formam rotundam, æque ut Pantheon, 24. columnas, quæ horas diei, 12. fornices, qui menses, & 4. portas, quæ anni partes denotabant. Lacunar musivo opere vindemiam veterum, quasi in tabula, exhibet. Extant ibi etiam duo candelabra marmorea levis sculpturæ, & virum altitudine

dine æquantia, idololatriæ paganæ haud contemnenda monumenta. Et extra templum rudera Theatri Bacchi, in quo Bacchanalia celebrata.

(*nn*) *Pantheon*) Quid de eo notandum ſit, duæ illæ inſcriptiones docent, quæ in veſtibulo templi hodie leguntur:

Vrbanus VIII. Pont. Max.
Vetuſtas ahenei lacunaris
Reliquias
In Vaticanas columnas &
Bellica tormenta conflavit
Vt decora inutilia
Et ipſi prope famæ ignota
Fierent
In Vaticano templo
Apoſtolici ſepulchri ornamenta
In Hadriana arce
Inſtrumenta publicæ ſecuritatis.
Anno Domini MDCXXXII.

At vero tantum abfuit, ut hoc factum omnes approbârint, ut potius Pasquinus Vrbanum, neſcio an ſatis urbane, correxerit, & ſale iſto, jam omnibus notisſimo, perfricuerit:

Quod Barbari non fecerunt,
Fecerunt Barberini.

Altera inſcriptio ita habet:

Pantheon

Ædificium toto terrarum orbe
Celeberrimum
Ab Agrippa Augusti genero
Impie Jovi ceterisque mendacibus Diis
A Bonifacio III. Pontifice
Deiparæ & SS. Christi Martyribus pie
dicatum.
Vrbanus VIII. Pont. Max.
Binis ad campani æris usum
Turribus exornavit
Et nova contignatione munivit.
Anno Domini MDCXXXII. Pontif. IX.

(oo) *Rubiconem*) Duplex ibi inscriptio, vetus & nova. Vetus his concepta est verbis:

Jussu mandatuve P.R. Cos. Imp. Trib. Mil. Tiron. Commiliton.
Armatæ quisquis es manipulariæve Centurio Turmeve
Legionariæ hic sistito vexillum sinito arma deponito
Nec citra hunc amnem Rubiconem signa ductum
Exercitum commeatumve traducito. Si quis ergo hujusce
Jussionis adversus præcepta ierit feceritve adjudicatus
Esto hostis P. R. ac si contra patriam arma tulerit
Penatesque e sacris penetralibus asportaverit. S. P. Q. R.
Sanctio plebisciti S. Ve C. Vltra hos fines arma ac
Signa proferre liceat nemini.

Nova hæc est:

Rubiconem ponti subjectum transis Viator
Romano interdicto Cæsaris ausu

Et ada-

Et adagio Jactæ alcæ *celebratum*
Flumini huic ſtabilem imponere trajectum
Ethnica diu vetuit pavida ſuperſtitio
Catholica nunc ſuaſit ſecura Religio
Innocent. X. Summo Pont.
Card. Donghio Legato
Anno MDCLIV.

(*pp*) *Lapis*) In cujus antica parte ſcriptum exſtat:

Cæſar
Dict.
Rubicone
Superato
Civili bello
Commilit.
Suos hic
In foro Ar.
Adlocut.

In poſtica:

Suggeſtum
Hunc
Vetuſtate
Collapſum
Coſſ. Ariminenſ.
Novemb.
Et Decemb.
cIↄ Iↄ IV.
Reſtit.

(*qq*) *Subſcriptus titulus*) Italicis quidem verbis:

Questo è il Talento, che Cesare Imperadore diede à Pisa, col quale si misuraua lo censo, cho à lui era dato. Quæ Latine versa ita sonant: Hoc est Talentum, quod Cæsar Imperator dedit Pisis, quo mensurabatur census, qui ei erat datus.

(*rr*) *Patavinum prætorium*) Quo nullum in orbe dicitur esse pulchrius, plumbo tectum, nullis columnis tignisve suffultum, latum pedes LXXXVI. longum CCLVI.

(*ss*) *Cineres Livii*) Loculus parieti, qui occidentem spectat, inclusus, marmorea Historici imagine, & his verbis conspicuus est:

Ve
T. Livius
Liviæ T. F.
Quarta El
Halys
Concordialis
Patavi
Sibi & suis
Omnibus.

Sed hanc inscriptionem non concernere celebrem illum inter Latinos historicum, ostendit Sertor. Vrsatus in Marmor. erudit. p. 142. Conf. Acta Erudit. A. 1684. p. 574. Qua de re etiam aliquando ad me scripsit eruditissimus Magliabechius.

(*tt*) *Lapidem cessionis bonorum*) Habet ille formam incudis, & hanc pariter inscriptionem:

Lapis vituperii & ceß. bonorum.

(*uu*) *Rostro*) Ne meo judicio id unicum, quod hodie repe-

repeniatur, dixisse videar, haud gravabor epigraphen hic apponere, qua id decoratur:

Vetustioris hoc ævi Romani rostrum
in expurgando portu Anno 1597.
Erutum
Vnicum huc usque visum
Eximiæ in re nautica gloriæ
Dicavere Concives.

Ad pag. 604.

(*xx*) *Vulgo ajunt*) Hanc famam secutus etiam P. Bembus, Cardinalis, & Patricius Venetus, Musarumque ocellus, l. VII. Histor. Ven. p. 155. edit. Paris. quæ prodiit Anno 1551. sic scribit: *Etiam Norimbergenses, ampla & florens atque inprimis libera suique juris in Germania civitas, missis ad urbem Legatis, exemplum Venetarum legum à Patribus petierunt: velleq; sese eis uti legibus ostenderunt. Quod quidem illis Senatus frequens concessit.* Et in eundem lapidem, quamvis errorem de universarum petitione legum evitaret, impegit Scipio Gentilis, in laudatione funebri Hier. Paumgartneri p. 13. *Quid Senatus Norimbergensis? Eadem mente ipse quoque per Legatos publice missos, Legum descriptionem, ante complures annos, a magno illo & sapientissimo Senatu Veneto petivit, atque in suam Remp. recepit, tametsi non omnes Leges, ut infinite P. Bembus scribit, non sine laudibus hujus civitatis, sed eas fere, quæ ad tutelas pertinent, ut ego accepi, descripserunt, iisque semper deinceps usi fuerunt, Tutelari etiam electo constitutoque Collegio.* Epistolam, qua petiit Senatus Noribergensis a Veneto Leges tutelares, concepit doctissimus Wilib. Pirckheimerus A. 1506. mense Majo, ejusdemque anni mense Novembri pro iisdem impetratis, itidem per literas, gratiæ fuerunt actæ.

At unde hoc, quod interim vulgo perhibetur, Conradum Imhofium leges petendi causa missum fuisse? Non aliunde, ut videtur, quam quod is illo tempore princeps & caput esset Magistratus Tutelaris. Responsum vero Serenissimi Venetorum Ducis, cujus αὐτόγραφον, una cum ipsis Legibus tutelaribus, uno volumine compactum, Noribergæ in exedra tutelari asservatur, primus in publicum produxit eruditorum Patriciorum Noribergensium decus eximium, Hieron. Guil. Ebnerus ab Eschenbach, in Thesib. Miscellan. sub Wagenseilio ventilatis A. 1694. unde id mutuo sumimus: *Leonardus Lauredanus DEI gratia Dux Venetiarum & cæt^a. Magnificis & Spectabilibus viris, Magistratui Senatuique Civitatis Norimbergensis, Amicis carissimis, salutem & synceræ dilectionis affectum. Superioribus diebus accepimus litteras vestras, quibus pro jure veteris amicitiæ nostræ requiritis habere Leges Statutaque nostra in causis tam Pupillorum, quam Tutorum, ut Civibus ac subditis vestris consulatis. Fuimus equidem omni tempore studiosi M.^tiis vestris gratificari, & bujusmet animi ac dispositionis sumus in præsentia. Sed in bac petitione vestra eo promptiores, quo eam de statu nostro opinionem in Vobis esse conspicimus, ut & de Nobis sentiatis bonorifice, & in administratione Reipublicæ vestræ, Legibus & Ordinibus nostris conformari cupiatis. Itaque libentissime M.^tiis vestris morem gerere volentes, jussimus Decreta nostra super ejusmodi materia, in unum redigi, quo fieri potuit compendiosius & lucidius. Itaque mittimus M.^tiis vestris, quæ animum non minus nostrum, quam munus metiantur. Verum boc Vobis dixerimus, non posse regulis generalibus cuncta complecti. Sunt enim plures casus, quam Leges, estq; justior Judex, quam justa Lex. Necesse igitur est, ut juxta novorum Casuum indies emergentium qualitates, malitiis bominum occurratur, & novis remediis prospiciatur pauperum ac pupillorum indemnitati;*

quod facile nimirum est factu, si, in contentis Legibus, imprimis præ oculis habuerimus Optimum Deum nostrum, & illius infallibilis omnium Judicis timorem & justitiam omnibus affectibus nostris præposuerimus. Quod autem reliquum est, si quid a Nobis fieri potest M.tiis vestris aut Concivibus commodum aut gratum, non patiemur in aliquo officium nostrum desiderari. Datæ in Nostro Ducali Palatio die VIII. Novembris, Indictione decima, Anno millesimo quingentesimo sexto.

Caspar à Vidua
Secretarius.

(yy) *Qui de publicis Venetorum picturis*) Est is *Marcus Boschinus*, qui libro suo hunc fecit titulum: *Le Ricche Minere della Pittura Veneziana.* Agens ille *nel Sestier di S. Marco*, id est, in regione S. Marci, de picturis Palatii Ducalis, & pag. quidem IX. de picturis aulæ quatuor portarum, sic scribit: *Continuamo à godere delle pitture di questa maestosa sala, e passiamo le finestre, che guardano sopra il cortile, che troueremo il Serenissimo nel Collegio, che dà l' audienza ad alcuni Ambasciatori dello Stato: & è rappresentato dà Carletto Calliari, figlio del gran Paolo Veronese.* i. e. *Fruamur ulterius picturis regiæ hujus aulæ, & transeamus fenestras, quæ prospiciunt in atrium, ibi reperiemus Serenissimum* (Ducem) *in Collegio, audientiam facientem nonnullis Legatis Status: idque pictum est à Carletto Calliari, filio magni illius Pauli Veronensis.*

Ad pag. 605.

(zz) *Nisi ipse autores*) Qui sunt *Zeillerus* in Itinerario, *Pflaumern* in Mercurio Italico, & inprimis *Ferr. Lofredus* in libello Italico Neapoli excuso, cui titulus: *Le Antichità di Pozzuolo e luoghi convicini.* Subjunctus autem

tem ille est *Sebastiani Bartoli* tractatui itidem Italico, qui agit de Thermis Puteolanis, atque hunc habet titulum: *Breve Ragguaglio de' Bagni di Pozzuolo dispersi.*

Ad pag. 607.

(1) *Lapis fugere nos jubet*) Hanc enim præ se fert inscriptionem:

Posteri posteri
Vestra res agitur
Dies facem præfert diei nudius perendino
Advortite
Vicies ab statu solis nî fabulatur historia
arsit Vesævus
Immani semper clade hæsitantium
Ne posthac incertos occupet moneo
Vterum gerit mons hic
Bitumine alumine ferro sulphure auro argento
Nitro aquarum fontibus gravem
Serius ocyus ignescet pelagoque influente pariet
Sed ante parturit
Concutitur concutitque solum
Fumigat coruscat flammigerat
Quatit aerem
Horrendum immugit boat tonat arcet finibus accolas
Emicat dum licet
Jam jam enititur erumpit mixtum igne lacum evomit
Præcipiti ruit ille lapsu seramque fugam prævertit
Si corripit actum est periisti.
Anno Sal. 1631. 16. *Cal. Jan.*

Philippo

Philippo IV. Rege
Emanuele Fonſeca & Zunica Comite Montis Regii
Prorege
Repetita ſuperiorum temporum calamitate ſubſidiisque calamitatis
Humanius quo munificentius
Formidatus ſervavit, ſpretus oppresſit incautos & avidos
Quibus Lar & ſupellex vita potior
Tum tu ſi ſapis audi clamantem lapidem
Sperne Larem ſperne ſarcinulas mora nulla fuge
Antonio Suares Meſſ. Marchione Vicepræfecto viarum.

(2) *Thermæ Bajenſes*) Eas a barbaris vaſtatas reſtituit (ut refert Ferr. Loffredus, auctor delle Antichità di Pozzuolo p. 37. & 38.) Henricus VI. Imperator Roman. & Rex Neapolitanus, circa annum Chriſti 1194. &, ne unquam memoria earum deleretur, autor fuit celebri tum Poëtæ Siculo, *Alcadino*, ut cujusque nomen, & etymologiam atque efficaciam ſive virtutem verſu complecteretur. Quod ille etiam laudabiliter præſtitit; ſicut libellus ipſius teſtatur, cujus initium hoc eſt:

Inter opes operum, DEUS eſt laudandus in illis,
In quibus humanæ deficit artis opus.
Res ſatis eſt dictu mirabilis, horrida viſu:
A Phlegetonteo provenit amne ſalus.
Nam quæ defunctos aqua fervens urit in imis,
Hæc eadem nobis miſſa miniſtrat opem.
Cætera cum fictis curentur regna ſyrupis,
Balnea, quæ curent, Terra Laboris habet.

Vos igitur, quibus est nullius gutta metalli,
Quærite, quæ gratis auxilientur, aquæ.
Quarum virtutes, & nomina, maxime Cæsar,
Præsens pro mira laude libellus habet.

Notandum vero, quod Jul. Cæs. Capacius versuum horum & reliquorum, quibus Thermarum Bajensium virtus celebratur, non Alcadinum, sed scriptorem Ebolitanum, viventem tempore Frideric. Imp. (primine, an secundi, non liquet) auctorem esse profiteatur p. 327. della Vera Antichità di Pozzuolo, i. e. de Vera Antiquit. Puteolorum. Cæterum de Balneis Puteolanis legi meretur Joh. Franciscus Lombardus p. 790. Italiæ Illustratæ.

Ad pag. 608.

(3) *Inscriptiones*) Forte illæ non aliæ fuerunt, quam versus sive Alcadini, sive Poëtæ Ebolitani; nullum enim est dubium, Bajanas thermas initio non tam fuisse destinatas bono publico, quam delicias præbuisse Principibus, Nobilibusque Romanis. Nec ullum proferri potest documentum a temporibus monarchiæ Romanæ usque ad Henricum VI. thermas illas inscriptionibus fuisse ornatas. Certe invidia Medicos Salernitanos non prius occupaverit, quam Poëta ipsarum virtutes decantâsset & propalâsset.

(4) *Tres*) Nomina eorum sunt hæc: *Antonius Sulimela, Philippus Capograssus, & Hector de Procbyta.*

(5) *Eosq; vivos absorpsit*) Inter insulam Capreas & Promontorium Minervæ. Loffr. Antich. di Pozz. p. 39.

Ad pag. 610.

(6) *Adeo perfectis Oratoribus*) Nemo existimet, me in laudando modum excessisse: immo vero ingenue fateor, audîsse me aliquot, quorum excellentiam admirari quidem possum, condigno autem encomio celebrare non possum.

possum. Neque ægre ferent, credo, concionatores illi inter Christianos eximii, si ipsis annumeremus aliquot etiam Judæos. Nam anno 1677. quum festum esset Tabernaculorum, Venetiis duo erant, qui magna cum admiratione auditorum, etiam Christum sequentium, nec ineloquentium, in Synagogis dixerunt, eoque majorem laudem sunt promeriti, quod non literis, sed mercaturæ operam dedissent. Ita ut nihil aliud desiderari possit in his eorumque similibus, quam ut dicendi præstantiam, qua pollent, ad meliorem conferrent atque adhiberent religionem.

(7) *Qui in concionibus suis a fabulis abstinent*) Inter hos laudandi merito sunt *Arrogonius* Venetus, Sodalitii, nî fallor, Somascorum: *Pallavicinus*, Neapolitanus, Societatis Jesu; & *Fr. Angelus Vincentius Guinigi*, Lucensis, S. Dominici ordini adscriptus.

Ad pag. *612*.

(*8*) *Bibliothecæ publicæ*) *Bibliotheca D. Marci* continet libros Petrarchæ & Bessarionis, magni merito æstimatos. *Ambrosiana* cœpta a S. Carolo Borromæo, & continuata ab ipsius consanguineo, Cardinali Friderico, multa præclara cimelia custodit. *Laurentiana* initium suum habuit a Laurentio de Medicis, incrementum a Clemente VII. & perfectionem a Cosmo, Magno Hetruriæ Duce, ejusque serenissimis Successoribus. Abundat libris Græcis, Latinis, Hebraicis, Chaldaicis & Arabicis MSS.tis; nec ipsa minus, quam *Medicea* (per quam illam intelligo, quæ est in Palatio Ser.mi MAGNI DUCIS) Bibliothecario gaudet Antonio Magliabechio, ipso ἐμψύχῳ καὶ περιπατούσῃ βιβλιοθήκῃ. *Vaticana* & proprio thesauro dives, & spoliis Palatinæ sive Heidelbergensis onusta est. Vide Crenii Animadvers. philol. Part. I. p. 110. qui & de anni jubilæi Conditoribus,

quorum p. 619. facta a nobis est mentio, elegantem p. 125. habet observationem. Ad spolia illa pertinet codex MS. hoc titulo: *Biblia Sacra Historica.* Cujus calci adjecti Germanica lingua rhythmi sequentes:

O GOTT durch deine Güte
Beschehr uns Kugl und Hüte
Mantel und Röeck
Geiß und Böeck/
Schaaf und Rinder/
Viel Frauen und wenig Kinder.
Explice durch den Banck/
Schmale Dienst machen einem das Jahr lang.

Qui quidem communiter Luthero tribuuntur; sed quo jure, quave injuria, non adeo difficile est judicatu: nam nec manus Lutheri est, nec ille unquam adeo peccavit contra leges Grammaticæ & orthographiæ, ut indoctus iste, quisquis fuerit, scriptor. Adde, quod ipse Subbibliothecarius mihi fassus sit, de MSS. Lutheri non nisi unicum in tota Vaticana extare, idque exiguum, in forma quarta. Illud autem, in quo rhythmi prædicti leguntur, integri folii habet altitudinem. Sacra arcana illarum bibliothecarum, Ambrosiana excepta, retexit Spizelius libro singulari.

Ad pag. 616.

(9) *Pater meus hoc in loco Collegas*) Qui sunt *Mauritius Hoffmannus*, Medicinæ, *Johan. Paulus Felwinger*, Logic. & Politices, & *Georg. Matthias König*, Græcæ Linguæ, & Poëseos Professor.

(10) *Vnum*

(10) *Unum ex illis tribus*) *Felwingerum*, Academiæ, quum hæc ſcriberentur, Seniorem. Antequam vero manum de tabula tollamus, obſervare lubet, P. Bertium in orat. de Vita & obitu Jac. Arminii, Italicum iter diſſuadere ſtudioſæ juventuti, ſed ficulneo argumento. Caute tamen Italiam peragrandam eſſe, Melch. Adamus monet in Vitis Philoſoph. p. 218. Sic autem judicat judicioſiſſimus Melanchthon T. 5. Epiſt. p. 37. *Ut Pericles apud Thucydidem Athenas nominat* τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν Græciæ inſtitutionem; *ita multo verius Italia ſola multis ſeculis unicum domicilium eſt omnium doctrinarum, & omnium gentium in universa Europa magiſtra. Quare maxime probo honeſtiſſimam cupiditatem adoleſcentum noſtrorum, qui doctiſſimos homines apud vos audire, & in patriam ex veſtris fontibus, quaſi rivulos aliquos eruditionis, deducere cupiunt.* Quibus verbis hanc de Itineris Italiæ utilitate commentatiunculam obſigno.



ORATIO II.
QVVM TERTIVM MAGISTRATVM ACADEMICVM
deponeret,
&
Vniversitati valediceret Altorfinæ.
A. 1697. prid. Kal. Julii.

IN sanctum templi hujus theatrum produco, vobisque, generosi nobilissimique Cives studiosi, sisto novum, communibusque Patrum conscriptorum suffragiis electum Academiæ Rectorem, virum nobilissimum & excellentissimum, D. *Felicem Spizium*, Antecessorem primarium, atque illustris Magistratus Norimbergensis Consiliarium, deque studio Juris, & re literaria meritissimum.

Vestrum itaque jam erit, o optimi, tam insignis viri regimini lubentes vos submittere, nec pia tantum, pro feli-
citate

citate ejus, vota concipere, ſed & debitam reverentiam, honorem, cultum & obedientiam ei præſtare, atque adeo diligenter facere, quod DEVS O. M. quod ſana ratio, quod conſcientia veſtra, quodque leges a vobis requirunt & poſtulant. Ita viciſſim experiemini ejusdem amorem, benevolentiam, humanitatem, protectionem, & quicquid gratorum, vobisq; utilium officiorum ab ipſo proficiſci poteſt: natura enim, ut nôſtis, & aſſuefactione humanus eſt, mitis, placidus, affabilis, manſuetus, & benignus, nec alius & diverſus eſſe poteſt ab eo, qui fuit hactenus. Patere autem, magnifice Rector, ut me porro expediam, & ſicut, quæ penes me ſunt, bona tibi traditurus ſum fide, ita jam, pro more in literaria Rep. laudabiliter obſervato, magiſtratus tui inſignia & ornamenta in publico hoc loco promam offeramque, & iis, ut cum Scriptura ſacra loquar, manus tuas impleam.

Accipe ergo bina hæc *ſceptra*, ceu faſces imperii tui academici, ut eorum altero terrorem improbis incutias, altero probis & afflictis ſolatium præbeas atque perfugium. Accipe *legum codicem*, ad quarum cuſtodiam ſolenni ſacramento, antequam ſacrario exiremus, temet obſtrinxiſti. Accipe *ſigilla*, quorum altero edicta, diplomata, & teſtimonia, altero autem alia ſcripta, publico Academiæ nomine obſignabis & confirmabis. Accipe ciſtulæ noſtræ carcerumque *claves*, & utere illis ad claudendum & recludendum, quando & ubi prudentiæ atque integritati tuæ opus eſſe videbitur. Accipe etiam, quæ calidiſſimo ex pectore promanat, &, ſi humanis conſpici poſſet oculis, ingens omnino & ingenua appareret, benedictionem meam. Felicitet te DOMINVS ac DEVS noſter; felicitet conſilia, propoſita, ſtudia & actiones tuas; felicitet navem, quam regis, academicam, atque inhibeat fluctus, ne prævaleant contra eam, & detrimentum aliquod afferre queant;

queant; felicitet domum & charitates tuas, faxitque, ut ſemper & ubique ſis tui vir nominis, h.e. felix maritus, felix pater, felix ſocer, felix Anteceſſor, felix Conſiliarius, & nunc etiam Athenæi hujus felix Rector.

Ita jam rite ſolenniterque abdicato magiſtratu, lubens lætusque hinc abeo, & patrium relinquo ſolum, poſtquam divinæ providentiæ, & juxta hanc Seren.^{mis} potentiſſimisque Brunſvicenſium ac Lunæburgenſium DVCIBVS, Dominis meis clementiſſimis, placuit, tenuitatem meam, in locum *Pauli Heigelii*, S. Theol. D. ejusque in Academia Julia, quæ Helmeſtadii eſt, Profeſſoris ordinarii, τοῦ μακαρίτου, conſentientibus votis eligere, electumq; per ſolennes literas benignisſime vocare. Ad hanc igitur novam ſpartam, impetrata ab incluto MAGISTRATV Norimbergenſi honeſta dimiſſione, ſuſcipiendam & gerendam, abitum me parare oportet, valeque dicere fautoribus & amicis. Quorum hoc quidem non prolixis, at ex intimo tamen cordis receſſu depromtis verbis & ingenue faciam, dummodo prius debitæ erga DEVM, ejusque in his terris Vicarios, pietatis officio defunctus fuero. Agnoſco humillime, o ſumme DEVS, ac totius univerſi Creator & Moderator optime, infinitis me a te beneficiis, inde ab infantia, immo a formatione mea in hunc usque diem, mactatum eſſe: Nam quod in Eccleſia, ubi pura ſonat verbi prædicatio, & ſacramenta ſecundum CHRISTI, Domini noſtri, inſtitutionem diſpenſantur, e piis honeſtisq; Parentibus, atque in ea familia, quæ Norimbergenſi Eccleſiæ, jam ultra ſesquiſeculum, continua ſerie Theologos dedit honoratioribus præfectos officiis, natus, atque in diſciplina & admonitione Domini ab illis educatus ſum; quod in ſcholis, dehinc autem in illuſtri Julia, & poſtea in hac alma Academia, præceptores nactus ſum bonos & fideles, hoc eſt, magnum theſaurum; quod varia itinera

felici

felici ſidere auſpicari & conficere licuit, iisque finitis uni & item alteri honorifico muneri admotus ſum; quod ex me non plane nullum in auditores & diſcipulos emolumentum derivatum; quod profeſſionis ſpartam, quam nunc depono, integros XX. annos, decanatum ſepties, & regimen academicum ter gerere, publicæque functioni quatuor & ſexaginta ſcholas privatas adjungere potui, ſatis bona in infirmo corpore fruens valetudine; quod Collegæ mei favore & benevolentia ſua me non indignum judicârunt, nec Studioſi, qui nominis hujus menſuram implent, male mihi voluerunt; quod ſub ultimo decanatu & regimine meo tam propitia nobis fuit fortuna, ut Academia hæc variis modis diteſceret atque ornaretur, dum duo exteri cum præſente aliquo, M. florenos ad pias cauſas deſtinârunt, Joh. Leonh. *Stöberlinus*, beatæ memoriæ, libros ſuos medicos & philoſophicos legavit, & illuſtris SENATVS Norimbergenſis privilegium creandi Doctores Ordini theologico procuravit; quodque aureæ & tam diu deſideratæ pacis negotium ſuſceptum, & Athenæum hoc in flore conſervatum ſuo, id omne, & millena alia dona, tuæ tribuenda ſunt gratiæ, tuæ bonitati, tuæ miſericordiæ. Pro his igitur omnibus ac ſingulis maximas & immortales habeo, (ad agendum enim unde verba ſuppetant?) ac habiturus per omnem vitam ſum gratias. Benedictus ſit DOMINVS, qui tanta nobis præſtitit, & benedictum ſit nomen ejus! Atque hujusdem ineffabili benignitati quam devotiſſime commendo ſplendidiſſimum SENATVM celebratiſſimæ Reip. Norimbergenſis, & in ſpecie maxime generoſos Vniverſitatis hujus CVRATORES, in tantum a literatis laudandos, ac æſtimandos, in quantum ſummi & illuſtres Viri iis favent; favent autem impenſiſſime: nec non *Patres Academicos*, viros in omni ſcientiarum genere excellentes, & *Juvenes* virtutis

ac doctrinæ *ſtudioſos*, illis pro conſtanti favore ac patrocinio, variisque beneficiis, iſtis pro collegiali affectu & fide, hisce pro multis haut infucati amoris documentis gratias agens debitas, & ad quævis officia, quæ a fideli cive & ſincero amico proficiſci poſſunt, me offerens atque exponens: præſens enim abſensque idem ero, nec animo, ſed corpore duntaxat hinc divellor. Valeat igitur & floreat *Vrbs Norimbergenſis*, quæ ad ampliſſimum faſtigium aſcendit, quamque ideo (1) Laonicus Chalcocondylas πόλιν εὐδαίμονα, *civitatem beatam*, (2) Metrophanes Critopulus λαμπρὰν καὶ περίφημον, *ſplendidam ac celebrem*, (3) Petrus Bembus, illuſtriſſimus Cardinalis, *amplam & florentem*, (4) Helius Eobanus, Heſſus,

Vrbem, Teutonici qua non eſt altera regni
Nobilis aut opulenta magis, vel fortior armis,
Legibus aut ſanctis inſtructior, inclita cujus
Res ita civili floreſcit publica cultu,
Vt non ulla magis concordia debeat ulli
Nixa bonis populo radicibus. Illa bonorum
Aucta Magiſtratûm meritis, virtute, fideq;,
Tantum alias inter clarum caput extulit urbes,
Quantum ſidereos vaga Cynthia deprimit ignes,
Quantum alias inter volucres Jovis eminet ales,

(5) Hugo Favolius *felicem ante alias urbes*, & (6) Phil. Cluverius *magnificam, ſplendidam, potentem, ac totius Germaniæ ſuperbiſſimam*, non adulatorie, ſed ex vero nuncupavit. Valeat & floreat illuſtris & ex optimatibus lectus SENATVS, qui ampliſſimas pietatis, juſtitiæ, integritatis, continentiæ, magnanimitatis, conſtantiæ, magnificentiæ & aliarum magnarum virtutum laudes, quas Majores ex merito conſecuti ſunt, non modo tuetur egregie, ſed etiam ſuperat. Itaque hæc omnia perpendens, non poſſum non (7) cum Heſſo, digno Apollinea lauru Poëta, exclamare:

Veſter

Vester honos, o Noricidæ delecte SENATVS
Vrbis, & inclita fama, & gloria vera manebit,
Dum trahet instabiles vester Pegnesus arenas.

Valeat & floreat (8) *Oppidum Altorfinum*, quod a S. Imperii Prætoribus Noribergensibus ad Comites Nassovicos, inde ad Burggrafios Noribergenses, ab his ad Duces Pomeraniæ, porro ad Duces Bavariæ, & tandem ad Remp. Noribergensem pervenit, sub eaque nobilitatum Gymnasio primum, deinde Academia, cum utroque ut magis magisque inclaruit, ita &, post duriora superiorum temporum fata, diuturna hactenus quiete ac felicitate, per DEI gratiam, læte fruitur. Valeat & floreat alma, quæ in eo domicilium habet, *Academia*, & porro etiam (ut verbis utar elegantissimi Octavii Ferrarii) sit *instructissimum armamentarium, ex quo omne telorum genus debellandis ignorantiæ monstris, ac producendo bonarum artium pomœrio depromatur; religiosissimum delubrum, ad quod Doctores æternitatis monumenta appendant; scientiarum emporium, in quo ultro citroque commeantes cives & advenæ, studiis ac laboribus immortalitatem negotientur; nobilis palæstra, ex cujus umbratili exercitatione in cœlum ac solem quotidie clarissima ingenia producantur; ærarium Musarum, unde immensas ingenii opes, qui illud intrant, feliciter reportent; fatalis equus, fortibus viris semper fœtus, non excidio Trojæ, sed mortalium saluti, divina Palladis arte ædificatus; famæ theatrum, in quo spectator orbis universus, vario dramate, omnibus scientiarum actoribus multiplici scena applaudat; sapientiæ museum, quo bonæ literæ convolare pergant; Apollinis oraculum, unde responsa ac sortes Senatus populusque literatorum petat; Minervæ sacrarium, in quo literarii regni fatale Palladium, avita religione conservetur*; denique pietatis templum, in quo sine hypocrisi Numen Divinum colatur, honeste vivatur, nemo hominum lædatur, atque assiduum

omnium virtutum exercitium alacriter instituatur & propagetur feliciter. Valeant & floreant *Consanguinei, fautores & amici nostri*, sibique, quum altera sint nostri portio, certo persuadeant, nos ipsorum memoriam non abjecturos, dum nostri erimus memores, dum spiritus hos reget artus. Valeat & floreat suavissima hæc *patria* nostra, in qua primum lucem adspeximus. Benedicti sint, qui ei benedicunt; prospere agant, qui ejus prosperitatem quærunt & promovent; & beatitudine fruantur, qui beato ejus statu delectantur, atque ad decus & augmentum ejus, ingenium, vires & facultates suas adhibent. Valeant denique ac floreant, quotquot in ea pietati, sanctitati, candori, integritati, fidei, humanitati, paci, concordiæ, & cuicunque alii virtuti sunt dediti,

Dum memet natale solum dulcedine semper
Attrahet, immemorem nec sinet esse sui.

DIXI.

ANNOTATIONES

in præcedentem Orationem.

Ad pag. 682.

(1) *Laonicus Chalcocondylas*) Lib. II. Hist. Turc. Hoc autem si scripsit Laonicus Seculo XV. quid nunc dicturus esset, postquam urbs longe majorem elegantiam & nitorem nacta est?

(2) *Metrophanes Critopulus*) In præfat. Orationis panegyricæ & dogmaticæ in Nativitatem Domini Dei & Servatoris nostri Jesu Christi secundum carnem, habitæ in inclyta Noricorum Academia Altorfina sub finem anni 1625.

(3) *Petrus*

(3) *Petrus Bembus*) In lib. VII. Histor. Venet. p. 155.

(4) *Helius Eobanus Hessus*) In præfat. *Vrbis Noriberg. illustratæ*, hoc est, elegantis carminis, quo laudes præstantissimæ illius urbis A. 1532. decantavit.

(5) *Hugo Favolius*) Middelburgensis, in carmine, quod Wagenseilius, magnum nomen, suæ de Civitate Norimbergensi Commentationi præmisit.

(6) *Phil. Cluverius*) In Introduct. Geograph. lib. III. cap. XI.

(7) *Cum Hesso*) Cujus verba exstant l. c. sub finem capitis XXX.

Ad pag. 683.

(8) *Oppidum Altorfinum*) Eorum, qui Altorfio bene volunt ejusque historia delectantur, gratiam sine dubio merebor, si, quod in MS.to insignis cujusdam viri consignatum reperi, jam communicavero. Id autem ita se habet: Die **Hofmarck Altdorff** hat vor alters als ein Amt zu der **Nürnberg. Reichsvogtey** gehört/ deren sie mit Gült und Zinsen/ vermög der Reichsvogtey Saalbüchleins/ gewertig gewest/ noch bey Zeiten Kaiser Friederichs des andern. Ist hernach an die **Grafen zu Nassau** kommen/ wie dann Irenicus lib. 2. von Graf Adolf von Nassau/ der hernach Röm. König worden/ Meldung thut/ daß er den Flecken Altdorf mit einer ziemlichen Mauren umgeben haben soll. Die Grafen von Nassau aber haben solchen A. 1361. dem **Burkgrafen** verkaufft. A. 1390. hat Burkgraf Friederich/ Burkgraf Hansen Sohn/ Altdorf und andere mehr Güter **Hertzog Schwantiber aus Pommern**/ als seinem Tochtermann/ zum Heirat-Gut mitgeben/ welcher es bald hernach/ nemlich 1393. **Pfaltzgraf Ruprechten** dem jüngern/ Hertzog in Bayern/ um und für 12000. fl. verkaufft hat. Bey dessen Nachkommen es ferner geblieben/ biß im Bayrischen Krieg A. 1504. an die Stadt **Nürnberg** kommen.

Dann als A. 1503. nach Absterben Hertzog Georg in Unter-Bayern/ sein Tochtermann Pfaltzgraf Ruprecht/ Pfaltzgraf Philippen Churfürsten Sohn/ mit Hertzog Albrecht und Hertzog Wolffgang in Bayern/ als nechsten Agnaten vorgedachten Hertzogs Georg/ über dieses hinterlassene Land und Leut in Irrung gerahten/ welche endlich/ unangesehen Königs Maximiliani und des damaligen Schwäbischen Bundes interposition, und sorgfältiger Bemühung/ die Sach gütlich beyzulegen/ und alle Krieges-Gefahr und die Weitläufftigkeit zuverhüten/ in einen würcklichen Krieg ausgebrochen/ und aber bey Hertzog Ruprecht und seinem Vater Hertzog Philippen/ Churfürsten/ kein gütlicher Ausspruch oder rechtliche Erkänntniß nicht verfangen wollen/ als ist von den Bund-Ständen zu Augspurg/ unter denen die Stadt Nürnberg bereit begriffen war/ Hertzog Albrecht und Hertzog Wolffgang in Bayern eine ansehnliche Volck-Hülff versprochen worden. Nichts destoweniger hat sich Hertzog Albrecht mit dem Rath zu Nürnberg in ein absonderliches Bündniß auff viel Jahr eingelassen/ in welchem unter andern dem Rath versprochen worden/ daß demselben alle Ort/ so man von des Pfaltzgrafen Philippen Städt und Flecken in der Obern Pfaltz um Nürnberg gelegen/ abgewinnen würde/ die solten zu ewigen Zeiten bey der Stadt Nürnberg verbleiben. So ist auch dem Rath selbst vom König Maximiliano ein Mandat zukommen/ darinnen ihme gebotten worden/ Pfaltzgraf Philippen Land und Leut anzugreiffen/ und gegen ihn/ als Aechtern/ zu handelen.

Hierauff hat sich der Rath mit vielem Krieges Volck gestärcket/ und dem Pfaltzgrafen Philippen in einem Brief abgesagt/ auch bald in vierthalbtausend starck zu Roß und Fuß ausgezogen/ und ohne sonderbahre Gegenwehr/ und in weniger Zeit die Sädtlein **Lauff**/ **Hersbruk**/ das

Schloß

Schloß **Reicheneck**/ und andere Oerter eingenommen/ und der Stadt Nürnberg huldigen lassen. Man ist auch hernachmals mit allem Volck/ so viel die Stadt Nürnberg ohngefehrlich in Besoldung gehabt/ unter Endres Tucher und Sebald Schürstab/ als Hauptleuten des gantzen Volcks/und mit vielen grossen Geschützen für **Altdorf** gezogen/und hat das Städtlein auffgefordert/auch sturmmäßig beschossen/ und nach 4. Tagen einbekommen. Darauff der Rath zu Nürnberg/ durch Antoni Tetzeln und Hansen Harsdörffer/ von der Bürgerschafft die Huldigung angenommen/ die Stadt mit 200. FußKnechten besetzet/ und Georg Kötzel/ als einen Pflegsverweser dahin verordnet/ der die schadhaffte Thor/ Thurn und Mauren wiederum bessern lassen. Weilen aber der Rath zu Nürnberg der eingenommenen Pfältz. und Bayer. Flecken halber sorgfältig gewest/ daß sie deßwegen allerley Anfechtung und Forderung zugewarten haben möchten; als ist für gut und rathsam befunden worden/ von der Kaiserl. Majestät ein **Ubergab derselben** in Form eines Contracts zuerlangen/ wie auch erfolget/ in dem König Maximilianus zu Augspurg den 17ten Julii 1504. in einem Brief urkundet/daß/nachdem der Rath zu Nürnberg/ auf sein ernstlich Gebot/gegen obgedachten Pfaltzgrafen/ als Aechtern/mit der That gehandelt/und desselben etliche Städt/Schloß/Märck/Dörfer überzogen/und in ihre Hand und Gewalt gebracht/als übergebe er alle diese Städt und Flecken dem Raht zu Nürnberg Contracts- und Vertragsweiß/weilen sie durch diese Krieges-Ubung in merckliche Kosten und Schulden kommen/ mit allen ihren Regalien/ Obrigkeiten/ hohen und niedern Gerichten/ Rechten und Gerechtigkeiten/ Zinsen/ Renthen/ Gülten/ Dienstbarkeiten/ Zu-und Eingehörungen/ dergestalt/ daß er sich auch mit gedachtem Pfaltzgrafen nicht vertragen lassen wolle/ Er habe sich denn dieser Städt und Flecken gnugsam verzie-

verziehen / gegen denen von Nürnberg keine Anforderung in oder ausserhalb Rechtens deßwegen fürzunehmen / darwieder wolle er keine Befehl lassen ausgehen / und ob auch aus Vergessenheit oder ungestümen Anhalten etwas geschehe/solle es nichtig und unkräfftig seyn.

Diese Ubergebung der eingenommenen Städt und Flecken ist hernach A. 1505. am St. Georgen Tag von Hertzog Albrecht und Wolffgang ratificirt, und von König Maximiliano gegen vielfältige Anforderungen so wol der Pfaltzgrafen/ als anderer/ so einigen Zuspruch zu solchen zu haben vermeint / stattlich maintenirt und geschützt worden.

Nachdem nun unter andern Städtlein und Flecken auch das Städtlein Altdorf in des Raths zu Nürnberg Gewalt geblieben / hat es nach der Zeit grossen Schaden unterschiedlich malen erlitten/ und zwar A. 1544. wegen einer grossen **Feuers-Brunst**/ und A. 1552. als es von dem Marckgrafen eingenommen/um 12000. fl. gebrandschätzt/und die Thurn und Pfleghauß geplündert worden. Item A. 1553. hat der Marckgraf diß Städtlein zum andernmal eingenommen/ und mit Brandschätzen/ Rauben und Plündern/ endlich auch mit Brennen grausame Tyranney geübet/daß er das Landvolck/ so viel er zusammen treiben mögen/ samt ihrem Vieh in die Stadt Altdorf versperret/ und die Thor verschliessen und vermachen/ und darauff die Stadt an vielen Orten/ sonderlich zu nechst bey den Thoren und Ausgängen/ den Ausfall dadurch zuverhindern/ anzünden und verbrennen lassen / des Vorhabens / jung und alt/ Weib und Mann mit dem Feuer umzubringen / wie dann viel Menschen durchs Feuer jämmerlich verdorben und umkommen. In der Stadt sind 306. Zimmer abgebronnen/ ohne daß das Rathhauß/ Kirche/ Thor und Thurn/ und nur 15. Häuser an der

an der Mauren und 6. Ståttel stehen blieben/ also daß auch Sleidanus dieser Grausamkeit gedencket p. 801. ingleichen Melch. Feudius, Med. D. & Prof. in programm. publice affixo d. XII. und in einem andern d. XVI. Julii A. 1553. Tom. II. Scriptor. Witteberg. lit. D.

A. 1575. hat der Rath zu Nürnberg/ die Schul/ so vor vielen Jahren mit Raht Philippi Melanchthonis in der Stadt Nürnberg angefangen/ gen Altdorf transferiret/ und ein herrliches Collegium allda auffgebauet. Nach der Zeit ist solches *Gymnasium* von Kaiser Rudolf A. 1578. zu einer *Academie*, und ferner A. 1622. von Kaiser Ferdinando II. zu einer *Universität* gemacht/ und mit Privilegiis creandi Doctores Juris & Medicinæ ac Poëtas Laureatos, auch letzlich von Leopoldo Magno mit gnådigster extensione privilegiorum, so daß nun auch Licentiati und Doctores Theologiæ gemacht werden können/ A. 1696. begabet worden.

In unserm seculo hat Altdorf A. 1631. wie auch 1632. grosse Noth und Gefahr erlitten. Den 20ten Nov. 1631. kam vor solches der Tyllische Obriste/ Holck genannt/ forderte es zum drittenmal auff/ legte hernach darein 30. Pferde/ unter commando eines Wachtmeisters/ und begehrte von der Bürgerschafft 3000. Rthl. ranzion, die endlich auf 500. Rthl. moderirt worden. Nach dieses Wachtmeisters Abzug kam/ durch practiquen/ ein Marodischer Wachtmeister hinein/ der die Bürgerschafft um 200. Rthl. geschåtzt/ und eine lebendige salva guardia eines Leutenants mit 5. Pferden in das Ståדtlein gelegt. Herr Graff von Soltz/ ein Obrister/ kam auch in diesem Jahr mit seinen Leuten vor Altdorf/ begehrte 400. Rthl. von der Bürgerschafft/ mit dem man biß auff 200. abkommen. A. 1632. als Graf Tylli mit 20000. Mann und 22. Stücken Geschütz/ sich um Neumarck gestellt/ ist er gegen Nürnberg fortgezogen/ und hat das Ståדtlein Altdorf den 23. Febr. frühe um

7. Uhr durch einen Trompeter 3.mal anblasen/und Quartier begehren lassen. Der damalige Pfleger hat zwar um dilation gebeten/aber nicht erhalten. Nachdem nun das Städtlein eröffnet worden/ ist Graff Tylli persönlich in Altdorff eingeritten/ und hat so wol in dem Schloß/ als anderer Orten/Quartier gemacht. Ingleichen hat der Rector Academiæ um Verschonung der Universität und dero Angehörigen gebeten: deme Anfangs Graff Tylli scharff und hefftig geantwortet/ hernach aber hat doch GOtt sein Gemüht so wunderbarlich geändert/ daß er so wol der Universität, als auch der Bürgerschafft salva guardia ertheilt/ und keine Plünderung oder andere Feindseeligkeit gegen die Einwohner vornehmen lassen.

De Altorfio agentes, non incommode mentionem facere possumus *Alberti a Waldstein*, (vulgo *Wallenstein* dicti) Liberi Baronis Bohemici, qui ob militarem prudentiam ac fortitudinem, a CÆSARE in fastigium Ducis Megapolis & Fridlandiæ evectus, utriusque fortunæ ostentum fuit & prodigium. Illustris Baro ille, anno superioris seculi ultimo, studiorum gratia Altorfium missus, habitavit ibi illis in ædibus, quæ Ludwellianæ aliquando, post restaurationem Fabricianæ, nunc autem Hoffmannianæ dicuntur: neq; in carcerem inferiorem, qui antrum canum, Germanice das Hunds-Loch vocatur, condemnatus est unquam, ut recte ostendit Wagenseil. in Exercit. sua V.ta p. 207. Interim, quod variis actionibus implicitus, ipsi etiam homicidio, a Joh. Hartmut de Steinau, in Wolfgango Fuchsio, civis Altorfini filio, commisso, adfuisset, quod tamen modis omnibus debuisset impedire, & aggressorem a facinore isto dehortari, jussu illustris SENATUS Norimbergensis, arresto constrictus fuit, & consilium accepit abeundi. Verba ipsa magnifici SENATUS ad Nicol. Taurellum, Acad. Rectorem, & Georg. Roggenbachium,

Oppidi

Oppidi Præfectum, scripta A. 1600. d. XII. Jan. hæc erant: — Durch welches alles er dann wol ein ansehnliche Straff verdient hätte: So wollen wir doch hierin seinen ehrlichen Staud und Herkommen respectirt, und Euch hiemit befohlen haben / Ihme Freyherrn von Walstein / obangezogener Ursachen halben / auf seine habitation oder Wohnstuben (darauf Er sich auch speisen lassen / und davon nicht kommen soll) so lange zuverstricken / biß er seine zu Altdorff gemachte Schulden abgericht und bezahlt haben wird / und wenn dasselbige geschehen / Ihme alsdenn zusagen / und aufzulegen / sich von Altdorff hinweg zu thun / und seine Gelegenheit anderer Orten zu suchen. Et quamvis mox arrestum aliquatenus relaxaretur, sententia tamen de abitu suadendo non mutata, sed potius confirmata fuit. Sic enim laudatus MAGISTRATVS d. 18. Jan. ad eosdem rescripsit: Und nachdem uns auch von wegen des auf seiner Stuben verstrickten Freyherrn / Albrecht von Walstein / fürgebracht / was massen derselbe / durch zween hieher geschickte Studiosos, um Erlassung solcher Verstrickung ansuchen und bitten lassen / so wollen wir demselben diese Lüfftung gethan / und so viel bewilliget haben / daß er bey seinem gewöhnlichen Kostherrn zu Tisch / und / da er will / in die Predigten und Lectiones gehen mög / sich aber sonsten des Ausgehens und Umschweiffens in der Stadt / oder vor die Thore / enthalten soll. In dem übrigen aber lassen wirs Seiner halben bey vorigem Befehl bewenden.



ORATIO III.

Qua
in illuſtri
ACADEMIA JULIA
A. 1697. d. 20. Julii
munus profeſsionis theologicæ
auſpicatus eſt.

SAlve, iterumque ſalve, o alma JULIA, eaq; prima & dulciſſima ſtudiorum meorum academicorum nutricula. Non quidem putâram, poſtquam duobus & triginta abhinc annis tibi valedixi, fore unquam, te ut reviſerem; neque hactenus vel per ſomnium mihi perſuaſi, me in nobiliſſimum Profeſſorum tuorum cœtum cooptatum iri. Sed quam mutatam te conſpicio! Ubi enim ſunt, qui viva doctrina tum temporis te ornabant, tuque illos? Vbi religioſiſſimus *Cellarius*? ubi moderatiſſimus *Titius*? ubi πολυμαθέστατος *Conringius*? ubi κριτικώτατος *Voglerus*? ubi facundiſſimi oris *Schraderus*? ubi acutiſſimus *Rachelius*? ubi

ubi ſtrenuus peripateticæ philoſophiæ aſſertor *Frölingius*? ubi literatisſimus *Saubertus*? a quorum ore pependi, & per fideliſſimam ipſorum informationem, Deo adſpirante, profeci. Abierunt ad plures, & mortalitatem cum felici ac beata commutârunt vita, fruituri eadem, poſt ultimum judicium, ad plenum & in æternum. Nec tamen abierunt, niſi ſecundum id, quod mortale in ipſis erat: memoria autem & ſcripta eorum ſuperſunt, & ſupererunt, quamdiu honos erit literis, earumque ſinceris cultoribus. At bonum factum, quod ſaltim duo ex meis doctoribus ſe mihi vivos ſiſtunt, videlicet venerabilis Abbas *Calixtus*, quem beati atque apud eruditos ac ſapientes celeberrimi parentis Epitomen Theologiæ prælegentem, magno cum fructu & oblectamento audivi; nec non elegantiſſimus, & in omni ſcientiarum genere excellens *Meibomius*, cujus primæ anatome cum multis aliis Studioſis interfui, nec minorem ex ore docentis, manuque demonſtrantis, voluptatem hauſi, quam fœtorem ex humano corpore, quippe quod menſe exponebatur Junio, quo (ut Plauti verbo utar) calebatur maxime. Quomodo ergo nunc fit, ut citra omnem opinionem huc venerim? Nimirum placuit DEO opt. max. &, qui in Brunſvico - Lunæburgicis Ducatibus, h. e. in ampliſſimis, & per totum orbem decantatiſſimis terræ partibus, ejus vices gerunt, benigniſſimis JVLIÆ NVTRITORIBVS, ut in locum beati meritiſſimique D. Pauli *Heigelii*, civis mei, rite ac legitime vocatus ſuccederem. Quamvis igitur rationes habuerim non contemnendas, ut in ſtatione Altorfina, quam viginti annos geſſeram, permanerem, flecti tamen animum meum paſſus ſum tandem, relictisque patriis oris, in quibus familia mea jam ultra ſesquiſeculum continuo & absque interruptione Theologos dedit potioribus præfectos officiis, in

hasce me recepi, & in tuum quidem ſinum, inclyta & piiſſima JVLIA.

Et ne ingratæ mentis notam ſubeam, ante omnia tibi, o ſapientiſſime rerum humanarum ARBITER & DIRECTOR, pro admirabili tua providentia, quam vel centum hac in re indiciis mihi ſignificâſti, nec non pro infinitis aliis inde usque a teneris unguiculis immerenti mihi præſtitis beneficiis; tum & vobis, Sereniſſimi potentiſſimique DVCES *Brunſvicenſium ac Lunæburgenſium*, Domini mei clementiſſimi, pro ſumma gratia & benignitate, qua tenuitati meæ ſpartam theologicam injungere, iterque & acceſſum meum principali magnificentia veſtra promovere voluiſtis, immortales & humillimas ago habeoq; gratias. Servet vos ad annos Neſtoreos, omnique benedictionis genere cumulet, conſiliisque & regimini veſtro felicitatem, celſiſſimis Domibus æternitatem, fortiſſimis exercitibus victorias & laurus, beatiſſimisque regionibus olivam, & cornu copiæ, h. e. auream pacem, eamq; perpetuam, & cum affluentia omnium bonorum conjunctam, largiatur is, qui hæc præſtare poteſt omnia, & a quo omne bonum, omnisque felicitas promanat. Asſiſte, (ut in coepto precum ſacrificio pergam, idque totum rite perficiam) aſſiſte etiam mihi, quæſo, divinæ pariter ac humanæ ſapientiæ AVCTOR, ſanctiſſimo Spiritu tuo, & omne meum propoſitum, omnesque curas, cogitationes & operas meas, in gloriæ tuæ incrementum, reique theologicæ commodum atque ornamentum, dirige, &, qui mihi voluntatem dediſti, da etiam, amabo, vires, celeberrimis hujus Academiæ Patribus, florentiſſimæque juventuti ſtudioſæ, fidem, cultum, amorem, benevolentiam, ſtudia ac officia, & quæcunque ipſis grata ſunt, atque a me proficiſci poſſunt ac debent, ſuo loco & tempore præſtandi. Neque vero majorem firmioremve pollicitationem a me exſpe-

exſpectate, venerandi Collegæ, nobiliſſimique Muſarum Amaſii: nam quid majus polliceri queam iis, quæ dixi? ecquod vinculum arctius me conſtringat ad ſervandum promiſſa, quam religio, & ſancta divini nominis invocatio? In re ſeria, qualis hæc noſtra eſt, qua teſſeram fidei & amoris vobis porrigo, non opus eſt verborum, ſed affectus abundantia.

Quum itaque jam pietatis debitique mei officio defunctus ſic eſſe mihi videar, nihil amplius reliquum eſt, quam ut de materia orationis, qua prælectionibus publicis, aliisque muneris mei partibus more conſueto præludam, ſolicitus ſim. Spero autem, vobis, Auditores honoratiſſimi dilectiſſimique, non ingratum fore, ſi materiam orationis meæ inauguralis apud Altorfinos habitæ reaſſumam, &, ſicuti tunc *de utilitate, quam S. Theologiæ Studioſus ex itinere capere poteſt Italico*, dixi, quantum potui; ita nunc *de utilitate itineris Germanici, Belgici & Gallici, quæ in Studioſum Theologiæ* itidem *redundare poteſt*, meo quoque experimento edoctus, verba faciam, atque ita Mercurii ſacri ſchema rurſus induam. Quodſi orationi elegantia deeſt, (ut certe deeſt) rerum tamen varietas, nî totus fallor, vos oblectabit. Vel ob hanc igitur, ſi placet, dicenti auſcultate, & linguis animisq; favete.

Quemadmodum per *Germaniam*, *Belgium & Galliam*, non integras haſce provincias, & quicquid in iis continetur, ſed illas tantum ipſarum partes, urbesque, quas mihi olim in itinere meo adire ac videre licuit; ita per *Studioſum Theologiæ* non promiſcue quemvis intelligo, qui ſic nominatur, etiamſi ſacra ſtudia vix primis labris deguſtaverit, neque vel vitam ſanctitati illorum convenientem geſſerit, vel etiam nervo rerum gerendarum inſtructus ſit, ſed eum, qui ſumtus ad iter faciendum neceſſarios habens, ſufficientem & accuratiorem rerum theologicarum notitiam

notitiam ſibi comparavit, & pietatem aliasque virtutes ſectatur ſedulo, ita ut a periculo ſeductionis longe remotus ſit, aptus autem ad gerendum officium, quod reverſo a Superioribus imponatur. Talem ex itinere, per Germaniam, Belgium & Galliam inſtituendo, multum fructus & emolumenti capere poſſe, (*a*) apud me quidem extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Eximium eruditæ in Italia Nobilitatis decus & ornamentum, *Guido Bentivolus*, qui in Rom. Pontificis, Domini ſui, legationibus, in Flandriam aliquando ivit, ac deinde etiam in Galliam, atque præclariſſima ob merita, eminentiſſimorum ordini Cardinalium inſertus tandem fuit, *Vlyſſes Italicus* non immerito dicendus, in parte I. elegantisſimarum Epiſtolarum ſuarum, homini politico peregre abeunti, non quidvis promiſcue, ſed certa rerum capita obſervanda, atque in ſuccum quaſi & ſanguinem ſuum convertenda proponit, inquiens: *Pelegrinare in paeſi eſterni, per non impararvi altro, che à ſaper riferire, tornando à caſa, le riviere, le campagne, le ſelve, i monti, le piazze delle città, il numero & il veſtito degli habitanti, ciò non è altro, che un pigliar cognitione di coſe mute & innaminate, e che paſcon più gli occhi, che l' animo. Chi và fuori del ſuo paeſe à veder' il mondo, voglio che oſſervi principalmente i coſtumi delle nationi foraſtiere, le nature de' Rè, le qualità de' loro conſigli, le forze loro, le leggi de' regni, lo ſtato della religione, come ſia miſta l' autorità del comandare con la forma dell' ubbidire, come ſi ſtia coi vicini, qual ſia l' humor peccante in ciaſcun gouerno, qual ſarebbe il rimedio, ſe vi poteſſe hauer luogo la medicina. Tali e ſì fatte coſe, concernenti il gouerno, vorrei, che m' oſſervaſſero, e mi poſſedeſſero ben le perſone, che girano il mondo.* Id eſt: *Peragrare terras peregrinas non alium in finem, quam ut domum reverſus, ſcias ali-*

quid dicere de fluviis, campis, sylvis, montibus, foris urbium, & numero ac vestitu civium, hoc vero nihil aliud est, quam rerum mutarum atque inanimatarum, quæque oculos magis, quam animum pascunt, notitiam sibi comparare. Qui iter aggreditur, ut terras alio sub sole calentes visitet, is velim præcipue notet mores gentium exterarum, naturas & inclinationes Regum, qualitatem consiliorum, robur & potentiam eorum, leges regnorum, statum religionis, imperantium ac parentium harmoniam, quomodo ipsis conveniat cum vicinis, quis sit humor peccans in quovis regimine, & qualenam remedium, si medicam admitteret manum, oporteret adhiberi. Hæc & talia, quæ ad regimen spectant, vellem mihi observarent ac probe tenerent ii, qui iter faciunt, & orbem terrarum circumeunt. Ad eundem modum egomet quoque (*b*) certas rerum classes, quæ in nobilissima prædictarum regionum triga, observandæ & utiles esse possunt, peregrinatori meo ostendam nunc, & commendabo. Non quidem eum arceo a spectandis urbibus, foris, palatiis, & ædificiis cum publicis, tum privatis, sed nolim tamen iis, ut medullæ ipsum inhærere; nam cogitandum, hæc & similia alia esse duntaxat πάρεργα, ἔργον autem suum in hoc consistere, ut majorem eruditionis, prudentiæ ac pietatis copiam sibi acquirat, eaque patriam aut aliam terram, quo fata eum duxerint, aliquando reddat beatiorem. Ad hæc igitur animum, oculos & aures suas dirigat, mihique observet *Historiam & antiquitates, Naturæ memorabilia, Artificialia, Inscriptiones, Bibliothecas, Ritualia & ad religionem facientia, Conciones atque Exercitationes academicas & scholasticas, & Colloquia cum eruditis.*

Atque ut ab Historiis & Antiquitatibus ordiar, Ratisbonæ in templo S. Emmerammi sive Haimerani monstrantur *Ludovici* IV. & patris *Arnulphi*, Rom. Imperatorum, item XVIII. *Episcoporum*, nec non *Dionysii Areopagitæ* (cujus *Iter nostrum utile, ad observandum*

1. Historias & antiquitates. (cujus oſſa e fano S. Dionyſii Gallico Arnulphum huc tranſtuliſſe ajunt, & credunt) porro etiam M C. *Sanctorum*, & S. *Wolfgangi* ſepulcra, ad quorum ultimum HENRICVS II. Romanorum Imperator, cognomine Claudus & Sanctus, dicitur preces fudiſſe, ſomnoque oppreſſus vidiſſe manum in pariete ſcribentem, POST SEX, neque hac ſcriptura, ut ipſe quidem putabat, finem vitæ, ſed imperium Romano-Germanicum poſt ſexennium ipſi oblatum, prædictum & indicatum fuiſſe; præterea auguſtiſſimi illius ARNVLPHI *altare portatile* aureum, quo is in campis uſus; Dionyſii (ut credunt) Areopagitæ & S. Wolfgangi *effigies*, hujusq; *infula*, *patina*, & *baculus paſtoralis*; nec non (*c*) IV. *evangeliorum codex*, quadratis, iisq; aureis literis elegantiſſime ſcriptus, & picturis exornatus nitidisſimis; in coemeterio interiore (*d*) *Aventini ſepulcrum*; in cœnobio Auguſtinianorum, *Alberti M. cathedra & auditorium*. Quibus addenda eſt (*e*) hiſtoria de *Dollingero*, depicta in ædibus ex adverſo Curiæ ſitis, quomodo videlicet is, tempore Henrici I. Imp. cognomento Aucupis, prælongum quendam Saracenum ſeu Hunnum (nam X. pedes altus erat) ſtrenue devicerit in ludo equeſtri, atq; in terram, capite lancea perfoſſo, proſtraverit: In antiquario Ingolſtadienſi (*f*) *idolum*, e quo diabolus olim reſponſa dedit: Monachii in auguſto ditiſſimoque palatii Electoralis ſacello, inter multas alias reliquias, *manus S. Dionyſii Areopagitæ*, (cujus totum corpus, medio duntaxat dextræ digito excepto, ſe poſſidere gloriantur Emmeramenſes in celebri urbe Ratisbona;) in antiquario bene multæ Imperatorum veterum Rom. *imagines*, formatæ ex marmore, & tria Gentilium *oracula*, atq; *agricola Bavaricus*, ex ære, & ſub figura in genua procumbentis, affabre factus, & ſpectantis ſententiam de pondere ſuo, quaſi illud tantillum ſit,

egregie

egregie fallens atque eludens: (g) Augustæ Vindelicorum multa *monumenta*, (h) speciatim vero *pinea* illa *nux*, quæ Augustanorum insignium speciem refert, & (i) locus ille, *in quo confessio Protestantium*, coram Cæsare, Rege Romanorum, Statibusque Imperii, lecta fuit, atque ab urbe dicitur *Augustana*, & (k) *liberalitatis Fuggerianæ* memorabile exemplum: In templo D. Petri Erfurtensis (l) *monumentum Ludovici, Comitis Gleichensis*, qui duas simul habuit uxores: In porticu cœnobii Castellensis, quod est in Palatinatu superiore, & nunc tenetur a Jesuitis, (m) *epitaphium Schweppermanni*; & (n) aliud *Philippinæ*, Francisci Welseri, L. B. a Zinnenberg, filiæ, quod formosissimæ desideratissimæq; conjugi suæ, Ponte Oeni in æde S. Crucis, poni curavit FERDINANDVS, Archidux Austriæ. Prope Aventicum *campus victoriæ*, quam Helvetii reportârunt, confligentes cum Carolo Burgundiæ Duce, unde & ad viam regiam ædificium quoddam erectum, in quo ossa occisorum asservantur: In fastigio scalarum ecclesiæ cathedralis Solodurensis, *columnæ Martis & Mercurii*, olim sub gentilismo positæ in vicino colle Hermetis: Argentorati in coemeterio S. Petri junioris (qui ad differentiam senioris, quem & ibidem habent, sic dicitur) duæ parvæ, sed crassiores *columnæ lapideæ*, ad quas Tezelius indulgentias vendidit papales; ad dextram chori cathedralis templi *suggestus*, in quo concionatus Calvinus: Heidelbergæ in collegio Alumnorum Electoralium, (nam & ea tam heic, quam in sequentibus, recensere liceat, quæ, quamvis in nupero bello deleta sint, olim extabant & spectabantur) *conclave, quo divertit Lutherus* (o) Wormatiam profecturus, nomenque ibi suum parieti inscripsit: In Curia Wormatiensi *hypocaustum Cæsaris*, in quo idem ille coram augusto Procerum S. Imperii consessu causam doctrinæ suæ egit: In Francofurtensi, Constitutio Carolina perga-

menæ inscripta, & (*p*) *aurea bulla* (unde jam nomen trahit) confirmata: In Rheno fluvio prope Pinguiam, quæ vulgo Bingium audit, *turris murium*, in qua Hatto, Moguntinus Episcopus, (si verum est, quod vulgo dicitur: (*q*) Serrarius enim in Rebus Mogunt. turrim illam ait fuisse duntaxat speculam, contra incursiones hostium ædificatam, atque nunc eo, quod deserta & neglecta est, muribusque hospitium præbet, Murium turrim non inepte vocari posse) a muribus arrosus & comesus esse perhibetur; & in eodem flumine *saxum Bacchiara*, ad urbem cognominem, quod non nisi sicca tempestate cernitur, & in quo veteres Baccho litârunt: In Belgio Fœderato, & quidem ea in urbe, quæ τοῖς κριτικωτέροις Trajectus ad Rhenum, vulgo autem Trajectum aut Vltrajectum dicitur, ejusque bibliotheca Mariana, *Jovis* & *Mercurii*, olim ab Ethnicis cultorum, imagines metallicæ, & *tuba* ex ebore confecta, qua olim ante, quam innotuissent campanæ, ad convocandam plebem usi fuerunt; Dordraci (*r*) *domus Synodi* illius celebris, anno hujus seculi XVIII. coactæ: Roterodami ad pontem in foro præcipuo, (*s*) Desid. Erasmi, τοῦ ἐρασμίου, *imago* ænea, totum virum cum libro, cui legendo intentus est, repræsentans: In Cœnobio Lausdunensi, quod uno ab Haga Comitum lapide distat, (*t*) *Comitissæ Hollandiæ*, quæ 364 liberos, masculos partim, partim fœmellas, uno partu enixa dicitur, *sepulcrum*: Harlemi in templo majore exemplum illius *navis bellicæ*, quæ portus Pelusiaci ingentem catenam cursu & impulsu suo disrumpere conata est, ac disrupit felicissime. In regno Galliæ, ejusque urbe, quæ inter IV. singularia illius regni memoratur, (nôstis autem, me loqui de Lugduno) (*u*) duplex *ædes* S. Irenæi, rudera *palatii* & *prætorii* (*x*) Augusti Cæsaris, nec non (*y*) *amphitheatri*, *Academiæque*, Minervæ consecratæ; in maxima autem, ac, prope dixerim, orbis mira-

culo,

culo, *castellum majus*, a Juliano exstructum, in angulo templi archiepiscopalis *statua* lapidea, quæ Æsculapii esse creditur; (z) ædes S. *Genovevæ*, & *Templum*, quod ethnicæ idololatriæ inserviit, *ac deniq; palatium Abbatis S. Germani*, olim Isidis fanum: in Campania *campi Catalaunici*, ubi Attila unico in prælio, militum suorum amisit centum & octoginta millia: & Nemausi in Gallia Narbonensi, in marmoribus Romanorum antiquis, *symbolum obscœnum*, i. e. duo membra virilia decussata, quo denotatur, fortalitium expugnatu difficillimum esse.

Inter Naturæ memorabilia notari merentur (1) *saxum quoddam angulare* in templo Lichtenfelsensi, fulmine tactum & loco suo motum atque excussum, ita tamen, ut illæsum permanserit, atque in extremitate sociorum suorum, superioris videlicet & inferioris, quibus rite insertum & infixum erat, adhuc dum hæreat, & nunquam cadens, casum omni momento minitetur; nec non *Charybdis* & *Scylla* (der Strudel und der Wirbel) in Danubio, infra Lentium, quarum illa naufragium minitatur, hæc totalem & navigii & hominum, quæque alia in eo sunt, interitum; quicquid enim in fauces ejus incidit, id, quasi lupus famelicus, tenet firmiter, totumque, in gyrum aliquoties actum, & sic quasi masticatum, avidissime devorat. Adeo etiam hujus facilis descensus Averni est, sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras, hoc opus, hic labor, imo vero impossibile est. In antiquario Ingolstadiensi duo *basilisci*: Monachii dexterrima *agilitas* & herculeum *robur* CHRISTOPHORI, Ducis Bavariæ, qui ingentis ponderis saxum, prout id hodienum visitur in Electoralis sedis vestibulo, unica manu facillime sustulit, sublatumq; satis longe jactavit, atque ad XII. pedes in altum subsilire potuit: *nuces* optimæ, atque ipsis Principum cupediis accensendæ,

2. naturæ memorabilia.

quæ Cellis naſcuntur ad Mœnum, haud longe ab Herbipoli: (2) *Strumarum* tanta copia in Stiria & Carinthia, ut e plebe vix quisquam ab elegante hoc (ceu ipſi interpretantur, ſibique eo nomine aliquid eſſe videntur) naturæ dono ſit immunis; immo peregrinanti occurrunt integræ eorum catervæ, qui præter figuram humanam (quæ tamen & ipſa valde deformis eſt) nil habent humani, nec magis loqui poſſunt, quam bos boans, aſinus rudens, & ſus grunniens: *Danubius*, fluviorum Germaniæ pater, Tagi æmulus, auroque fœcundus; nam arena ejus, infra Poſonium, bene lota & purgata, granulis auri inveſtigantes donat, quæ illi ſummo ſtudio collecta in urbem deferunt, aurique fabris vendunt. Ex adverſo S. Goari ad Rhenum, in famoſo illo ac perforato præcipitio, quod Lorlejum dicitur, mire reſonabilis atq; incomparabilis (3) *echo*: in bibliotheca Trajectina duo *unicornua*, quorum ſingula VII. ſpithamas longa ſunt, tertium autem, duobus illis aliquanto majus, ante complures annos REGI Galliarum, qui & ipſe naturæ curioſis delectatur, transmiſſum fuit: Prope Dordracum immenſus ille (4) *aquarum gurges*, quem Biesbos appellant: In Comitatu Blanckenburgico (5) *Cataracta* Bodæ, *murus* diaboli, *ſilices* ad ſpeciem & magnitudinem ſaxorum quadratorum formati, *ſpecus* Baumanni, de qua vere dici poteſt: Ludit in humanis divina potentia rebus; duo *ſcopuli* habitu Monachorum, & *lapidicina* mirabilis, in qua natura format patinas, unam juxta alteram. Adde his ingentem terribilemque *aquarum delapſum* non ita procul a Nantua, in via Lugdunum inter & Genevam; ſimiliter *thermas* in Helvetia & inferiore Auſtria *Badenſes*, ac denique celerem *Rhodanum* ſub Cretone monte, ad inſtar Anatis Hiſpanici, ſeſe abdentem, ac deinde rurſus erumpentem, mortaliumque oculos de novo ſubeuntem.

Sed,

Sed, age, mi viator, a naturalibus vertamus nos ad Artificialia. Vbi quidem Ratisbonæ se nobis sistunt (6) *pontis lapidei* super Danubium expansi, & *dominicæ* (cujus architectus, si vulgari sermoni credendum, postquam viderat, pontem citius confectum esse, quam templum suum, sese ex hoc præcipitem dedit, vitæque suæ filum temere abscidit) eximia atque admiranda opera: Salisburgi & Augustæ Vindelicorum (quæ, Cardinalis Bentivoli judicio, omnino habet aliquid augusti) (7) *aquæductus*, & *fontes* gratissimi, & in eadem urbe templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, portusque afflictorum, id est, (8) *Curia*, eaque splendidissima, ornatissima, & (9) *artificiosa porta*, qua noctu, absque ullo civitatis periculo, & publicæ quietis perturbatione, intromitti possunt hominesque & equi; item tres *turres* picturis refertæ non contemnendis, videlicet de (10) ATTILA & (11) OTTONE M. de (12) CONRADO III. & (13) FRIDERICO, Sueviæ Duce, deque (14) Matthæo Lango: Oeniponti in Franciscanorum æde, MAXIMILIANI I. Imp. *monumentum sepulcrale* ex alabastro, in quo egregia ejus facta tam artificiose formata, ut Romanus quidam summam in admirationem raptus, de (15) artifice sic pronunciârit: Aut diabolus, aut angelus fecit: in Bavaria infra Monachium insignis *aquæductus*, quo aqua, rotæ beneficio, ex Isara in cacumen montis jaculatur, atque inde aliorsum deducitur: (16) *organum Vlmense* in æde amplissima, quod magnitdine & præstantia inter omnia alia caput effert, quantum lenta solent inter viburna cupressi: Argentorati (17) *turris* templi cathedralis & altissima & bellissima, atque ibidem *horologium* incomparabile: Heidelbergæ in arce Electorali, quæ antiquitate, structura, & amœnitate loci cum omnibus aliis totius Germaniæ certabat, crassa & ampla, solique Bituricensi cedens *turris*, & *alte-*

3. artificialia & mechanica.

& *altera extra mœnia*, quam ſapientiſſimus Elector CAROLUS LUDOVICUS (18) abrogato priſtino, quod ipſi jure meritoque odioſum videbatur, nomine, a figura ſtellæ, ad quam formata eſt, *ſtellatam* nuncupavit; omniumque maximum *dolium*, continens quippe tantum vini, quantum 133. carpentis imponi poteſt; (19) *urbs* & *arx Manhemenſis*, in tantum præ aliis laudanda, in quantum omnes alias & ſymmetria, & pulchritudine anteibat; ubi & *pons volans* erat adeo amplus, ut aliquot currus cum equis & multis hominibus caperet, eosque unici hominis opera, breviſſimo temporis ſpatio, ſuper Rhenum transportare valeret: Wormatiæ in Curia, *ſcriptura digitis pedum facta* a Mart. Dornbergero, Miſnico, manibus brachiisque carente: Moguntiæ, ut & in Hollandia, atque etiam Hamburgi, *luſus campanularum* in ædificiis publicis: Angriæ ad Rhenum, quæ Germanis Engers appellatur, infra Confluentes, *turris rotunda*, quatuor illas ſuperbas, quæ (20) Noribergæ ſunt, æmulans: e regione Andernaci, domus ad formam Italicam hodiernam erudite ædificari cœpta, ſed non finita, atque hinc per jocum dicta Nimmerfertig/ id eſt, *Nunquam finita*: ſuaviſſimi in horto Bonnenſi *fontes*: (21) Coloniæ *ædes primaria*, S. dicata Petro, quæ magnitudine & ſtructuræ excellentia cum aliis, ſive ſint in Teutonia, ſive in aliis regnis, certaret, dummodo ad perfectionem deducta eſſet, & colophonem experta: apud Orſoium *navis vetus & inverſa*, (liceat enim & hujus meminiſſe, ceu Pontius Pilatus memoratur in ſymbolo fidei) ſub qua hoſpitium, ſed miſerum profecto, advenis datur: Trajecti *columna* templi Mariani, quæ pro fundamento habet (22) cutes taurinas: (23) *monumenta* Cortenarii & Wittii in baſilica Roterodamenſis urbis, PRINCIPUM Arauſionenſium & (24) Trompii in templis Delphicis, (25) REGUMque Gallicorum

& (26)

& (26) HENRICI, Vicecomitis Turenæ, Ducum hujus ſeculi maximi ac celeberrimi, in eo, quod dicatum eſt S. Dionyſio: (27) *Curia Amſtelodamenſis*, in qua ars certat cum immenſis ſtupendi operis ſumtibus; ibidemque apud artificem quendam *menſa* ex lapide Lydio, cum inſperſis floribus adeo ſcite effigiatis, ut vivos eſſe jurares, æſtimata 11000. florenis: (28) *Cornu Oldenburgicum*, ſi non argenteum, & inauratum, rari tamen ac pretioſi metalli, eleganterque cælatum, quod Comiti Ottoni, qui vixit Seculo X. & venatione delaſſatus, ad ſitim reſtinguendam potum anhelabat, e monte prodiens & ſpectatæ formæ juvencula obtulit: *via publica* a Palatinoburgo in Alſatia Nanſium usque dilatata, ut peregrinantes a latronum inſidiis & inſultibus poſſint eſſe tutiores, item (29) *via ſtrata* ab Haga Comitum Schevelingam usque: *fortificatio* Argentoratenſis & Nanſienſis: (30) *Dominicum* Tullenſe: Lutetiæ Pariſiorum *equus æneus*, e Lotharingiæ metropoli inter alia ſpolia allatus; vægrandis & cathedralis (31) *ædes D. Mariæ*, cum nova ſua & prorſus ingente (32) *campana*, & (33) *picturis* inuſitatæ magnitudinis multique artificii, & omnium fanorum elegantiſſimum illud (34) *ad Vallem gratiæ*; *portæ* S. Martini & S. Dionyſii, ſculpturis optimis decoratæ, (35) facies *Curiæ*; (36) *Palatium*, ubi cauſæ aguntur, ampliſſimusque cogitur Senatus, quem Parlamentum vocant; ſtatua (37) HENRICI IV. in ponte novo, (38) LVDOVICI XIII. in area regia, ac (39) LVDOVICI XIV. in area victoriarum, cum magnificis & ſuperbis inſcriptionibus, & (40) futuri *arcus triumphalis* exemplum extra ſuburbium S. Antonii, repræſentans Regem equitantem, & Belgicas provincias, tanquam dulces cupedias, ſpectantem, ſed quod tempeſtates ſenſim ſine ſenſu detriverunt, & tandem, ſi fama vera fuit, præterito anno fulmen percuſſit comminuitque; nobili-

ora ad Gobelinos *artificia*, quibus picturæ, aulæa, vasaria & similia alia regiis expensis, regiumque in modum, incredibili pulchritudine conficiuntur; (41) *Observatorium*, ubi stellæ observari possunt tam in conclavibus, quam in tecto plano, immo & interdiu in cella seu loco subterraneo; (42) *Domus*, aut potius palatium *invalidorum*, ubi aluntur, qui in militia læsi vulneratique, non amplius idonei sunt ad tractandum arma; (43) *Bastilla*, sive arx antiquissima, in qua nobiliores custodiuntur captivi, & basilica illa sumtuosissima, quæ in Europa non habet sui parem, Galliceque (44) *Louvre*, Latine autem Lupera dicitur, horto instructa suavissimo. Ecquid dicam de *regiis domibus* aut secessibus, qui sunt Marliæ, (45) in nemore Vicenarum, (46) ad Fontem Bellaqueum, (47) ad fanum S. Germani, &, cujus magnificentia tam illos, quam omnes alios superat longissime, ac merito pro octavo mundi miraculo habetur, (48) Versaliæ?

4. Inscriptiones. Inscriptiones commemorandi nec locus jam est, nec tempus; neutiquam tamen illæ prætereundæ, aut negligendæ. Et tales reperiuntur passim in *palatiis*, (49) in *curiis*, (50) in *foris*, (51) in *turribus*, (52) in *portis*, (53) in *arcibus* & *castellis*, in *nosocomiis*, (54) *gerontodochiis*, *ptochotrophiis*, *orphonatrophiis*, (55) *ergastulis*, (56) in *hortis* & (57) *villis* ac *statuis*, in *templis* & *altaribus*, in *monasteriis*, (58) *collegiis*, (59) *academiis* & *scholis*, (60) in *bibliothecis*, *cœmeteriis* & (61) *sepulcris*, (62) in *viis publicis*, ac *privatis* in *locis*.

5. Bibliothecas. Properandum autem nobis est ad Bibliothecas. Inter quas præcellunt (63) *Hamburgensis*, (64) *Lipsiensis*, (65) *Jenensis*, (66) *Augustana*, Jesuitarum (67) *Monacensis* & *Coloniensis*, (68) *Argentinensis*, (69) *Tigurinarum* par nobile, (70) *Sangallensis*, (71) *Genevensis*, (72) *Leidensis*, & inprimis (73) *Augusta*, ac (74) *Vindobonensis*.

Quibus

Quibus adjungi poſſunt & Gallicæ, earumque præcipuæ in maxima regni urbe, (75) *Jeſuitica* videlicet, (76) *Lamoniana*, (77) *Victorina*, (78) *Germaniana*, (79) *Sorbonica*, (80) *Colbertina*, & (81) *Regia*. Neque tamen credendum; in ſola Gallia, immo in Pariſina urbe ſola, plus bibliothecarum privatarum eſſe, quam in Germania aliisque regnis: (82) hoc enim qui dicere auſit, vel ſcribere, eum profecto nimis ſibi confidere, neceſſe eſt. Huc etiam referendæ ſunt *officinæ librariæ*, unde exquiſitiſſimos libros comparare poteſt viator noſter, qui argento non eſt deſtitutus, certe eos, in defectu hujus, notare debet. Ac laudem ſane merentur, quæ ſunt Hamburgi, Lipſiæ, Francofurti, Viennæ, Argentorati, Coloniæ, Trajecti, Roterodami, Leidæ, Amſtelodami, Tiguri, Genevæ, Lugduni & Lutetiæ, in via præcipue Jacobea; ut illas, quæ in aliis Lyceorum Germanicorum urbibus reperiuntur, ſicco jam pede prætereamı.

Præterea velim, ut Ritus & ceremonias, quæque alia ad religionem ſpectant, cum in noſtris, tum in diſſentientium Eccleſiis, vel etiam extra illas fiunt, ſolicite obſervet viator meus, utque inquirat etiam in finem & ſcopum eorum, ut ſciat, ad quid inſtituti ſint, memineritque pariter, rituum diſcrepantiam fidei unitatem non protinus tollere. Atque ſic obſervabis (83) diverſos ritus *orantium* & *ſalutantium* in templis, *confeſſionis*, *baptiſmi* & *S. cœnæ*, *ordinationis* & *copulationis*, *collectionis eleemoſynæ*, *benedictionis fructuum*, *veſpertini officii*, & peculiarem habitum *Stipendiariorum*. *6. Ritualia & ad religionem facientia.*

Sed face & viatico mihi opus foret, ſi alia etiam, quæ huc ſpectant, & notari poſſunt, recenſere vellem. Modus in hiſce recitandis eſt adhibendus, & cogitandum, orationem heic inſtitui, non autem volumen ſcribi. Conciones vero & Academica, cave, negligas, qui itineri te dediſti *7. Conciones & exercitationes Academicas.*

dedisti theologico, nec perfunctorie illud facere decrevisti. Excellentissimos reperies Concionatores non tantum inter *Nostrates*, sed etiam apud *Reformatos* & *Remonstrantes* ac *Romano Catholicos.* Ego certe non sine ingenti delectatione memini me audîsse Heidelbergæ *Salmuthum*, *Ohmium*, & qui adversam postea expertus est fortunam, *Langhansium*; Leidæ *Heidanum*; Carentoni *Claudium*, *Gilbertum*, *Allixium*, &, qui jam præfectus est Regis Britanniarum sacello, *Menardum*; Amstelodami apud Remonstrantes *Pontanum*; Monachii eximium quendam *Jesuitam*, & *in Gallia* complures, qui vel cum disertissimis certarent oratoribus: inter quos inprimis nominandi sunt *Burdalovius*, & *Flechierus* Abbas, qui episcopali dignitate ex merito jam fruitur apud Nemausenses. Hi aliique iis similes, nôrant res abstrusas & difficillimas plane ac perspicue populariterque explicare, morata oratione convenienter uti, similia & exempla adhibere aptissima, iisque, ut & huic vel isti dicto Scripturæ, si opus videbatur, maximo cum artificio, & audientium oblectamento, immorari, vocem & gestus pro diversitate rerum decore variare, affectus excitare potenter, cordaque auditorum lucrari, & victoriam ab iis, vellent, nollent, gloriose reportare. Sunt, qui in Ecclesia frequenter dicunt, & Stentorea voce ad ravim usque declamant, sed jejune tamen, frigide, atque utinam non interdum pueriliter, affectate, imprudenter, inepte, & ridicule. At enim vero apud hosce nihil jejuni, nihil frigidi, nihil puerilis, nihil affectati, nihil imprudentis, nihil inepti, nihil ridiculi. Carperet in iis aliquid Momus, sed quod stultus ipse non caperet, aut præstare sustineret. Atque ut ad Academica progrediar, in prælectionibus etiam eorum, qui a nobis δὶς διὰ πασῶν dissentire dicuntur, (84) meliorem sæpe ac saniorem, quam credideris, *doctri-*

nam

nam percipies. Heic etiam mihi obſerva (85) *modum proponendi*, quo Magiſtri utuntur, & quomodo erga illos ſe gerant *auditores*, & *rationem diſputandi*, ac *promovendi*: nam & hæc nôſſe juvat.

Supereſt, ut de Salutationibus & Colloquiis virorum doctorum aliquid memoremus: eruditionem enim ac prudentiam ampliorem qui ſibi vult comparare, is eam cum aliunde, tum maxime ex colloquiis & converſatione cum viris eruditis petere poteſt ac haurire. Lepidum eſt illud, quod narratur de celeberrimo *Glareano*. Nimirum aliquando Nobiles quidam ex elegantiſſima mundi parte profecti ſunt Friburgum, virum illum inter doctos inſignem ut viderent. Quo cognito, juſſit ille eos poſtero redire die, negotiorum, quibus jam impediretur, multitudinem prætendens. Altero itaq; die cum reverſi eſſent, eximius vir laurea cinctus, aureaque ornatus torque, conceſſit in conclave quoddam elegans & amplum, ubi ſe in hemicyclum recipiens, juſſit eos ingredi, qui viſum advenerant. Advenis igitur ingreſſis, eumque, ſicuti moris eſt, ſalutantibus, ſedebat ille immotus, perinde quaſi eos nec videret, nec audiret, atque ita etiam eosdem abire patiebatur. Hoc Italis mirum cum videretur, tantamque inhumanitatem & ſuperbiam per amicum quendam rigido homini exprobrarent, reſpondit ille: Cur ego iſtis inhumanus videar, qui tantum videndi me cauſa acceſſerunt? At poſtea invitatus ab iisdem exteris, longe aliter ſe geſſit, totusque dies jucundisſimis colloquiis conſumtus fuit, ita ut illi prudentiam, humanitatem, eruditionem, & temperatas gravitate facetias præſtantiſſimi viri non ſolum admirarentur, verum etiam ſummis laudibus eveherent, omnibusque modis prædicarent. Abſit ergo, ut credamus, ſatis eſſe, ſi videris tantum viros eruditione claros, iisque

8. Colloquia cum eruditis.

album fautorum & amicorum obtuleris tuum, ſed requiritur, ut eorum colloquiis & informatione gaudere tibi contingat. Ad hanc autem beatitatis partem neutiquam pervenies, ſi, tanquam Icarus, præpropere in viam te des, &, antequam alis inſtructus ſis, volare præſumas. Eruditus ſit, oportet, qui cum doctis verſari velit & confabulari, atque ad illum inde multiplex demum redundabit commodum. Quod quidem (86) *exemplis* comprobare poſſem, ſi per temporis anguſtiam liceret.

Vt adeo jam appareat, verum eſſe, quod initio dixi, videlicet Studioſo theologiæ iter per Germaniam, Belgium & Galliam, multifariam afferre utilitatem poſſe. Non autem recenſui omnia, quæ in tali itinere obſervari poſſunt, ſed quædam duntaxat, eos imitatus, qui vaſtum terrarum orbem in exigua mappa repræſentant, & ſummam rerum indicant. Iuventis digitoque monſtratis, facile eſt, plura addere. Nec ægre feram, ſi quis plura & rectiora ſuo tempore indicaverit. Quicunque autem hoc noſtro Catone hactenus contentus eſſe vis, noſtrumque ſequi Mercurium, non nobis, ſed Deo age gratias, qui nos duxit & reduxit feliciter, nosque idoneos reddidit, ut, quæ & nobis & aliis conducibilia & ſalutaria eſſe poſſunt, oculis auribusque perciperemus, percepta literis mandaremus, literis mandata in ordinem quendam redigeremus, & in ordinem redacta, in loco tam celebri, atque in conſeſſu doctisſimorum virorum, & coram ſtudioſa juventute, quæ florentisſimarum provinciarum urbiumque eſt quaſi flos delibatus, recenſeremus, &, ſi quando domum ad Penates reverſus fueris, obſervata non ad oſtentationem, jactantiam, faſtum, aliorumque contemtum transfer, ſed ad DEI gloriam, Eccleſiæ & Scholarum commodum, ſtudii

ſtudii theologici incrementum, patriæ, aut illius terræ, quæ tibi altera debet eſſe patria, decus & ornamentum, ac proximi, tuamque ipſius ædificationem.

DIXI.

ANNOTATIONES

Ad pag. *696.*

(*a*) ***Apud me quidem***) Immo etiam apud prudentiores, quorum conſiliis, ut oraculis, aures animosque applicant Principes maximi. Hinc cum olim, in florente quadam provincia, Studioſi theologiæ, natali glebæ quaſi affigerentur, & in patria, aut omnium proxima Academia, ut aviculæ cavea, includerentur, jam, prudentiorum conſilio, Imperantis auſpiciis ſumptibusque, liberiori aëri exponuntur, atque ad exteros etiam dimittuntur viſendos, ut non modo plurium doctorum & clarorum virorum notitiam ſibi comparent, & ex eorum colloquiis doctiores evadant, ſed & moderatiores reddantur ac circumſpectiores, neque adeo vel Eccleſiis aliquando graves ſint, vel Regimini politico. Per experientiam enim didicerunt viri ſapientes, eos potisſimum, qui aliorum nec urbes viderunt, nec mores & doctrinam accuratius cognoverunt, præpoſtero ſæpe zelo agitari, & vel turbas excitare, vel alias multum negotii Superioribus ſuis temere faceſſere, ac ferme intractabiles eſſe.

Ad pag. *697.*

(*b*) ***Certas rerum claſſes***) Quales etiam præſcribit & commendat Gisb. Voetius in Biblioth. Stud. Theol. l. 1. c. 18. Et hæc quidem ejus ſunt verba: ***Peregrinatio, ſi quidem a Studioſo theologiæ ſuſcipatur, aliter longe inſtituenda,***

enda, ac vulgarium peregrinantium. Sunt enim peregrinationes politicorum, militum, mercatorum, ſtudioſorum; ſunt & hominum otioſorum ac curioſorum, vere otioſæ divagationes. Theologus peregrinatur, ut ampliorem ſolidæ eruditionis ac pietatis theſaurum ſibi comparet. Hoc ἔργον ejus; reliqua omnia πάρεργα, ideo tamen non plane negligenda. In ſcholas ergo & eccleſias, earumq; ſtatum ac regimen accurate inquirat; viros doctos & pietate præſtantes non tantum publice docentes audiat, ſed & penitius per privatas collationes cognoſcat; bibliopolia, & publicas privatasq; bibliothecas, nec non antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta perluſtret; in academicis & eccleſiaſticis exercitiis (quantum quidem ratio temporis & conſuetudo loci peregrinanti promiſerit) ſtrenue ſe exerceat, inprimis etiam in exercitiis pietatis, ſi quæ ibi publice privatimq; vigent. — His probe dum defungitur, obſervet interea ὡς ἐν παρόδῳ, quæ topographiam, hiſtoriam & antiquitates, politiam denique concernunt. Ad illam refer 1. Nomina regionum, urbium, vicorum, arcium antiqua, recentia. 2. Situs eorum, limites, quantitatem. 3. Contenta, aut vicina, aut attingentia maria, flumina, æſtuaria, paludes, lacus, fontes, ſylvas, deſerta, montes, ſpecus, rupes, promontoria, portus. 4. Soli, cœliq; qualitates; imprimis fertilitatem, fructus terræ, arbores, animalia terreſtria, reptilia, inſecta, aves, piſces &c. Ad iſtam refer 1. conditores & inſtauratores urbium, 2. earumq;, ut & regionum dominos atq; incolas antiquos; ſeries Regum, Principum, Epiſcoporum, Doctorum &c. migrationes eorum ac mutationes, ut & legum, regiminis, religionis; quæ & quo caſu acciderint, quæ bella idcirco geſta &c. Ad hanc refer 1. urbium muros, munitiones, ædificia publica: ut templa, monaſteria, ſepulcra, curias, noſocomia, xenodochia, ptochodochia, palatia, arces, armamentaria, amphitheatra, obeliſcos, columnas, lapides, inſcriptiones antiquas, nummos,

uſenſilia,

utensilia, reliquias, & similia sive antiquitatum, sive superstitionum monumenta. 2. ædificia privata, cum suis hortis, picturis, fontibus, statuis, aliisq; raris & admirandis. 3. formam regiminis politici, Principes, Senatum, Officiarios, leges, privilegia. 4. scholas earumq; regimen, & leges, docentium & discentium studia, cum viris doctis, bibliothecis, theatris anatomicis, ἀρχαιοταμείοις *&c. 5. artes, artifices celebriores, eorumque opera. 6. milites, militiam, castrametationem, eorumq; rationem, leges &c. 7. incolarum & civium frequentiam, animi corporisq; vigorem, mores, studia, labores, opificia, aliosq; acquirendi modos: eorundem rationem & ritum in victu, vestitu, funeribus, nuptiis, ludis, in sacris antiquis & hodiernis; si quidem superstitiones aliquæ publice privatimve istic obtineant. Omnibus autem illis tum* ἔργοις, *tum* παρέργοις *rite expediendis duo adminicula generatim inserviunt, cognitio, immo & præcognitio aliqua linguæ, ut & rerum istarum.*

Ad pag. 698.

(c) *IV. Evangeliorum codex*) Descriptus a duobus Sacerdotibus, *Beringero* & *Leithartο*, qui fratres erant germani. Dextra hujus libri facies auro solido constat, & smaragdis ac sapphiris stupendi pretii permixta est. Sub finem autem leguntur sequentes versiculi:

Bis quadringenti volitant & septuaginta
Anni, quo Deus est virgine natus homo:
Ter denis annis Carolus regnabat & uno,
Cum factus codex illius imperio.
Hactenus undosum calamo descripsimus æquor,
Littoris ad finem nostra carina manet.
Sanguine nos uno patris matrisq; creati,
Atque Sacerdotis servat uterq; gradum.

Xx xx *En Berin-*

En Beringarius, Lyethardus nomine dicti:
Queis fuerat sudor difficilisq; nimis.
Hic tibimet, lector, succedant verba precantis,
Ut dicas: Capiant regna beata Dei.

(*d*) *Aventini sepulcrum*) Cujus lapidi viri effigies incisa, apposita hac inscriptione: D. O. M. *Joh. Aventinus, vir singulari eruditione, fide ac pietate præditus, patriæ suæ ornamento, exteris admirationi fuit, Bojorum & Germaniæ studiosissimus, rerum antiquarum indagator sagacissimus, veræ religionis omnisq; honesti amator. Cui hoc monumentum ad posteritatis memoriam positum est. θ V. Idus Jan. 1534.*

(*e*) *Historia de Dollingero*) Cum hac epigraphe:
Barbarus hic solidis certant Germanus & armis:
Germanus vicit, Barbarus occubuit.
Supra januam conclavis hujus cernitur HENRICUS, avem manu gestans, eique superscriptum:
Fertur equo celeri hic Henricus in ordine primus,
Aucupio celeber, nec minus imperio.

(*f*) *Idolum*) Est ex lapide nigro, ad imaginem homunculi austeri & torvi, qui habet os magnum & diductum, cum albo tegmine seu peplo super capite. Cæterum Ingolstadii in conclavi Senatus Academici est mensa, cui in alta columna superimpositum idolum aliquod nigrum, subtus autem conspicitur Lutherus cum caterva sequacium suorum, ab altero latere Papa Rom. cum suis ipsius asseclis. Superius hæc legitur epigraphe:
Judæi auratum vitulum coluere: Lutheri
Monstrosum at vitulum cæca caterva colit.
Ad idolum: *Monstrum Lutheri tempore natum.* Ad Lutheri & Lutheranorum latus: *Luther & Lutherani heretici.* Ad Papæ & Papistarum: *S. Trinitas, unus Deus, miserere nobis, Omnes Sancti deplorate pro nobis.* Quod

Profes-

Professores Theologiæ attinet, eorum nomina cum encomio notata sunt in pariete auditorii theologici, hoc ordine: Joh. de Adorff, obiit anno 1505. Georg. Singel 1508. æt. 80. Balth. Fannemannus. Joh. Eckius 1543. Joh. Schrötinger 1536. Leonh. Marstallerus, Norimbergensis, 1547. Claudius Jajus 1552. Nicol. Gaudanus 1560. Nicol. Apelles. Mich. Wagnerus 1565. Oswald. Arnspergius 1568. Theod. Peltanus 1584. Georg. Theander 1570. Alphonsus Salmeron 1585. Rudolph. Clenckius. Alphonsus Pisanus 1607. Mart. Eisengreinius 1575. Petrus Canisius 1597. æt. 77. Joh. Cwillonius 1581. Alb. Hungerus 1604. æt. 54. Casp. Francus 1584. Gregor. de Valentia 1603. æt. 54. Hier. Tarrensis 1611. æt. 80. Adam Tannerus 1632. æt. 61. Mich. Eiselin 1613. æt. 55. Leo Menzelius 1633. Petrus Stevartius 1624. Casp. Lechner 1634. Jac. Gretser 1625. Oswald. Coscanus 1637. Jacob. Keller. 1631. Matthias Mayrhofer 1641. æt. 93. Adam Gerick 1632. Joh. Mocquetius 1642. æt. 68. Wolfg. Gravenegg 1650. Georg. Stengelius 1651. æt. 67. Georg. Liprandus 1665. æt. 77. Joh. Oswaldus 1680. æt. 74. Beatus Amrhym 1673. in itinere Chinam suscepto. Jo. Evangelista Thanner 1680. æt. 61. Petrus Brajerus 1682. æt. 79. Christoph. Haunoldus 1689. æt. 79. Et horum ultimorum inde usque a Liprando nomina, admodum reverendi Rheindelii, Decani Neagorensis, humanitas mihi communicavit.

Et fortassis non ingratum erit lectori, si Eckii & Gretseri, celebrium inprimis Doctorum, memoriam ex inscriptionibus hoc loco repetamus. Sic autem illæ habent:

JOHANNES ECKIUS

S. Theol. Doctor, Academiæq; Ingolstad. Procancellarius, Professor, Protonotarius Apostolicus, & Canonicus Eichstetensis, Theologorum suo tempore phœnix, pluribus editis operibus celeberrimus, & qui adversus sectarios sub capitis quoq;

 periculo

periculo depugnare, ipsoq; cum Luthero congredi non veritus fuit, tantus avitæ fidei defensor, ut sæpe in Imperii Comitiis & Academiis, & Colloquiis, quantus hæreticorum malleus esset, testatum fecerit, ubi adversariorum etiam confessione divi sui ingenii eximiam laudem ab incomparabili præsertim memoriæ dono hac in vita disputandi vi reportavit. Obiit A. C. 1543. IV. Id. Febr. æt. 56. postquam annos 31. sacra professus fuisset.

JACOBVS GRETSERVS,

S. J. Marcdorfensis Acronianus, ævi sui scriptor celeberrimus, annos XXVI. in alma Vniversitate docendo confecit. Nihil hujus ingenio clarius, memoria fidelius, judicio gravius, labore constantius, lucubrationibus eruditius & facundius. Sesquicentum fere libris editis Academiam ornavit, bibliothecas auxit, Ecclesiam propugnavit, concionibus interea & prælectionibus privatis, excursionibus, confessionibus audiendis, consiliis dandis assidue occupatus. Amârunt eum maximi Principes, docti ex omnibus provinciis eum coluerunt, vehementer extimuerunt hæretici, quos mira felicitate ac facilitate pressit. Obiit Ingolstadii virtutum meritis plenus 29. Jan. in Jubilæo 1625.

Ad pag. 699.

(g) *Augustæ Vindelicorum multa monumenta*) Collecta & exhibita in Operibus Marci Velseri p. 361.

(h) *Pinea nux*) Est saxum altitudine quinquepedali circiter, quod A. C. 1610. terra effossum, ad D. Vdalrici nunc spectatur, cum epigraphe : *Anno p. Chr. n. 1610.* & in altera parte : *Dirigam eum, ut abietem virentem.* De quo omnino legendus Velserus p. 245.

(i) *Locus ille, in quo Confessio Protestantium*) Est atrium palatii Episcopalis, prope Dominicum, seu D. Mariæ ecclesiam cathedralem.

(k) *Liber*

(*k*) *Liberalitatis Fuggerianæ*) Qua Fuggeri fratres CVI. domus in suburbio S. Jacobi municipibus suis frugi, sed cum pauperie conflictantibus, fruendas concesserunt. Sic enim loquitur publica inscriptio: MD XIX. *Vdalricus, Georg. Jac. Fuggeri August. germ. fratres, qua bono Reip. se natos, qua fortunam maximarum opum DEO O. M. acceptam inprimis referendam rati, ob pietatem & eximiam in exemplum largitatem, ædes CVI. cum opere & cultu municipibus suis frugi, sed pauperie laborantibus D.D.D.*

(*l*) Monumentum Ludovici, *Comitis Gleichensis, qui duas simul habuit uxores.*) De quo Dilherr. in Ehre der Ehe/ seu Honore Conjugii p. 349.

(*m*) *Epitaphium Schweppermanni*) Noribergensis, demortui anno 1337. quod ita habet:

Hie liegt begraben Herr Seyfried Schweppermann/
Alles thuns und wandels an:
Ein Ritter keck und vest/
Der zu Gündersdorff im Streit thät das best.
Er ist nun todt/
Dem Gott genad.
Jedem ein Ey/
Dem frommen Schweppermann zwey.

Confecto enim Ludovicum IV. inter & Fridericum III. prælio, cumque præter ova commeatus deficeret, Ludovicus, cujus exercitum optime duxerat rexeratque fortissimus Schweppermannus, singulis militibus unum, huic autem bina dari jussit. Quod Cæsarei honoris & favoris argumentum, pii veteres in tumulo extare voluerunt.

(*n*) *Aliud Philippinæ*) His quidem verbis: *Ferdinandus D. G. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes*

Tyrol. Philippinæ conjugi chariſſimæ fieri curavit. Obiit 24. M. April. Anno ſalutis 1580.

(o) *Wormatiam*) Quæ jam Friderici I. ætate tam erat celebris & conſpicua, ut eam præ aliis S. Imperii urbibus, ad celebrandum ibi natalem ſuum, eligeret. Unde Guntherus canit lib. 5. Ligur.

Hunc celebrare diem digno meditatus honore
Cæſar, ubi illuſtrem legeret ſibi curia ſedem,
Quæ poſſet pleno tot millia paſcere cornu,
Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis.
Vtraq; frugiferis tellus uberrima campis,
Vtraq; vinetis exuberat, utraq; pomis,
Piſcibus, atq; feris, & cunctis rebus edendis.

Ad pag. 700.

(p) *Aurea bulla*) Cujus altera facies exhibet effigiem Caroli IV. Imp. cum circumſcripto ejusdem titulo, altera Romam auream. Novam, eamque ex archetypo fideliter expreſſam Aureæ Bullæ editionem, orbis literatus laudabili Thulemarii diligentiæ fert acceptam.

(q) *Serrarius*) De Reb. Maguntiacis fol. 692. Confer Topograph. Archiepiſc. Mogunt. publicatam a Meriano, p. 12.

(r) *Domus Synodi*) Quæ hodie tabernæ diverſoriæ uſum præbet. In ejus ſuprema parte eſt menſa rotunda, cum ſimilibus ſcamnis, quibus circumrotatis inſidentes, totam urbem poſſunt circumſpicere.

(s) *Eraſmi imago*) In cujus baſi hæc leguntur verba: *Eraſmus natus Rotterdami Octob.* XXVIII. *An.* MCCCCLXVII. *obiit Baſileæ* XII. *Julii An.* MDXXXVI. Domus autem, in qua

qua ille natus, est in platea prope templum S. Laurentii, & hancce gerit inscriptionem:

Ædibus his natus, mundum decoravit Erasmus,
Artibus ingenuis, relligione, fide.

(*t*) *Comitissæ Hollandiæ*) De qua ajunt, impossibile ipsi visum, ut mulier ex uno viro gemellos conciperet, adeoque cum fœminæ gemellos suos in dorso gestanti, stipemque ab ipsa petenti, dixisset, necesse esse, ut legitimo non contenta marito, etiam cum alio consuevisset, hanc bile percitam, tot ei liberos, quot unus annus dies continet, imprecatam esse. Et hinc factum, ut 364. (vel, ut alii volunt, 365.) liberos, ad magnitudinem pullorum gallinæ, uno enixa sit partu, quorum dimidia pars masculi fuerint, dimidia puellæ. Ita rem hanc narrat Lud. Guicciardinus in Hist. Belg. p. 222. allato simul hoc epitaphio: *Illustris Domini Florentii, Comitis Hollandiæ, filiæ, cujus mater fuit Mathildis, filia Henrici, Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Gulielmum, Alamanniæ Regem. Hæc præfata Domina Margareta, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die parasceves, hora una ante meridiem, peperit infantes vivos promiscui sexus, numero trecentos sexaginta quatuor. Qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem suffraganeum, præsentibus nonnullis Proceribus & Magnatibus, in pelvi quadam baptismi sacramentum percepissent, & masculis Johannes, fœmellis vero nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium, simul cum matris, animæ ad DEUM, æternaliter victuræ, redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt.* Adde Topograph. Germ. Inferior. p. 145. & Benthem. Holl. Kirch- und Schulen-Staat. p. 118.

(*u*) *Duplex ædes S. Irenæi*) Secundi Lugdunensis Ecclesiæ Episcopi; primus enim fuit Photinus. Alterius pavimentum constat opere musivo, & truncatis rhythmis, qui in pariete integri sic leguntur: *Ingre-*

Ingrediens loca tam ſacra, jam rea pectora tunde,
Poſce gemens veniam, lachrymas hic cum prece funde.
Præſulis hic Irenæi turma jacet ſociorum,
Quos per martyrium perduxit ad alta polorum.
Ipſorum numerum ſi ſcire cupis, tibi pando:
Millia dena novemq; fuerunt ſub duce tanto.
Hinc mulieres & pueri ſimul excipiuntur,
Quos tulit atra manus. Nunc Chriſti luce fruuntur.

Quieſcunt autem hi martyres in ſpecu ſubterranea prædictæ ædis.

(x) *Auguſti Cæſaris.*) Qui anno imperii ſui viceſimo optimo ſedem huc ſuam tranſtulit, tenuitque fere per triennium.

(y) *Amphitheatri, Academiæq; Minervæ conſecratæ.*) Amphitheatri rudera ſunt in horto cœnobii Franciſcanorum Minorum, qui Lutetiæ dicuntur *les bons hommes*, quoniam primus eorum Prior adeo charus fuit Regi LVDOVICO XII. ut eum *le bon homme*, i. e. bonum virum appellaret. Academia autem Minervæ conſecrata erat, quod ibi dicendi ſtudium inprimis exerceretur. Et quoniam declamationibus illis viri graves doctique, tanquam cenſores, aderant, victique in arena oratoria, ſive lingua, ſive ſpongia id, quod in tabulis conceperant, nî præcipites vellent agi in flumen proximum, delere tenebantur, hinc facile fiebat, ut dicentes, pœnamque tam ignominioſam metuentes, expaveſcerent & palleſcerent. Atque hoc ſibi vult Juvenalis, canens:

Pallent, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Ad pag. 701.

(z) *Ædes S. Genovevæ*) Extructa A. C. 1130. eo in loco, ubi piiſſima virgo, nata Nanterræ circa A. 422. in pago

pago quodam prope oppidum S. Germani, orarium ſuum habuerat. Ædificârunt autem hoc templum, in honorem ejus, & gratitudinis teſtandæ ergo, eo quod illa, ut ferunt, interceſſione ſua apud DEVM, quam pariter afflicti ac alii eidem periculo expoſiti devote petierunt, morbo epidemico, qui vocatur *ignis ſacer*, & magnam hominum ſtragem fecerat, remedium & finem attulerit.

(1) *Saxum quoddam angulare in templo Lichtenfelſenſi*) Contigit hæc res Anno 1552. & inferius ſic ſcriptum:

O Menſch ſieh hierbey/
Wie grauſam der Zorn Gottes ſey/
Zu fürchten von jedermann/
Denn ſehet was ſein Gewalt hat gethan/
1552. durch ein grauſam Donnerſchlag/
Am Dienſtag nach der Heil. 3. König Tag/
Im 52.ſten Jahr/ wie ich euch warhafftig ſag.
Laſt uns das ein Warnung ſeyn/
Zu hüten von Sünden und Höllen-Pein.

Ad dextram alia eſt inſcriptio, qua memoratur, Ferdinandum I. Imperatorem anno 1562. 14. Octobr. heic fuiſſe, ſaxumque illud ſummo cum ſtupore ſpectâſſe.

Ad pag. 702.

(2) *Strumarum*) Quas alii aquæ aut aëri iſtarum regionum, alii nimio butyri uſui adſcribunt: niſi enim innatet butyrum eduliis, eaque tegat prorſus, haut illa ſolent eſſe ad palatum incolarum. Fit autem ex nimio iſto ſtrumarum tumore, ut hominum alii muti reddantur, alii quaſi muti & μογιλάλοι, difficillimamque & auribus ingratiſſimam habeant reſpirationem.

(3) *Echo*) De qua Freher. part.2. Orig. c. 18. f. 89.

(4) *Aquarum gurges.*) Ortus ex inundatione, quæ contigit A. 1521. dum Vahalis & Moſa, ex æſtuante in eos Oceano, ripas ſuas egreſſæ, 72. pagos abſorpſerunt.

(5) *Cataracta Bodæ* &c.) Consule de his, si lubet, Meriani Topograph. Ducat. Brunsvic. & Lunæb. p. 31.

Ad pag. 703.

(6) *Pontis lapidei*) Firmitate & robore præstantis, atque anno 1146. consummati. Positus in eo cernitur architectus, caput oculosque attollens ad Dominicum, certaminis, quod ei erat cum hujus structore, indicandi causa.

(7) *Aquæductus, & fontes.*) Per ductum istum aqua ex turri, in qua illa salit ad 250. pedes, in fontes, cum publicos, tum privatos deducitur. Pro hoc aquæ beneficio, quicunque civium eo fruitur, (fruitur autem, singulis horis, duabus amphoris, quas Aymer appellant) Magistratui quotannis solvit XIII. florenos, & XVIII. crucigeros. Fontium duo sunt, alter Augusti Imp. alter Herculis Charitumque, ille ante Curiam, hic in foro vinario. Ille tres habet inscriptiones. Prima est: *Imp. Cæs. Divi F. Augusto Parenti Colonia Augusta Vindel.* Secunda: *Posita anno a Chr. nato M D XCIII. Imp. Cæs. Rudolpho P. F. Aug.* Tertia: *Anno a col. ded. M D CV. Joan. Velserus II.vir probavit.* Hic duas; quarum altera sic habet: *Joannes Velserus Octavian. Sec. Fuggerus II.viri locaverunt an. p. Chr. n. M D XCVI.* altera: *Quirinus Reblingerus, Marcus Velserus II.viri probaverunt An. p. Chr. n. M D CII.*

(8) *Curia*) Cujus notabilia in peculiari libello, qui A. 1669. prodiit Augustæ apud Christoph. Schmidium, describuntur.

(9) *Artificiosa porta*) Quam Germanice den Einlaß vocant. Similem fieri curavit Senatus Norimbergensis ad portulam Hallerorum, atque in ejus memoriam cusus est medallio, in cujus adversa parte novum hoc opus cernitur,

nitur, in aversa autem insignia Septemvirorum, sub quorum regimine illud confectum est.

(10) *De Attila)* Cum hac inscriptione: *Attilam A. 454. fanatica mulier in Lyci transitu consternat, ter horrendum inclamans:* Retro Attila.

(11) *Othone M.)* In cujus laudem sequens extat monumentum: *Othoni M. Cæsari Berengarius pater & Adelbertus fil. Italiæ Reges, Augustæ se dedunt, A. 952.*

(12) *Conrado III.)* Vbi scriptum: *Cunrado III. Cæsari Augustani militem & pecuniam decernunt, eumque in Syriam proficiscentem & Damascum obsidentem juvant A. 1147. & 1148.*

(13) *Friderico, Sueviæ Duce)* Quod ita proponitur: *Fridericus, Sueviæ Dux, voluntariis Augustanorum copiis subnixus, patris Ahenobarbi Imp. auspiciis in Asiam profectus Iconium vi capit Anno 1189.*

(14) *Matthæo Lango)* Quem duplici nomine laudat epigraphe. Primo quidem: *Matthæus Langus, Patricius Augustanus, Cardinalis & Archiepiscopus, legationis princeps, Romanum Imperium ab Electoribus, nomine Caroli Austrii, petit & impetrat Anno 1519.* Deinde: *Matthæus Langus Anno 1523. Salisburgenses supplices in fidem recipit.*

(15) *De artifice.)* Est autem is Casparus Collinus, Mechliniensis, qui opus fecit A. 1566.

(16) *Organum Vlmense.)* Quod ultra 3000. fistulas habere dicitur.

(17) *Turris.)* Quæ est una inter tres præcipuas Germaniæ, immo, si altitudinem & artificium spectes, prima. Secundum autem locum occupat Viennensis, tertium Landshutana. Quibus S. Andreæ turris in urbe Brunsvicensi proxime accessit.

Ad pag. 704.

(18) *Abrogato priſtino nomine*) Quod erat Trutz Kayſer.

(19) *Arx Manhemenſis*) Fridericiburgum appellata. In templo civitatis, cui nomen Concordiæ, tribus religionibus, quæ in Imperio Romano-Germanico receptæ ſunt, liberum dabatur exercitium.

(20) *Noribergæ*) Cujus notabilia recenſere ſuperſedeo, non modo quia inde, tanquam patrio nido, in exteras profectus ſum regiones, ſed etiam quod illo labore defunctus eſt in noviſſimo, quod edidit, ſcripto, magnam nominis celebritatem conſecutus Wagenſeilius.

(21) *Coloniæ ædes primaria*) In qua quot baculos inauratos vides ſuſpenſos, totidem annos Archiepiſcopum, qui in vivis eſt, ſua in ſede exegiſſe, colligere licet: quandoquidem finito primo regiminis anno unus talium baculorum ſuſpenditur, ſecundo alter, & ſic deinceps. Et hoc docet adſcriptum diſtichon:

Quot pendere vides baculos, tot Epiſcopus annos
Huic Agrippinæ præfuit Eccleſiæ.

Ibidem ajunt recondita eſſe corpora SS. trium Regum ſeu Magorum, quæ Archiepiſcopus Reinholdus a Daſſelt, expugnato a Friderico I. Mediolano, precibus ſuis a Cæſare impetraverit, & impetrata huc transtulerit: nec non virginum Britannicarum, quarum princeps fuit Urſula; quæ tamen non ab Attila, ſed a piratis, nec Coloniæ, ſed in mari, & cum regionem Armoricorum cogitarent, cæſæ fuerunt ac trucidatæ. Videantur Velſeri Opera p. 733.

(22) *Cutes taurinas*) Nam fere in medio loci, ubi Eccleſia erat ædificanda, ſpelunca ſe prodidit, non alia re ſatianda & explenda, quam iſtiusmodi cutibus. Hinc in columna,

lumna, fundamento illi superimposita, bos cernitur pictus, cum epigraphe:

Accipe, posteritas, quod per tua secula narres:
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

(23) *Monumenta Cortenarii & Wittii*) In quorum illo sequentia leguntur: *Heroi incomparabili Egberto Bartholomæi a* CORTENAER, *archithalasso, hoc virtutis & gloriosæ mortis monumentũ posuere Nob.*mi *Dnn. Præfecti rei maritimæ ad Mosam. Obiit d. 13. Junii 1665.* In hoc: *Wittenius Cornelius de* WITH, *Eques, A. 1658. in freto maris Balthici occubuit.* Reliqua descripsit, & descripta communicavit Benthem. P. 2. Holl. K. und S. S. p. 633.

(24) *Trompii*) Accipe & hoc, si lubet: *Æternæ memoriæ. Qui Batavos, qui virtutem ac verum laborem amas, Lege ac luge. Batavæ gentis decus, virtutis bellicæ fulmen Heic jacet, qui vivus nunquam jacuit, & Imperatorem stantem mori debere exemplo suo docuit, Amor civium, hostium terror, oceani stupor,* MARTINVS HERPERTI TROMPIVS, *Quo nomine plures continentur laudes, quam Lapis hic capit sane angustior, & cui schola Oriens & Occidens, mare materia triumphorum, uuiversus orbis theatrum gloriæ fuit, Prædonum certa pernicies, commercii felix assertor, familiaritate utilis non vilis, postquam nautas & milites durum genus paterno & cum efficacia benigno rexit imperio, Post L. prælia, quorum dux fuit aut pars magna, post insignes supra fidem victorias, post summos infra meritum honores, tandem bello Anglico tantum non victor, certe invictus, X. Aug. an. æræ christianæ MDCLIII. æt. LVI. vivere ac vincere desiit. Fœderati Belgii Patres Heroi optime merito M. P.*

Vrbs Phœbi cineres jactat, sed currus honores,
Ingreditur quoties, egrediturq; mari.

(25) *REGUMq; Gallicorum*) Videatur Inventarium ſeu recenſio tam corporum ſanctorum, & ſepulcrorum regiorum, quam aliarum, præter theſaurum, raritatum, quæ in eodem fano aſſervantur, libellus Gallice ſcriptus, & Lutetiæ Pariſiorum editus A. 1681. Nec fallitur Golnizius, in Vlyſſe Belgico-Gallico p. 201. ſcribens: *Non exiſtimo, ullibi terrarum, in uno ſacello, tantam vim rariſſimarum & ſtupendorum operum contineri.*

Ad pag. 705.

(26) *HENRICI, Vicecomitis Turenæ*) De cujus vita & obitu legi poſſunt Genealogiæ Gallicæ J. W. Imhofii, qui præclaris ſtudiis, virtutibus ac meritis, magni Parentis, & ſimul patricii ſanguinis gloriam tuetur, p. 103. De Turenii autem epitaphio particulam hanc accipe, a politiſſimo, atque elegantioribus ingeniis gratiſſimo Joh. Jac. Löffelholz a Colberg, itidem Patricio Noribergenſi, mihi communicatam: *Abi viator, & poſt impenſas Turennii triumphalibus Manibus lacrymas, LUDOVICI Magni munificentiam demirare, qui in hoc ſacro regni ſui Capitolio parentat Duci optimo, inter hoſtium manubias, ubi victori tropheum ſtatuere maluiſſet. Auguſto Principi vitam impende, quisquis gloriam amas, qui vivos donis auget regiis, ſic mortuos luget.*

(27) *Curia Amſtelodamenſis*) De qua ſatius eſt, tacere, quam pauca dicere. Loquantur autem pro me Cæſius in Deſcriptione urbis Amſtelodamenſis, Hodegeta Belgii p. 219. & Benthem. Holl. K. und S. S. Part. I. c. 3.

(28) *Cornu Oldenburgicum*) Cujus figuram exhibet Hamelmannus in Chron. Oldenburg. p. 20. & ſic de eo ibidem ſcribit: Bey Graff Ottens (des Erſten) Zeiten/ (vixit autem hic ſeculo X.) hat ſich eine wunderliche Geſchicht oder Handel zugetragen. Denn weil er als ein guter

guter Jäger / der grosse Lust zu der Jagt gehabt / sich auf eine Zeit in die Jagt mit seinen Edelleuten und Dienern begeben / und am Bernefeursholtze gejaget / er der Graff selbst auch ein Rehe gehetzet / und demselbigen von Bernefeursholtze / biß an den Osenberg / alleine nachgerant / und mit einem weissen Pferd mitten auff dem Berg gehalten / und sich nach seinen Winden umgesehen / spricht er bey ihm selber / dann es eine grosse Hitze war: Ach GOtt / der nun einen kühlen Trunck hette! So bald als der Graff das Wort gesprochen / thut sich der Osenberg auf / und kompt aus der Klufft eine schöne Jungfraue / wol gezieret / mit schönen Kleidern angethan / auch schönen über die Achsel getheilten Haaren / und einem Kräntzlein darauf / und hatte ein köstlich silbern Geschirr / so vergult war / in gestalt eines Jägerhorns / wol und gar künstlich gemacht / geamulirt / und schön zugerichtet / daß auch mit mancherley Waffen / derer jetzt wenig bekand seind / und mit seltzamen unbekandten Schrifften und Kunstreichen Bildern / auff und nach Art der alten antiquitäten zusammen gesoldert / und ausgepuzet / und gar schön und künstlich gearbeitet / in der Hand gehabt / das dann gefüllet war / und solches dem Grafen in die Hand gegeben / und gebeten / daß der Graff daraus trincken wolte / sich damit zu erquicken. Als nun solches vergüldtes silbern Horn der Graff von der Jungfrauen auff und angenommen / das auffgethan und hinein gesehen / da hat ihm der Trunck / oder was darinnen gewesen / welchs er geschüttelt / nicht gefallen / und derhalben solch Trincken der Jungfrauen geweigert. Worauff aber die Jungfer gesprochen: Mein lieber Herr / trincket nur auff meinen Glauben / denn es wird euch keinen Schaden geben / besondern zum besten gereichen: Mit ferner Anzeig / wo er der Graff daraus trincken wolte / solts ihm / Graff Otten / und den seinen / auch folgends dem gantzen Hauß Oldenburg wolgehen / und

und die gantze Landschafft zunehmen / und ein Gedeyen haben: da aber der Graff ihr keinen Glauben zustellen / noch daraus trincken wolte / so solte künfftig in nachfolgenden Gräfflichen Oldenburgischen Geschlechte / keine Einigkeit bleiben. Als aber der Graff auff solche Rede keine acht gegeben / besondern bey ihm selber / wie nicht unbillig / ein groß Bedencken gemachet daraus zu trincken / hat er das silbern vergüldete Horn in der Hand behalten und hinter sich geschwenget und ausgegossen / davon etwas auff das weisse Pferd gesprützet / nnd da es begossen und naß worden / sind ihme die Haar abgangen. Da nu die Jungfrau solches gesehen / hat sie ihr Horn wieder begehrt / aber der Graff hat mit dem Horn / so er in der Hand hatte / vom Berg abgeeylet / und als er wieder umgesehen / vermercket / daß die Jungfrau wieder in den Berg gangen / und weil darüber den Graffen ein Schrecken ankommen / hat er sein Pferd zwischen die Sporen genommen / und im schnellen Lauff nach seinen Dienern geeilet / und denselbigen / was sich zugetragen / vermeldet / und das silbern vergüldte Horn gezeiget / und also mit nach Oldenburg genommen. Und ist dasselbige / weiln ers so wunderbarlich bekommen / vor ein köstlich Kleinod von ihme und allen folgenden regierenden Herrn des Hauses Oldenburg gehalten worden / wird auch noch heutiges Tages zu Oldenburg verwahret / wie ichs dann selbst offt gesehen / ist auch von vielen der Kunst und antiquität halber gelobet worden. Huic addatur Winckelmannus, qui in Chron. Oldenburg. c. 3. ait, materiam sive metallum, e quo cornu illud constat, ignotum esse.

(29) *Via strata*) Cui arcus, triumphali similis, cum elegante epigraphe Hugenii equitis, decus conciliat. Nec pigrabor, eam heic repetere: *Viæ Per colles invios & immane sabuletum Magno Procerum animo impensa nobili Et*

industria vere Batava Depressæ, complanatæ, munitæ, Arborum pulchra serie septo aggeribusque perpetuis Ornatæ, marginatæ, vallatæ, Operis augusti Se autore pridem agitati, adumbrati & promoti Constantinus Hugenius Equ. Initia, progressum, finem fructumq., Et in his æternum patriæ decus posteritati Hoc qualicunque mon. transmissum ac testatum voluit. Vide Koeren-Blomen Nederlandsche Gedichten van Constantin Huygens Ridder, p 393.

(30) *Dominicum Tullense*) E vivo exstructum lapide, & forinsecus multis statuis lapideis ornatum, intus autem recondens ossa S. Bernhardi.

(31) *Ædes D. Mariæ*) Cujus navis longa 112. chorus 72. pedes.

(32) *Campana*) Cujus pondus ascendit ad 310. centenarios, sicut Erfurtensis ad 275.

(33) *Picturis inusitatæ magnitudinis*) Quarum una singulis annis, ipsis Kalendis Maji, donatur ab aurifabris & argentariis, in compensationem ferruminatorum, quæ ipsis vendere licet una cum auro & argento. Oblata talis pictura, extra templum ponitur in conspectu omnium, qui prætereunt, deinde intra illud ante sacellum Matris Domini, & postea in loco ædis, qui videtur commodissimus, affigitur.

(34) *Ad Vallem gratiæ*) Fanum hoc altari superbit fulgidissimo, idque sex columnis distinctum est, & corona tectum aurea.

(35 *Facies Curiæ*) Quæ ob figuram FRANCISCI II. Regis, portæ superimpositam, redditur insignior.

(36) *Palatium*) In eo olim agebant Reges, estque ob magnam aulam, (*la grande Sale*) quæ ratione longitudinis & largitatis non facile habet parem, inprimis celebre.

(37) *Statua HENRICI IV.*) Eaq; ænea & equeſtris. In anteriore ſtylobatæ parte legitur: *ERRICO IV. Galliar. Imperat. Navar. Reg. CLODOVÆVS XIII. filius opus incho. & intermiſſum pro dignitate pietatis & imperii plenius & amplius abſolvit. Emin. C. D. Richeleius commune votum populi promovit. Superilluſtr. viri de Bullion, Boutbilier. P. ærarii F. faciundum curaverunt. M. VI^c. XXXV.* Et inferius: *Quisquis hæc leges, ita legito, uti optimo Regi precaberis exercitum fortem, populum fidelem, imperium ſecurum, & annos de noſtris. B. B. F.* Reliquas inſcriptiones, quæ itidem ad hanc ſtatuam leguntur, ſtudio omittimus.

(38) *LUDOVICI XIII.*) Hæc vero eſt marmorea. Et in primo latere ſcriptum habet:

Pour la glorieuſe & immortelle memoire
Du
Tres-grand & tres invincible Loüis le Juſte
XIII. du nom Roy de France
& de Navarre
Armand Cardinal Duc de Richelieu
Son principal miniſtre dans tous les illuſtres
& heureux deſſeins
Comblé d'honneurs & de bienfaits
Par un ſi bon Maître & un ſi genereux Monarque
Luy a fait elever cette ſtatüe
Pour une marque eternelle de ſon zele
De ſa fidelité & de ſa reconnoiſſance.
1639.

In ſecundo latere:

Quod bellator hydros pacem ſpirare rebelles,
Deplumes trepidare aquilas, miteſcere pardos,
Et depreſſa jugo ſubmittere colla leones,
Deſpectat Ludovicus equo ſublimis aheno,

Non

Non digiti, non artifices fecere camini,
Sed virtus & plena Deo fortuna peregit.
Armandus vindex fidei, pacisq; sequester,
Augustum curavit opus, populisq; verendam
Regali voluit statuam consurgere circo,
Vt post civilis depulsa pericula belli
Et circum domitos armis civilibus hostes,
Æternum domina Ludovicus in urbe triumphet.

In tertio:

Ludovico XIII. Christianissimo Galliæ & Navarræ Regi
Justo Pio Fœlici Victori Triumphatori
Semper Augusto
Armandus Cardinalis Dux Richelius
præcipuorum regni operum adjutor
& administer
Domino optime merito, Principiq;
munificentissimo
Fidei suæ devotionis
Et ob innumera beneficia immensosque
honores sibi collatos
Perenne grati animi monumentum
hanc statuam equestrem ponendam
curavit Anno Dom. 1639.

In quarto:

Pour LOVIS le Juste

Sonnet.

Que ne peut la vertu, que ne peut le courage?
I'ay domté pour jamais l'heresie en son fort,
Du Tage imperieux j'ay fait trembler le bord,
Et du Rhin jusqu'à l'Elbe accrû mon heritage,
J'ay sauvé par mon bras l'Europe de l'esclavage:

Et si tant de travaux n' eussent hâté mon sort,
J' eusse attaqué l' Asie, &, d' un pieux effort,
J' eusse du saint tombeau vangé le long servage.
Armand, le grand Armand, ame de mes exploits,
Porta de toutes parts mes armes & mes loix,
Et donna tout l' eclat aux rayons de ma gloire.
En fin il m' éleva ce pompeux monument,
Ou, pour rendre a son nom memoire, pour memoire,
Je veux, qu' avec le mien, il vive incessamment.

(39) *LVDOVICI XIV.*) Statuam hanc in honorem Regis A. 1688. suis sumtibus erexit Dux Feüilladus, editaque est ejus descriptio sub hoc titulo: *Description du Monument erigé à la glorie du Roy par Mons. le Mareschal Duc de la Feüillade, avec les Inscriptions de l' ouvrage. A Paris, par Sebastien Mabre-Cramoisy 1686.* Vnde nos quædam excerpemus. Nimirum statua hæc Regis est ænea, ac XIII. pedum, eumque refert stantem, & regio indutum habitu, ac pedibus calcantem Cerberum, quem triplex ajunt denotare fœdus, quod Rex gloriose destruxerit. Pone ipsum est Victoria, lauream imponens capiti regio, & sinistra palmas porrigens. Stylobates est ex candido marmore, altus 22. pedes, & ad quatuor angulos habens captivos, catenis onustos; quorum primus refert senem, in aliqua corporis parte tectum pallio Rom. secundus juvenem, lumina sua attollentem versus statuam Regis, hujusque quasi implorantem clementiam; tertius hominem præter propter 50. annorum, Dacico more vestitum, qui videtur deplorare suum infortunium; quartus in flore quidem ætatis constitutus, sed fere nudus, quique in altum respicit vultu indignabundo, & quasi murmurans adversus cœlum & fortunam. Quid autem hisce sibi velit inventor, quamvis ex appositis signis & symbolis satis superque constare possit, suo loco relinquimus, oriq;

nostro

noſtro manum imponimus. Cæterum in ſtylobate ſunt etiam proſtypa ſeu imagines media parte eminentes, quarum una repræſentat abolitionem duellorum, altera deſtructionem hæreſium, tertia jus potiori loco ſedendi, quod Hiſpania Galliæ ceſſerit A. 1662. quarta celebrem Rheni tranſitum, quinta ultimam Burgundiæ acquiſitionem, ſexta pacem Neomagienſem. Ad introitum areæ, in quatuor extremis, æquali a ſtatua diſtantia, ſunt trigæ columnarum, in quibus laternæ æneæ inauratæ, eæque XII. lucernis, quæ nocturno tempore aream illuminant, inſtructæ, & prominentia leonum ora tenent 24. clypeolos, in quibus inſigniora, ut dicitur, Regis facta expreſſa, noctuque diuque militum cuſtodia heic poſita, ne quis injuriam aut vim inferat monumento, & ſtatua cancellis incluſa ac circumcincta eſt. Inſcriptiones autem appoſitæ, auctorem habent Regnierum, Abbatem. Sub pedibus Regis ſcriptum: VIRO IMMORTALI. Deinde ſequitur: *LVDOVICO Magno Patri exercituum & Ductori ſemper felici Domitis hoſtibus protectis ſociis adjectis imperio fortisſimis populis Extructis ad tutelam finium firmisſimis arcibus, Oceano & Mediterraneo inter ſe junctis prædari vetitis toto mari piratis emendatis legibus deleta Calviniana impietate compulſis ad reverentiam nominis gentibus remotisſimis cunctisque ſumma providentia & virtute domi forisq; compoſitis*

Franciſcus Vicecomes D' Aubuſſon Dux de la Feüillade ex Franciæ Paribus, & Tribunis Equitum unus, in Allobrogibus Prorex, & prætorianorum peditum Præfectus, ad memoriam poſteritatis ſempiternam P. D. C.

Inſcriptio pro ſtatua Regis:

Tali ſe ore ferens, orbi & ſibi, jura modumq;
Dat Lodoix; famamque affectat vincere factis.

Ad jus potiori loco ſedendi, agnitum & conceſſum Galliæ ab Hiſpania A. 1662.

Indocilis quondam potiori cedere Gallo,
Ponit Iber tumidos faſtus, & cedere diſcit.

Ad tranſitum Rheni A. 1672.

Granicum Macedo, Rhenum ſecat agmine Gallus.
Quisquis facta voles conferre, & flumina confer.

Ad ultimam acquiſitionem Burgundiæ A. 1674.

Sequanicam Cæſar gemino vix vincere gentem
Menſe valet: Lodoix ter quinta luce ſubegit.

Ad pacem Noviomagenſem A. 1678.

Auguſtus, toto jam nullis hoſtibus orbe,
Pacem agit: armato Lodoix pacem imperat orbi.

Ad abolita duella:

Impia, quæ licuit Regum componere nulli,
Prælia, voce tua, Lodoix, compoſta quieſcunt.

Ad hæreſin deſtructam A. 1685.

Hic laudum cumulus, Lodoico vindice victrix
Relligio, & pulſus male partis ſedibus error.

Inſcriptiones pro proſtypis in columnis.

Pugna Rocrenſis A. 1643.

Spes datus in quantas, cui regni, ævique ſub ipſo
Limine, læta quatit celeres Victoria pennas.

Diſciplina militaris reſtituta.

Devictas refer huc, felix o Gallia, gentes,
Militiam tolerare ſub hoc aſſueta Magiſtro.

Servari armis Batavi. 1664.

Rex Batavos armis ſervat; ſed clade monendi
Quanta olim, meriti exciderit ſi gratia tanti!

Pugna

Pugna ad Arrabonem in Pannonia. A. 1665.
Et Thraces sensere, queat quid Gallica virtus:
Arrabo cæde tumens, & servata Austria testis.
Expeditio prima Belgica. 1667.
Dotales Lodoix urbes, reddiq; negatas,
Marte palam, & justis ultor sibi vindicat armis.
Jura emendata. 1667.
Legibus, hunc unum decuit, normamq; modumq;
Ponere, qui leges supra, se lege coërcet.
Jussa erigi & concessa tolli vindex læsi Legati moles 1664. 1668.
Rex memorem infandi casus dat tollere molem:
Roma, fovere pium, læsumq; timere memento.
Trajectum ad Mosam captum. 1673.
Fulminat ad Mosam Lodoix; & milite frustra
Defensas denso Trajecti dejicit arces.
Pugna Senefensis. 1674.
In Gallum juncta arma movent, Germanus, Iberq;,
Et Batavus: cedit forti victoria Gallo.
Fusi tribus præliis Germani: Sinsheimii 1674, Ensheimii 1674. Altenheimii 1675.
Ter Gallo adversis ausus concurrere signis,
Ter victus, patria jacuit Germanus arena.
Pugna navalis ad Augustam Siciliæ 1676.
Hispanæ & Batavæ concurrit Gallica classis;
Duxq; cadit, fractis in quo spes hostibus una.
Pugna navalis in Panormi portu. 1676.
Ponto iterum Gallus tonat, urget, Iberaq; in ignes
Classis abit, simul arma, viros, simul omnia volvens.
Valentianæ vi captæ & illæsæ. 1677.
Te Duce, te Domino, Lodoix, prona omnia Gallo,
Vrbes vi capere, & docili quoq; parcere captis.
Pugna

Pugna Caſſellenſis. 1677.

Per medias Batavorum acies, fraterna Philippus
Arma gerens animosq; , ruit Fratre auſpice victor.

Cameracum captum. 1677.

Nulla unquam propius, nec majus ab arce periclum:
Victus Iber, victrix domitam vix Gallia credit.

Incenſa in America Batavorum claſsis. 1676.

Orbe alio victor, per aperta pericula mille
Infert Gallus ovans inimicis navibus ignes.

Captum in ſtudium pacis Gandavum. 1678.

Hiberno Lodoix, quam reddere deſtinat, urbem
Marte rapit. Tanta eſt condendæ gloria pacis!

Reſtitutus in agros Germanicos Suecus. 1679.

Reddere Germanos Lodoix regnata Süeco
Arva jubet, Danosq;. Jader ſtupet, & ſtupet Albis.

Argentoratum & Caſale, una eademq; die parta. 1681.

Eridani & Rheni geminam arcem, ſanguine nullo,
Vna eademq; dies, Ludovici adjudicat armis.

Lucenburgum captum. 1684.

Viribus haud ullis quondam expugnabile ſaxum,
Nunc domitum, Gallos, qua terruit, arce tuetur.

Juncta Maria.

Miſceri tentata prius, ſemperq; negata
Æquora, perpetuo Lodoix dat fœdere jungi.

Dux Genuæ cum Senatu ſupplex. 1685.

Vane Ligur, fruſtraq; animis elate ſuperbis,
Juſtitiam monitus diſce, & non temnere Divos.

Pacata Maria. 1685.

Mille rates Pompejus agens freta libera præſtat:
Stans celſo in ſolio Lodoix maria omnia pandit.

Ex Scythia, Libya, & extrema India Legati, nempe ex Moſcovia A. 1668. 1681. 1685. ex Guinea A. 1670. ex Marocco & Fez A. 1682. ex Siam A. 1684. ex Algeria A. 1685.

Ingentem

Ingentem Lodoicum armis famamq́; fidemq́;
Egressum, Scythia & Libye venerantur & Indi.

Atque ita se habent inscriptiones illæ, quas produxisse, lectori haut ingratum erit. Oppositæ autem iis sunt aliæ in scripto quodam Germanico, quod anno 1693. prodiit sub titulo *Novissimæ Relationis de curiosioribus negotiis status hujus temporis.*

(40) *Exemplum arcus triumphalis*) Excogitatum fictumque in memoriam pacis Noviomagensis, eique hæc debebat accedere inscriptio:

LVDOVICVS Magnus,
Cui simul omnia, quæ vix uni singula, contigére, Ortus prope divinus, Coæva Regnô victoria, Populi devotissimi, Ministri fideles, Fiscus integer, Bella justa, Fortuna constans, fractis una Batavis, perdomitis Hispanis, debellatis Germanis, repressis Anglis, bello toti Europæ vel illato vel ostentato, Pace tandem, qua voluit lege, sancita, Arcum Triumphalem erexit.
Anno Salutis Mundi 1679.

Ad pag. 706.

(41) *Observatorium*) Egregium certe & magnificum ædificium: cujus tectum planum longitudine 57. latitudine 33. pedes complectitur. Ad dextram ejus datur locus aliquantulum eminentior, cujus longitudo se porrigit ad 16. pedes. In cellam per 171. gradus descenditur. Maximus tuborum opticorum, qui heic dantur, 67. si non 77. pedes æquare fertur. In tam nobili domo habitabat nobilissimus Cassinus.

(42) *Domus, aut potius palatium invalidorum*) *L' hostel des invalides.* Quo nihil ſplendidius, nihilque ordinatius. Extrinſecus reperies ſpatioſam aream, & aulam grandem, quatuor cinctam minoribus. Ad hanc aulam IV. ſunt refectoria, eaque longiſſima, & excellentiſſimis eorum locorum, quæ Rex in utroque Belgio armis ſuis expugnavit, picturis exornata, ut adeo comedentes incolæ, non tantum corporis vires reficere, ſed & oculos atq; animum factorum memoria pariter queant paſcere. Ad portã primi introitus, nec non ipſius palatii, ubi ejus Præfectus ſedet, ædisq; ſacræ, & alibi etiam, ubi opus eſſe videtur, excubiæ ſunt poſitæ ex ipſis invalidis, qui & quotidie, quaſi in campo Martio, exercentur. Neq; foſſa deeſt & murus, quæ undiq; cingunt tam præclarum Prytaneum. Quod usque adeo placuit Legato Maroccenſi, Hadgi Mehemed Tummin, (ad cujus colloquium, quum is domum reverſurus, Lugdunum tenderet, comitum itineris mei ſuaviſſimus, Remondius, nobilis Gallus, & Major navium bellicarum, qui illi a Rege datus erat interpres, vir tam eruditus, quam fortis & ſtrenuus, me deduxit) ut nihil ſibi eo elegantius in urbe viſum eſſe aſſereret. Denique notandum, quod eorum, qui in illud recipiuntur, facultates, poſt ipſorum obitum, eidem cedant atque aſſignentur: neq; enim alio modo tanti beneficii poſſunt fieri participes.

(43) *Bastilla.*) *La Bastille.* Exſtructa ab Hugone Ambrieto, Præfecto urbis, in propugnaculum contra Britannos. Gramondus l. 2. Hiſt. Gall. *Bastilla*, ait, *infestus pestilentia locus, murisq; prealtis, cœlum opacum: unde, per malignitatem aëris, morbi ex improviso, & funera.*

(44) *Louvre.*) Stupendum hoc & incomparabile opus nondum plane eſt perfectum, ſed amplius dilatabitur ſuo tempore, quandoquidem, ut ajunt, pertinget usq; ad pla-

ad plateam S. Honorati, & ædes S. Germani Antissiodorensis, eo, quod impedimento est, destruetur. Prout nunc se habet, longitudo ejus continet 250. & ambulacrum, quo Palatio laterariæ (*au Palais des Tuileries*) jungitur, 680. pedes. In vetere ædificio, Regis & Reginæ conclavia multo rutilant auro, sed quæ in novo majoris sunt elegantiæ, ibiq; conspiciuntur tabulæ pictæ, queis nihil artificiosius: præcipue in aula Legatorum, ubi illi ad audientiam Regis admittuntur. In eapse aula nunc quidem complura dantur armaria pretiosissima, quæ spectantes in admirationem, immo in stuporem rapiunt.

(45) *In nemore Vicenarum*) *Au bois de Vincennes.* Cujus castellum ædificare cœpit PHILIPPVS Valesius, perfecit CAROLVS V. Novum ædificium curæ Mazarini Cardinalis debetur. Vivarium ibi bellissimum est, amplissimumque.

(46) *Ad Fontem Bellaqueum.*) *A Fontainebleau.* Qui natales suos debet FRANCISCO I. ornamentum vero, cumprimis quod canalem illum attinet, quem Najades in domicilium sibi ipsæmet elegisse videntur, LVDOVICO XIV. Quam suaves sint horti Regis, Reginæ, fontis, pineti, & stagnorum, quam gratum aviarium, & cervorum ambulacrum, eorundemque nemus, quam augusta ædificia Regem & Aulicos excipientia, quam bellæ & amplæ aulæ illæ quatuor, quæ a militibus prætorianis, conviviis, choreis, & ludis scenicis (*la sale des gardes, la sale des festins, la sale des bals, & la sale de la comedie*) denominantur, concipi magis, quam verbis exprimi potest, & laudari.

(47) *Ad fanum S. Germani*) *A S. Germain en Laye.* Hæc sedes constat Castello vetere & novo, quorum illud CAROLVS V. fundavit, hoc HENRICVS IV. In illo, quod conclavia habet 63. splendide instructa, Rex hodiernus hybernare solet, in hoc frater ejus degit. Ex hoc

novo per duplices ſcalas lapideas deſcenditur in cryptas ſubſtructas, quarum una ſicca eſt, reliquæ autem quatuor artificio aquarum certare poſſunt cum perfectiſſimis Italiæ, ſuavisſimumque contra ſolis ardorem receptaculum & oblectamentum præbent. Teſtem appello omni fide majorem, Bentivolum Card. qui amœnitates hujus loci celebrat in parte I. Epiſtolarum. Vbi etiam rationem audientiarum ſui temporis deſcribit, quæ ab hodiernis ne hilum quidem diſcrepant. Adeo non imminuta eſt populi, qui ſe ingerit, copia, nec ibi majus hodie, quam tunc, Regem inter & Oratorem loquentem, ſpatium licet reperire.

(48) *Verſaliæ) A Verſailles.* Nomen hoc habet a pago, qui ibi fuit. Quod quamvis Rex vellet mutatum in aliud, videlicet in *Ville neuve S. Louis*, id eſt, *Novam civitatem S. Ludovici*, obtinere tamen id non potuit, quantacunque polleat potentia ac poteſtate; ſiquidem conſuetudinis, qua homines locum veteri nomine ſalutabant, tanta vis erat, ut frangi aut ſuperari nullo poſſet modo. Vetus ædificium a LVDOVICO XIII. erectum, Rex, qua eſt erga Parentis opera pietate, non deſtruxit, ſed auxit novis ſuis, iisque ſuperbis & auguſtis. Idem etiam ſuo ære ſibi comparavit omnes veteris pagi domos caſasque, & hisce dirutis, fundum Aulicis obtulit, ut in eo ſuis ſumtibus ædificarent, ſed ad eum modum, qui ipſis delinearetur. Illi igitur Domino ſuo obedientiam præſtantes, paucis annis adeo eleganter & ſymmetrice domos confecerunt, ut non ſine ſumma voluptate contemplari queas. Sed quid dicam de pompa regiæ ſedis, & reliquorum ædificiorum, de nitore ſacelli, de ſtabulis, hortis, ambulacris, ſpelunca, ſtatuis, & aquæ tam ductibus, quam lapſibus luſibusque, in ſpecie de arcu triumphali, (qui eſt ipſius inventum Regis) de IV. anni temporibus, de Neptuno, de inſula, de alveo,

alveo, in quo navibus & triremibus devehi potes, de theatro, labyrintho & globo terræ, ex lapidum particulis ſcitiſſime fabrefacto? Nimirum

Omnia ſi luſtres alienæ climata terræ,
Non eſt in toto pulchrior orbe locus.

Deſcriptio ejus cum iconibus Gallice prodiit Lutetiæ Pariſiorum A. 1694. ſub hoc titulo: *La Deſcription du chateau de Verſailles.* Neque tanto Regi tantas opes, tantasque delicias invidemus; ſed quod Verſalia Palatina, id eſt, urbs & arx Manhemienſis in Palatinatu ad Rhenum, quæ non quidem immenſis ſumtibus, ſymmetria tamen & elegantia ædificiorum cum Verſalia Galliæ certavit, adeo crudeles manus Manesque ab irato Marte paſſa ſit, hoc vero eſt, quod dolemus acerbiſſime, & omnes Germani antiqua virtute & fide nobiscum dolebunt.

(49) *In curiis.*) Vt in Ratisbonenſi:

Ein jeder Raths-Herr/ der da gaht
Von ſeines Amtswegn in den Rath/
Soll ſeyn ohn alle böſe Affect/
Dadurch ſein Hertz nicht werd bewegt/
Als/ Freundſchafft/ Zorn/ und Heucheley/
Neyd/ Gunſt/ Gewalt/ und Tyranney/
Und ſeyn durchaus ein gleich Perſon/
Dem armen als dem reichen Mann/
Durch Sorgen für die gantz Gemein/
Derſelben Nutz betrachten rein/
Denn/ wie er ri[illegible]vird auf Erden/
So wird i[illegible]tt auch richten werden/
Am jüngſten Tag/ nach ſeinem Rath/
Den er ewig beſchloſſen hat.

In Auguſtana: *Publico conſilio, Publicæ ſaluti,* A. MDCXX. In Wormatienſi extabat: *Audiatur & altera pars.* Et in Heidelbergenſi: *Qui conſilium dat, præſtare fidem, non*

eventum debet. In Francofurtensi legitur: Eines Mañs Rede/ halbe Rede / Man soll sie billig hören beede. In Coloniensi, (nec non Bremensi) & quidem in janua Concilii, ad introitum:

Ingressu affectus omnes ante ostia linque,
Et dic judicii libera vota tui.

Ad exitum:

Egressu expedias studio commissa fideli,
Et quæcunque palam sunt nocitura, tace.

Forinsecus in frontispicio: *M. Vipsanio L. F. Agrippæ, qui Octavii Imp. Aug. gener, ejus in Pontif. ac trib. pot. imperioque collega factus, & successor ab eo delectus, Senatum Populumq; Vbiorum trans fl. Rhenum in hanc citeriorem ripam traduxit, urbemq; hanc auspicato opportunissimoq; a primis fundamentis loco condidit, mœnibusq; firmissimis cinxit, atque variis publicis operibus & illustribus monumentis ornavit, Cos. S. P. Q. Agrippinensis post tot secula fundatori suo grati.* Item: *Fl. Val. Constantino Max. Aug. P. F. Constantii F. Imp. invicto, quod ad immortalem Imperii R. gloriam, ac limitis summam utilitatem & ornatum, factu difficilem lapideum pontem exercitui, cum liberet, adversus Francos, ne in Galliam transirent, traducendo, ipse heic utramque Rheni ripam, Agrippinensem quippe Francicamque, conjungendo muniens, imposito quasi flumini in hosteis jugo, construxerit, S. P. Q. Agripp.* Ad dextram: *C. Jul. Cæs. Quod Vbiorum Principes, Senatum Civitatemq; eorum trans-Rhenanam amplam atque flor* domi, *a finitima Suevorum gente longe maxima, Germa*mplarij *omnium bellicosissima, injuriis, bellis & obsidione pressam, in amicitiam fidemq; S. P. Q. R. recepit, & exercitu Rom. per geminatos pontes sublicios a se perquam celeriter confectos ex Treviris trans Rhenum in Vbios C. Pompejo & M. Crasso Cos. traducto liberârit, Senatus Populusq; Vbiorum.* Et: *C. Octavl Cæs. Imp.*

Imp. P. P. Augusti æternæ memoriæ, ob Principes, Senatum Populumq; Vbiorum, ejus auspiciis ex vetere trans-Rhenana sede in hanc citeriorem Rheni ripam per M. Agrippam generum, orbe terra mariq; pacato, feliciter traductos, Senatus Populusq; Vbiorum. Ad sinistram: *Imp. Cæs. F.L. JVSTINIANO P.F. Aug. gratiæ testandæ, quod fœderatos Quiritibus Agrippinenses præclaris olim juris Italici, propter perpetuam in Rom. Imperium fidem, beneficiis donatos, id eis fortissimus religiosissimusq; Imp. universo etiam legum corpore, ad ampliorem justitiæ reiq; publicæ totius orbis reformandæ cultum a se renovato consignarunt S. P. Q. Agripp.* Et: *Imp. Cæs. MAXIMILIANO Austriaco Ferd. F. Philippi N. Maximiliani Pronep. Friderici abnep. Augusto, Caroli V. Imp. genero, cum OTHO I. cognomento Magnus Imp. Germaniæ insigniores civitates, ac Coloniensem inprimis, liberas fecisset, & qui eum secuti sunt antiquis conservandis, novis insuper privilegiis eam ornârint auxerintve: tu vero, potentissime Imp. omnium anteriorum Cæsarea autoritate plenissime ea confirmaveris, pacem publicamq; quietem patriæ Pater difficillimo rerum statu paraveris, ea propter gratæ mentis instinctu, numini majestatiq; tuæ, cujus stirps longa antiquaq; Impp. serie consurgit, & invicta virtus sola pietate superata est, S.P.Q. Agripp. hanc tabulam ære publico devotus collocari jussit. MDLXXII.* In Harlemensi: *S. P. Q. H. Hanc sacram Themidos domum, Senatus sedem, ne temerato civis unquam. Anno MDCXXX.* In Delphensi:

Hæc domus odit, amat, punit, consecrat, bonorat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.

In Amstelodamensi: *Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.* Item: *IV. Cal. Nov. MDCXLVIII. quo compositum est bellum, quod fœderati Inf. Germ. populi cum tribus* PHILIPPIS, *potentissimis Hispaniarum Regibus, terra*

mariq;

mariq; per omnes fere orbis oras, ultra octoginta annos fortiter gesserunt, asserta patriæ libertate & religione, auspiciis Coss. Pacificatorum optimorum Gerb. Pancras, Jac. de Graaf, Sib. Valckenier, Pet. Schaap, Consulum filii & Agnati, jacto primi fundamenti lapide, hanc curiam fundarunt. Et in Lubecensi: *Discite justitiam moniti, & non temnere Jhovam.* Ac rursus: *Tuæ existimationis, legum, & ante omnia Dei memor esto.*

(50) *In foris.*) Vt in Bremensi, in scuto Imperatorio, quæ supra statuam CAROLI M. conspicitur:

Vryheitt/ do ick yu openbahr/
De Carll und mannig Forst vorwahr/
Deeser Stadtt gegeven hatt.
Deß danckett Gode/ iß mein Rath.

(51) *In turribus*) Vt in Anissensi, quæ in medio fori erecta est:

Aspicis exiguam, nec magni nominis urbem,
Quam tamen æternus curat amatq; Deus.
Hæc de Laureaco reliqua est: his Marcus in oris,
Cum Luca, Christi dogma professus erat.

(52) *In portis*) Vt in Bremensi versus Oldenburgum: *Conserva, Domine, hospitium Ecclesiæ tuæ.* In Gorichemiensi: *Civitas, in qua maxime cives legibus parent, & in pace beata, & in bello invicta est. Anno 1642.* Nec non in Hamburgensi versus Altenaviam: *Tutissimum civitatis monimentum concordia.* Et in altera facie: *Da pacem, Domine, in diebus nostris. 1663.*

(53) *In arcibus & castellis.*) Ante, quam secundo Rheno Bonnam adeas, conspicies Rudolphi secessum, seu castellum, Germanice dictum Rodolffs-Eck / quod ille, ut amatam suam, quæ in vicino latitabat monasterio, quotidie spectare posset, extrui curavit. Vnde lapidi hæc impressa inscriptio:

War

War Rodolff nicht ein Geck/
Dat he um eine Nonn ließ buen Rodolffs-Eck?

Et in arce Leidensi legitur: *Arcem hanc cum fundo vetustissimam illustrissimæ gentis Wassenariæ hæredium, cum Burggravii titulo, omniq; jure ei annexo, a Principe Lignæo, Wassenaræ Domino, XV. Kalend. Maji anni MDCLI. in jus S. P. Q. Leidensis, ære civitatis publico translatam, hac inscriptione Vrbis Coss. Guil. Paedts, Paul. Swanenburcb, Jac. van den Berch, Corn. Bruytevest, publice testatum voluerunt, Anno Domini 1653.*

(54) *In Gerontodochiis*) In Amstelodamensi quidem sequentes rhythmi:

Dees onse Lotery, Met hulp der Burgery,
Vord hondert dertich Grysen,
In dit huys nieu gebout, Daent ander twentich oudt,
En vier maer plach te spysen.

(55) *In ergastulis.*) Amstelodamense supra portam suam exhibet figuram hominis, qui curru, ferris, limis, aliisque id genus instrumentis onusto, vehitur, & indomitas feras currui junctas scutica percutit, atque ita ad obedientiam cogit, lemmate hoc adscripto: *Virtutis est domare, quæ cuncti pavent.*

(56) *In hortis.*) Vt in eo, qui est Lugduni in Gallia apud Franciscanos: *Noli concupiscere, credere, dicere, facere omnia, quæ vides, audis, scis, potes.* Et in alio, e regione monumenti Amantium:

Tecum habita, ut vivas, alibi quicunque moratur,
Non vivit. Viva est vivere vita sibi.

Item: *Subire in cœlum ex angulo licet. Exurge modo, & finge te quoque dignum Deo.*

(57) *In villis*) Ea, quæ in amœno colle prope Lugdunum Gallorum sita est, & vernaculo idiomate *la Ducbere* appellatur, sequentes continet sententias: *Rure tibi vivas,*

aliis dum vixeris urbi. Nec, vidisse semel, satis est. Pulchra, nisi abeundum esset. Intravi, ut exirem.
In templis) Vt in Bremensi ad D. Mariæ: *Audito multa, loquere pauca.* 1589. Et in Mennonistarum Amstelodamensi: *Perfer & obdura.*

(58) *In Collegiis*) Vt in Casimiriano Heidelbergæ extabat: *Ingenuo labori & solertiæ D. D. Conlegium hocce Casimirianum, religionis orthodoxæ, doctrinæ exquisitæ, facundiæ singularis, artiumq; liberalium fontem & seminarium, posteris Principibus æmulationis exemplum, suiq; studI in Academicos, munificentiæ in studiosos, auctarI conlati in egenos testimonium, ad æternitatem Palatini nominis, a fundamento exstrui fecit absolvitq; Princeps providentissimus, eruditorumq; amantissimus JOH. CASIMIRVS, Palatinus ad Rhenum Comes, Dux Bojorum, Friderici IV. Tutor ac Reip. Administrator, Anno Christi MDXCI.* Et in Sapientia: *D. O. M. A. Serenissimi Electoris CAROLI LVDOVICI, Collegii Sapientiæ Restauratoris gloriosæ clementiæ, Illustrium Rerumpublicarum, Tigurinæ, Bernensis, Schaphusianæ pietati munificæ, nobilis Ludovici Geerii liberalitati eximiæ, Danielis Tossani sollicito provisui Sacrum, Rectore Vniversitatis Joh. Henr. Hottingero Tigur. SS. Theol. D. & Prof. collegii Ephoro P. F. Anno salutis reparatæ MDCLVI.* Et in introitu Auditorii Theologici:

Hanß von Laudebach ist mein Nahm/
Die ersten Bücher druckt ich zu Röm/
Bitt vor mein Seel/ GOtt gibt dir Lohn.
Starb 1514. auf Sanct Steffan.

In Augustano, quod appellant Candidatorum Academiæ, hodienum legitur: *Deo uni essentia, trino personis, maximo, optimo, sanctissimo, Ecclesia Christi, Confessionem Augustanam profitens, pio voto hanc domum consecravit,* A. R. O. 1581. In Anatomico Leidensi:

Victu-

Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.
Vivere da recte, da bene, Christe, mori.

(59) *In Academiis & Scholis.*) In Academia Groningensi: *φροντιστήριον pietatis, virtutis, bonarum literarum studiis dicatum.* In Schola Lipsiensi S. Nicolai:

Auspiciis, bone Christe, tuis schola surgit amœna.
Fac, sonet ut laudes tempus in omne tuas.

In Bremensi: *Illustris Schola Bremensis. 1615.* ה א *Lux & Integritas. Venite, filii, auscultate mihi, timorem Domini docebo vos. Mens, lingua, manus curanda.* Et in Hamburgensi: *Recta orbis educatio, fundamentum Reip.* A. 1669.

(60) *In Bibliothecis*) In Hamburgensi: *Pietas & literæ, fulcra Reip.* In Augusta:

Sumtu me multo Dominus studioq; perornat,
Vt sim culta bonis Bibliotheca libris.
Spectatum admissus, probitatis munia servet,
Ne quid deformet, surripiatvé mihi.
Ordine quæq; videt, quo nunc digesta, reponat,
Ne sint diversis post repetenda locis.
Vrgenti Dominus si quidquam commodet, illud
Integrum ut accipiat, non monitus referat.
Si quædam inveniet non prorsus grata palato,
Judicioq; nimis forte probanda suo,
Sese contineat placide, tacitus meditetur:
Insunt & scriptis turpia menda meis.
Hanc quisquis legem contemnes, Bibliotheca
Abstine ab alterius: volve, revolve tuam.

Et in Mariana Vltrajecti:

Pro Christi laude, libros lege, postea claude.

(61) *In sepulcris.*) Juvat heic commemorare quatuor insigniores, videlicet Obdami in vetere templo Hagensium, JOH. CASIMIRI, Regis Poloniæ, in Abbatia S. Germani, Cartesii in æde Genevievensi, & Gassendi ad D. Ni-

colai Campestris, Lutetiæ Parisiorum. Prima sic habet: *Honori & gloriæ herois illustrissimi, & ex vetustissima nobilitatis Batavicæ stirpe per continuam & legitimam successionem prognati, Dn.* JACOBI, *Dynastæ de Wassenaer, Domini in Obdam, Fœderati Belgii Archithalassi, rebus præclare terra mariq; gestis non tantum in Athlantico oceano, unde sparsa fugataq; Lusitanorum classe, magnaq; onustus præda domum rediit, sed & in freto Baltico, ubi pulsis adversariis & insigni parta victoria, laboranti Daniæ succurrit, & simul majestatem Reip. asseruit & stabilivit, ac tandem contra universam Regiam Anglorum classem cum paucis fortissime dimicans, & undiq; cinctus, ne sic quidem cessit hostibus, sed magna prius edita strage, incensaq; demum prætoria navi, herculeo exemplo flammis viam sibi ad Superos paratam invenit, anno ætatis LV. Illustrissimi & Potentissimi Fœderati Belgii Proceres viro fortissimo optimeq; de Rep. merito monumentum hoc posuere, anno reparatæ salutis MDCLXVII.* Secunda:

Æternæ memoriæ Regis Orthodoxi.
Heic post emensos virtutis ac gloriæ gradus omnes
quiescit nobili sui parte
JOHANNES CASIMIRVS
Poloniæ & Sveciæ Rex,
Alto e Sagellonidum sanguine Familia
Vasalensi
Postremus, quia summus literis, armis,
pietate.
Multarum gentium linguas addidicit,
Quo illas propensius sibi devinciret,
Septendecim præliis collatis cum hoste
signis,
Totidem uno minus vicit, semper invictus.

Mosco-

Moscovitas, Svecos, Brandenburgenses,
Tartaros, Germanos armis,
Cosacos aliosq; rebelles gratia ac beneficiis expugnavit,
Victoria Regem eis se præbuit, clementia Patrem.
Deniq; totis viginti imperii annis fortunam virtute vincens
Aulam habuit in castris, palatia
In tentoriis, spectacula in triumphis.
Liberos ex legitimo matrimonio suscepit,
Queis postea orbatus est,
Ne, si se majorem reliquisset, non esset
ipse maximus,
Sin minorem, stirps degeneraret.
Par ei religio ad fortitudinem fuit, nec segnius
cœlo militavit, quam solo.
Hinc extructa monasteria, & nosocomia Varsaviæ, Calvinianorum fana in Lithuania excisa,
Sociniani regno pulsi, ne Casimirum
Haberent Regem, qui Christum Deum non haberent.
Senatus a variis sectis ad Catholicæ fidei communionem adductus,
ut Ecclesiæ legibus continerentur,
qui jura populis dicerent,
Unde illi præclarum Orthodoxi nomen
ab Alexandro VII. inditum.
Humanæ deniq; gloriæ fastigium prætergressus,
cum nihil præclarius agere posset,
Imperium sponte abdicavit Ao. 1688.
Tum porro lacrymæ, quas nulli regnans excusserat, omnium
oculis manârunt,
Qui abeuntem Regem non secus, atq;
obeuntem Patrem, luxêre.
Vitæ reliquum in pietatis officiis cum exegisset,
Tandem audita Cameneciæ expugnatione,
ne tantæ cladi superesset,

Caritate patriæ vulneratus
Occubuit XVII. Cal. Jan. MDCLXXII.
Regium Cor Monachis hujus cœnobii, cui Abbas
præfuerat, amoris pignus
reliquit,
Quod illi istboc tumulo mœrentes condidêrunt.

Tertia:

RENATVS DESCARTES,
Vir supra titulos omnium retro Philosophorum,
Nobilis genere, Armoricus gente, Turonicus origine,
In Gallia Flexiæ studuit,
In Pannonia miles meruit,
In Batavia Philosophus delituit,
In Svecia vocatus occubuit.
Tanti Viri pretiosas reliquias
Galliarum percelebris tunc Legatus Petrus Chanus
Christinæ sapientissimæ Reginæ, sapientum amatrici,
invidere non potuit, nec vendicare patriæ;
Sed quibus licuit cumulatas honoribus
peregrinæ terræ mandavit invitus,
An. Domini MDCL. mens. Febr. æt. 54.
Tandem post decem & septem annos,
In gratiam Christianissimi Regis
Ludovici XIV.
Virorum insignium Cultoris & Remuneratoris,
Procurante Petro Dalibert,
Sepulchri pio & amico violatore,
Patriæ redditæ sunt,
Et in isto urbis & artium culmine positæ
Vt, qui vivus apud exteros otium & famam quæsierat,
Mortuus apud suos cum laude quiesceret,
Suis & exteris in exemplum & documentum futurus.
I nunc Viator,

Et di-

Et divinitatis immortalitatisq; animæ
Maximum & clarum assertorem
Aut jam crede felicem, aut precibus redde.

Quarta: *Petrus GASSENDUS, Diniensis civis, ejusdem Ecclesiæ Præpositus, S. Theol. Doctor, in Academia Parisiensi Regius Mathematicus Professor, heic requiescit in pace, qui natus est A. C. 1592. die Januarii 22. obiit A. 1655. die 23. Octobris, depositus est die 25. Henricus Ludovicus Hubertus de Montmor, libellorum supplicum Magister, viro pio, sapienti, docto, amico suo & hospiti posuit.*

(62) *In viis publicis.*) Vt ad D. Mariæ fonticulum, (zu unser L. Frauen-Brünnlein) Steinam inter & Cremesiam, quas Danubius alluit, in via est crux, cum istis rhythmis:

Die Bildnuß ist Gott selber nit/
Er wird allein bedeut damit:
Diß Bild sieh' an / und richt dein Sinn
An den/ so bedeut wird darinn.
Anno 1610.

Et in via Oenipontana prope Griessam, cum CAROLI V. Imp. & FERDINANDI, se invicem salutantium, imaginibus: *Imp. Cæs. Carolo V. P. F. Aug. ex Hispaniis Italiaq; susceptis Imperialibus coronis, advenienti, & Ferdinando, Hungariæ Bohemiæq; Regi, e Pannoniis occurrenti, optimis Principibus, ad perpetuam publicæ lætitiæ memoriam, quod fratres ante ann. VIII. digressi, summis inter mortales honoribus, regnis triumphis aucti, hoc in loco salvi sospitesq; convenerunt, Anno salutis MDXXX.*

Frid. Franzius a Monte Niveo
Stenaci præfect. mandato Regio
F. C.

(63) *Bibliotheca Hamburgensis.*) Philologicis præcipue scriptis, & Lucæ *Holstenii* libris instructa. In eadem monstra-

monſtratur *flos ferri*, & *cochlea marina*, quam natura formavit, ut pateram; & manubrio ejus, ſerpens inſidet.

(64) *Lipſienſis.*) Multa continens *MSS.ta* quorum Catalogum edidit ſingulari & pietate & eruditione inclytus Fellerus. Habet etiam volumen Epiſtolarum, propriis præſtantiſſimorum hujus & ſuperioris ſeculi virorum, ut Scaligeri, Hug. Grotii, Meurſii, Scip. Gentilis, C. Rittershuſii, Piccarti, Voſſii, aliorumque manibus ſcriptarum, nec non exemplum idoli Thuringici, cujus ἀρχέτυπον æneum Sondershuſii ajunt aſſervari. Huc etiam tranſlati ſunt *libri Hülſemanniani*, in quibus ea, quæ adſcripſit B. Vir, ut in Annot. H. Grotii in libb. Evang. G. Calixti Refut. Weller. & aliis, notari merentur.

(65) *Jenenſis.*) In qua *Alcoranus*, in membrana ſcriptus: *volumen precum*, quod Turcæ capſulæ incluſum in via ſecum portare ſolent: *Lutheri N. T.* quo uſus in ſuggeſtu, ad textus prælectionem: Ejusdem *verſio Bibliorum*, cum propriæ emendatione manus: Duo libri *Miſſales*, FRIDERICO Electori Saxoniæ a Papa Rom. donati, in quorum altero carpentum cum quadriga equorum pictum adeo ſubtiliter, ut ne exignæ quidem muſcæ menſuram excedat: duo *Bibliorum volumina*, membranæ impreſſa, & a Luca Kranachio illuminata, quibus glorioſæ memoriæ Fridericus in captivitate ſua uſus eſt: & *Biblia Vandalica.* Magnum quoque nacta eſt incrementum per libros *Boſii* & *Sagittarii*, nec minus ornamentum per numiſmata Boſii, quæ ad Sagittarium, & inde in laudatam pervenerunt Bibliothecam.

(66) *Auguſtana.*) Multis ditata MSS.tis, quæ Spizelius recenſet in Sacr. Biblioth. illuſtr. Arcan. retect.

(67) *Monacenſis.*) Cujus non minima pars ſunt libri politici Comitis *Kurzii.* Oculis ſpectantium etiam exhibetur

betur *Evangelii S. Johannis initium*, MAXIMILIANI Electoris manu ſcriptum dicam? an pictum: nihil enim hac ſcriptura facile datur elegantius: item Theoph. *Raynaudi* Opera Theologica, de quo notabile erat Patris Jeſuitæ judicium: *autorem illum ejusmodi uti ſtylo ſeu calamo ſcriptorio, ut eum in igne videatur intinxiſſe.* Confer. Morhofii Polyhiſt. c. 16. p. 179.

(68) *Argentinenſis.*) Inter cujus MSS.ta comparet *Theophylactus* in Prophetas minores, *Florus* hiſtoricus, cui tamen initium deeſt, duo volumina *ſcriptorum & epiſtolarum* Argentinenſium Theologorum ad alios, & horum vicisſim ad illos, *Biblia Hebraica* cum notis Maſoreticis, animalium figura ex parte effigiatis, *Virgilius* cum notis veterum, in margine appoſitis, atque *Ovidii* epiſtolæ. Quos duos ultimos codices deperiit, & pro numerata pecunia, ſed fruſtra, expetiit doctiſſima Suecorum Regina, atq; heroina incomparabilis, CHRISTINA.

(69) *Tigurinarum par nobile.*) Carolina videlicet, & Publica. Illa nomen fert a CAROLO M. & poſſidet MSS.ta *Pellicani & Bibliandri*, *Auguſtini* Commentarios in librum Pſalmorum, nitidisſime ſcriptos in membrana, atque in ſimili *Biblia Latina*, quæ CAROLUS M. Canonicis donavit; nec non *Lactantium*, Romæ editum A. 1470. hoc eſt, librum inter primos, qui Romæ excuſi ſunt, numerandum. Oſtenduntur quoque *Beitavii* Comment. in Alcoranum, elegantisſime pictus, *Hoblbeinii menſa*, Moriam Eraſmi repræſentans, & *mappa topographica* ditionis Tigurinæ adeo exacta & accurata, ut ne ipſæ quidem moletrinæ & agrorum termini ſint præteriti & omiſſi.

(70) *Sangallenſis.*) In qua MSS.ti fere omnes Patres Latini, multi S. Scripturæ commentatores, nec non rituales, & auctores profani non pauci; ſpeciatim *Servius* in Virgilium: item *Salomonis*, Abbatis quondam Sangallenſis,

Vocabularium, *Glossarium* Psalmorum, *Rabanus Maurus* de Computatione Ecclesiastica, Psalterium a *Folchardo* monacho nitidissime scriptum, & quoad literas initiales pictum diligentissime, ac Flores *Flori*, presbyteri, ex Augustino super epist. Pauli ad Romanos, qui liber in Bibliotheca Patrum non exstat. Ibidem complures delitescunt *Sanctorum vitæ*, hactenus ineditæ; nec *terrestris globus*, in quo & cœlestis, concinnatus a Luca Stöcklino, pharmacopola Constantiensi, sua laude privandus est.

(71) *Genevensis.*) Vbi videbis *versionem S. Codicis Gallicam*, ante quatuor & amplius secula factam; *Calvini* ad Lutherum epistolam sub dato 12. Calend. Febr. anni 1545. & aliam *Cyrilli*, Patriarchæ Constantinopolitani, scriptam A. 1636. ad Senatum, Professores & Ecclesiæ Ministros Genevenses, transmissamque per Ant. Legerum, tunc Ministrum Legationis Batavicæ ad Portam Ottomannicam, deinceps autem Professorem Theol. in hac celebri Allobrogum Academia. Atque in ea illos, ad quos scribit, *fratres* vocat, deque Calvino sic loquitur: (*L' Antichristo*) *fà paura alli simplici con il nome di Calvino, dottore santissimo e sapientissimo, che al cielo gode e participa con i Santi, che carissimi al loro Redentore.* id est: (*Antichristus*) *terret simplices nomine Calvini, Doctoris sanctissimi & sapientissimi, qui in cœlo beatitudine fruitur cum Sanctis, qui charissimi sunt ipsorum Redemptori.* In eadem epistola narrat, fuisse quendam, qui religionem simulans Græcam, sedem patriarchalem obtinuerit, atque aliquandiu possederit, tandem autem, detectis fraudibus, impostorem depulsum, eamque sibi restitutam fuisse. Nec deest ejusdem Patriarchæ MS.tum *de Fide & Confessione Græcorum*, quod postea impressum fuit, atque in lucem datum publicam.

(72) *Leidensis.*) De qua videndus liber peculiaris, qui prodiit sub titulo *Academiæ Leidensis*, & Benthem.

Holl.

Holl. K. und S. Staat Part. I. p. 82. qui & notabilia *Theatri Anatomici*, ex Jacobo Voomio in seqq. foliis recenset.

(73) *Augusta.*) Quæ Guelfebyti asservatur, & augustum hoc nomen habet a fundatore suo, gloriosæ memoriæ Principe, *AUGUSTO*, qui, ex vero Morhofii in Polyhist. c. 3. judicio, vere bibliotheca mortuæ suæ ἔμψυχος erat, immo ipsa ejus anima, verusque, quod in magna laude ponendum est, Bibliothecarius. Insignis illa est VII. Admirandis, quæ Conringius recenset in epist. de Biblioth. Augusta, ad illustrem Boineburgium scripta. Ibi etiam videre licet *librum Medicum Sinensem*, cujus charta ex serico confecta; *Biblia vulgata*, A. 1117. scripta, betulæque cortice vestita; *Phil. Melanchthonis* Annot. in epist. Pauli ad Corinth. propria ipsius manu exaratas; *Biblia*, quibus prædictus Sereniss. fundator olim usus, ejusdemque *effigiem*, non lineis, sed subtilissimis literarum ductibus ex dictis S. Scripturæ factam; ac repræsentationem *signorum Zodiaci* per corpus humanum, ita, ut caput sit arietinum, brachia constituant gemelli, dextram pectoris cancer, sinistram leo, umbilicum virgo libram tenens, & inguen scorpius occupet, sagittæ autem in femore, capri capita in genibus, & aquæ guttulæ, amphoram designantes, in cruribus conspiciantur, totumque isthoc corpus binis piscibus, qui globo terraqueo decussatim impositi sunt, insistat: &, quod maxime omnium mirandum, IV. vastos Bibliothecæ hujusdem *Catalogos*, quos propria Sereniss. Conditoris manus confecit. Nunc autem novus & accuratissimus totius Bibliothecæ index, excellentissimi viri consilio, studiose conficitur.

(74) *Vindobonensis.*) Cæsarea nempe, eaque instructissima. Cui accessit magna pars incomparabilis bibliothecæ *MATTHIÆ HUNNIADIS*, & paucis ab hinc annis bibliothecæ *Budensis* MSS.ta, quæ felici urbis expugnatio-

gnatione, barbarorum unguibus ſunt erepta. Vid. Lambecius in Comment.

Ad pag. 707.

(75) *Jeſuitica.*) Cujus Syſtema edidit Joh. Garnerius A. 1678. Et univerſa quidem in IV. partes diſtributa eſt, quarum prima eſt Theologia, ſecunda Philoſophia, tertia Hiſtoria, quarta Juris doctrina. *Theologia* exhibet varias ſacrorum Bibliorum editiones ac verſiones, eorumque explanatores, bibliothecas Patrum, ſcripta Scholaſticorum, & libros polemicos, morales, myſticos, atque homileticos. *Philoſophia* libros philoſophicos proprie dictos, item mathematicos, medicos, grammaticos, oratorios, poëticos, & philologicos. *Hiſtoria* geographicos, chronologicos, libros hiſtoriæ univerſalis, hiſtoriã eccleſiaſticam V. & N. T. cum totius, tum particularium Eccleſiarum, nec non hiſtoriæ peregrinæ, gentilitiæ, iconologicæ, naturalis, artificialis ſeu philologicæ, & fabuloſæ ſcriptores. *Doctrina Juris* libros ad Jus tam civile, quam eccleſiaſticum pertinentes, quorum illi ad Jus referuntur vel antiquum, vel Romanum, vel Gallicum, vel exterum, vel Gentium; hi autem complectuntur Concilia, Decreta ſummorum Pontificum, & Commentarios ac tractatus de humanis ac divinis officiis.

(76) *Lamoniana.*) Præſtantiſſimus ejus bibliothecarius, Bailletus, & *Indicem Bibliothecæ*, & *Epiſtolam* de eo, quæ Judiciis ipſius de Autoribus ſubjuncta eſt, publicavit, atque in ea ordinis ſui rationem luculente expoſuit. Et hinc debitis laudibus effertur a Morhofio Polyhiſt. l. 1. c. 5.

(77) *Victorina.*) *A S. Victor.* Quæ inter celebratiſſimas numeranda, ſive raritatem, ſive multitudinem reſpicias, præcipue MSS.torum.

(78) *Germaniana.*) *A S. Germain*, ſeu in Abbatia S. Germa-

Germani, quæ est in suburbio. Reperies heic libros antiquissimos, & MSS.[ta], quæ, ut perhibent, paris cum Apostolis sunt ætatis.

(79) *Sorbonica.*) Sic dicta a fundatore domus, qui erat Robertus *Sorbonus*, cubicularius LUDOVICI Sancti. Quemadmodum autem Collegium hoc a Cardinali Duce *RICHELIO* decus & augmentum, ita ab eodem bibliotheca libros accepit suos. Summi hujus viri corpus sub majore repositum altari, epitaphium præ se fert, in quo inter alia hæc leguntur verba: *Jacet intra Sorbonam, qui jacentem Sorbonam evexerat. Reparavit antiquam, addidit novam, & bis autor Sorbonæ est. Vivit intra Sorbonam Richelius, quia intra Sorbonam nihil moritur.*

(80) *Colbertina*) Quatuor & viginti mille libris referta, pluribusque, ut eruditissimus mihi narrabat *Baluzius*, MSS.[tis] instructa, quam omnes reliquæ in urbe bibliothecæ.

(81) *Regia.*) Quæ in XIII. conclavibus asservatur, &, ex relatione nobilissimi *Carcavii*, librorum L. millibus constat, inter quos 14000. MSS.[ti] In eodem hoc sacrario thesaurus numismatum custoditur, qui continet IV. Ottones ex ære.

(82) *Hoc enim qui dicere ausit vel scribere.*) Vt Ludov. Jacobus, de quo Morhof. Polyhist. l. 1. c. 3.

(83) *Diversos ritus orantium & salutantium in templis.*) Sic in Dominica Palmarum rustici Sangallenses, Pontificiæ addicti religioni, in longis perticis frondes, poma, & siccata pira *in Ecclesiam deferunt*, ut benedicantur; & fœminæ inter eos devotiores, nec minus Sacerdotes, expansis *orant* brachiis. Argentorati fœminæ, nobilibus exceptis, in Dei domum venientes, vicinis *manus porrigunt*, atque ita salutationis ritu defunguntur; *precantes* faciem suam obvertunt altari, seu mensæ, quam altaris loco

habent, atque ad alterum ejus cornu viris & maſculis, ad alterum fœminis *S. Eucbariſtia*, generali publicaque, non autem ſpeciali privataque *peccatorum confeſſione* prævia, diſpenſatur. *Baptiſmum* ibidem ſic peragunt: Paſtor eccleſiæ (nam Diaconis non amplius licet baptizare) infantem linteis involutum in manum ſumit, ejusque pedes ſuo apponit pectori, & aqua non affuſa, ſed ter hauſta, frontem illius caputque tribus adſpergit vicibus, ita ut aqua pone caput defluat. Et *Stipendiarii* hujus Academiæ, quos Wilhelmitas vocant, nec non Tubingenſes, ad differentiam aliorum Studioſorum, altis pileis utuntur. Heidelbergæ in Eccleſia aulica ſtatim poſt præloquium, recitabat Concionator pias *preces* pro neceſſaria ad cultum divinum jam peragendum devotione. Lipſiæ laudabilis eſt mos in faciendis *nuptiis*, ut nimiis ſumtibus eatur obviam. Sponſus & ſponſa tenuioris ſortis, ille quidem binis viris, hæc totidem mulieribus cincta, pedibus eunt in eccleſiam; qui autem ſplendidioris conditionis ſunt, curru devehuntur, & finita concione ritu conſueto copulantur, ac poſtea, pro ratione facultatum ſuarum, conviviolum vel convivium inſtituunt. Ibidem infantes *baptizant* amictos togula, dum caput eorum aqua perfundunt. *Ordinationem* ſic celebrant: Ordinandus coram Superintendente genibus incumbens, atque ab eo interrogatus, an credat in Deum Patrem, Jeſum Chriſtum, & Spiritum Sanctum, an renunciet omnibus veteribus & recentibus hæreſibus erroribusque, an pie velit vivere, & cœtum ſuum fideliter docere ac paſcere, ad ſingula reſpondet affirmando. Tum prælegitur, quomodo ſe gerere debeat Paſtor in officio ſuo, eique datur poteſtas docendi, utendi duplici clave, & Sacramenta juxta Chriſti inſtitutionem diſpenſandi. Hoc facto Antiſtes Candidato manum imponit, ac benedictionem impertit, ſed absque voce ſenſibili,

bili, idem mox facientibus reliquis e Clero, qui aſſiſtunt. Deinde ſumit Ordinatus ſacra ſymbola, & panem quidem benedictum ad dextram, vinum autem conſecratum ad ſiniſtram altaris, ac reverſus ad locum priſtinum, iterumq; in genua prolapſus, ſolenni benedictione perfruitur, dum interea quatuor Scholaſtici albis induti, flexo poplite in ultimo altaris gradu ſe demittunt, & toto corpore adorant, quoties DOMINI, Benedicti illius, fit mentio. Duſſeldorpii, & in Belgio, *tabula nigra* cum Inſignibus familiæ depictis, muro domus ſupra fores affixa, indicium eſt, quendam in illa ſupremum diem obiiſſe. Sicut in Galliæ Eccleſiis paganis, ſi Patroni eorum ex hac vita diſceſſerint, *ligamen nigrum* appingitur muris extrinſecus, angulis autem inſignia, quibus ipſorum familia eſt decorata. Vltrajecti fit *baptiſmus* a Miniſtro Eccleſiæ, dum alius in ſuggeſtu, ubi concionem habuerat, permanens, preces ſacro iſti actui deſtinatas prælegit, qui & matrimonium inituros ex eodem *copulat*. Neque heic pompa videtur καὶ πολλὴ φαντασία, ſed ſponſus dilectam ſuam manu ducit in Eccleſiam, & ante umbonem inter alios conſidens, concioni audiendæ & piis vacat precibus, usque dum benedictionem impetrat ſacerdotalem, & hac impetrata eodem modo ſuaviſſimam Cajam ſuam domum reducit, atque cum aliquot neceſſariis moderatum & innoxium capit prandium. Amſtelodami autem illorum, qui non ſunt membra Eccleſiæ Reformatæ, *conjugium in Curia confirmatur* a Secretario Reipublicæ: hic enim, præſente aliquo Scabino, interrogat matrimonium inituros, an conjungi velint, &, ſi affirmaverint, eosdem jubet manus mutuo dare, & benedictione data dimittit: ubi tamen iis poſtea integrum eſt, conſecrationem nuptialem a ſuæ Eccleſiæ Paſtore petere, petitamque accipere. Dordraci Prædicantes non habent Eccleſias proprias, quibus unice addicti & alligati

alligati ſint, ſed modo heic, modo alibi *concionantur*. Mennoniſtæ in genua procumbentes, inclinatoque capite multa ſuſpiria ducentes, *orare* ſolent. *S. Cœnam* ad hunc fere modum adminiſtrant: Menſæ linteo ſtratæ ſuperimponuntur corbes albæ panibus azymis repletæ, poculisq; argenteis circumſeptæ. Ante illam duo ſtant Paſtores, non peculiari aliquo & ſacro, ut vocatur, ſed vulgari habitu induti, quorum unus oratiunculam habet de S. Cœna, & mox cum Collega circumiens per totum fanum, panemque e corbe, a famulo deportata, acceptum fractumq; ſingulis diſtribuit. Facta diſtributione ad S. menſam revertitur, atque Chriſtum ait inſtituiſſe, ut acceptus panis ederetur. Hinc omnes, qui acceperunt, demiſſis capitibus, factoque alto ſilentio, manducant. Poſtea de vino aliquid præfatur, idque in pocula infundit, infuſum propinat vicino ſuo, atque hic alteri, autem tertio, & ſic deinceps, eodemque modo a Collega adjuvatur. Quod *Quackeros* attinet ſeu Tremuantes, eorum ſacra hanc præ ſe ferebant faciem: Ingredientes in locum conventus, qui erat ſuprema ædium contignatio, tecto capite, nulloque præſentium ſalutato, ſedem capiebant. Vbi dimidia fere hora effluxerat, juvenis quidam ſurrexit, natione Anglus, & defixis aliquandiu in terram oculis, cœpit fari Anglice, quæ interpres ei vicinus, de phraſi ad phraſin Belgice reddebat. Erat autem ſermo ille parænesis ad pietatem, cæterum, ſi connexionem ſpectes, nihil aliud, quam ſcopæ diſſolutæ. Producto in ſesquihoram ſermone illo, idem juvenis in genua decidens, lamentabili voce precatiunculam recitabat, auditoribus partim geniculantibus, partim ora ad parietes vertentibus, & quaſi extra ſe raptis. In Gallia, ac præcipue Lutetiæ Pariſiorum, formoſiores ac lautiori fru-
entes

entes conditione, in festis majoribus *eleemosynam colligunt* pro pauperibus, atque eum in finem patinam argenteam in ecclesia circumgestant, vestibus amictæ optimis pretiosissimisque, ut forma & nitore suo expugnent corda dantium, ad largam erga pauperes beneficentiam. *Vespertinum officium* vigiliæ festi Circumcisionis Christi celebratur ab Archiepiscopo in choro ecclesiæ cathedralis, quæ sanctissimæ Mariæ, matri Domini, dicata est. Chorum ingrediens Præsul ille, benedictionem impertit, dum omnis populus in genua procumbit, & vel a satellitibus etiam procumbere jubetur, alta voce clamantibus, *a genoux!* id est, Demittite vos in genua. Præfertur ei crux & pedum pastorale, quorum illa ad dextram, hoc ad sinistram sedis elevatæ, atque holoserico violaceo exornatæ, quam occupat, rite collocatur. Dumque officium peragitur, duo Canonici, veste sacra amicti, in choro deambulare solent. Huc etiam pertinet, (quod ad devotionem alendam & conservandam apprime facit) *Ecclesiam Freudenstadianam* (appellata autem hæc urbs, antea a conditore suo nuncupata Fridericopolis, Freudenstadium sive urbs lætitiæ, ab exulibus, qui a Duce benignissimo heic recepti, & ob quietas sedes gaudio & lætitia perfusi fuerunt) in Ducatu Würtenbergensi, ad formam anguli, atque ita ædificatam esse, ut suggestus in medio, seu in extremo anguli constitutus sit, masculi autem & fœminæ intergerino pariete a se invicem divisi, nihilominus omnes concionatorem intueri possint. Et similem in modum facta est structura conclavis in *Xenodochio Amstelodamensi* illius, in quo mares & fœminæ conveniunt ad cultum Dei peragendum. Pie profecto ac prudenter. Atque utinam plura hujusmodi acroateria darentur, maxime iis in locis, ubi juventus vivit licentiosius!

Ad pag. 708.

(84) *Meliorem ſæpe ac ſaniorem doctrinam.*) Afferti hujus fidem ſalvare licet exemplo *Carræi*, Profeſſoris quondam Logices in Academia Heidelbergenſi, quippe qui vulgatum canonem: *Qui vult finem, vult etiam media, quæ ad illum requiruntur*, hunc in modum illuſtravit: Deus vult ſalutem, utpote finem hominum: ergo vult, ut homines etiam habeant fidem, per charitatem efficacem, fidem operantem, utpote quæ eſt medium perveniendi ad ſalutem; nam profani illi ſunt homines, qui dicunt, Deum prædeſtinaſſe quosdam ad ſalutem, ſive credant, ſive non credant, & benene, an male operentur.

Ad pag. 709.

(85) *Modum proponendi. &c.*) In Sorbona ſi Magiſter non ſatis diſtincte *dictet*, auditores licentiam ſibi ſumunt eum redarguendi, aut ſtrepitum excitandi vel pulſu pedum, vel comploſione manuum. Eodem in loco quando *diſputant*, toties repetunt argumentum, donec bene ſit comprehenſum. Et finiunt diſputationes absque gratiarum actione. Neq; etiam præfationes præmittunt Opponentes argumentis ſuis, ſed ſtatim & ἄνευ προοιμίου illa proponunt; isque, qui penſum abſolvit, & certamen certavit ſuum, exeundi habet captatque libertatem. Si quis eſt, qui *Baccalaurei dignitatem* prenſat, eum oportet aliquot defendere theſes, ſeu propoſitiones. Tunc plures ei objiciunt Baccalaurei, & unus poſt alterum, finito ſuo conflictu, ad dextram cathedræ ſe confert, ut in capſula appenſa deponat ſchedulam ſuam, quam, ſi improbet Candidatum, nudam & ſimplicem relinquit, ſi vero probaverit, unicum ei inſcribit verbum SVFFICIT. Hæc capſula aliquo poſt tempore reſeratur, ut appareat, an Candidatus iſtis honorum primitiis dignus, nec ne, fuerit judicatus.

Qui

Qui autem ſupremos in hoc illuſtrisſimo Collegio honores ambit, ab eo requiritur, ut tres annos impendat ſtudio theologico, quo obtineat Baacalaureatum, porro biennium, ad Licentiati gradum conſcendendum, & rurſus triennium, ad reportandam lauream Doctoralem. Adeo parci ſunt in diſpenſandis honoribus ac privilegiis, tantumque ſtudii & temporis præmittendum eſt, ut illa obtineantur. Neque etiam hoc eſt ſilentio prætereundum. *Rector Vniverſitatis Pariſienſis* quovis trimeſtri ex Philoſophis a Procuratoribus IV. Nationum (Francicæ nimirum, Picardicæ, Normannicæ, & Germanicæ, ſub qua ultima etiam comprehenduntur Angli, Scoti, Hiberni, Dani, & Sueci) eligitur. Tres reliquæ Facultates ſuos habent Decanos, qui Rectoris gubernationi & ipſi ſubſunt. *Anteceſſores* non aliud, quam Canonicum profitentur jus, Civilis doctrina Aureliam relegata. In promotionibus publicis *Rector antecedit* non modo Pares Franciæ, aliosque Proceres & Legatos, ſed Cardinales etiam, ipſumque Nuncium Apoſtolicum. Vrbem ingredientes Reges idem *excipit* primus, & in funere illorum cum Archiepiſcopo *procedit* Pariſienſi. Tanta heic *Studioſorum copia*, ut eorum numerus nonnunquam aſcenderit ad X. vel XX. immo etiam XXX. millia.

Ad pag. 710.

(86) *Exemplis comprobare poſſem.*) Novi ego aliquem, quem non pœnitet, nec pœnitebit unquam, ſalutâſſe & compellâſſe viros in Germania, Belgio, & Gallia celebriores, (ne quid de vivis dicam) partim etiam generis proſapia, munerumque & meritorum amplitudine illuſtres, *Ottonem ab & in Mauderoda, Wagnerum, Boeclerum, Schallerum, Seb. Schmidium, Gerlachium, J. Lud. Fabricium, Boineburgium, Petrum de Walenburch, Mauricium, Henr. Müllerum, Varenium, Sam. Voſſium, Gronovium, Hornium,*

Heidanum, Maresium, Altingium, Zwickerum, Felbingerum. Wisſowatium, Galenum Abrahamum, Sandium, Baluzium, Carcavium, Menagium, Adr. Valesium, Maimburgium, Turretinum, quippe ex quibus audire licuit, quis primus fuerit, qui Seren.mæ Reginæ Suecorum CHRISTINÆ, Conringium, atque inprimis editam ab eo Politicam Aristotelis, tanquam divinum ſcriptum, (quo tum nomine ille a Cancellario Regio reprehenſus) commendaverit, ſeque credere, Belgas doctiſſimos, qui hoc florent ſeculo, ſcientiam artesque optimas, quamvis id diſſimulent, ex Germanorum ſcriptis hauſiſſe. Certæ Academiæ Theologos laudem modeſtiæ mereri, at dolendum interim, quod inter diſputantes a rebus ventum ſit ad perſonalia, cum tamen res cum re, argumentum cum argumento debeat conferri. Patinum, Medicum Gallum, ob vulgatam de Regis amoribus hiſtoriam e patria ejectum; diſputationis Schragmüllerianæ non filium, ſed parentem, qui tamen invita ſtylum Minerva tractet, auctorem; cum civitate Noribergenſi, quoad præſtantiam & numerum artificum, nullam aliam in Imperio comparandam; & Carolum Sigonium de Senatu Romano ſcribentem, latere ſub nomine Joh. Zamoſcii. Vitum Dietericum, Linckium, Schopperum, Schröderum, Saubertum, tanquam patriarchas noſtros, in magno habendos pretio, & Bacmeiſterum, qui profeſſioni admotus fuit Roſtochienſi, optimum & piiſſimum fuiſſe Meclenburgenſium; nec Titii, Doctoris Academiæ Juliæ, lenitatem ſanis ingeniis unquam improbari. H. Grotium Scriptura eſſe uſum, non Scripturam Grotio, qui alioquin habeat in ſuis de J. B. & P. libris res non aſpernandas, eas præſertim, quæ ex profanis deſumſerit autoribus; & Wagenſeilium a Bœclero olim rogatum atque excitatum fuiſſe ad notas quasdam in loca Rabbinica a

Grotio

Grotio citata conſcribendas. Magnam in eum derivatam invidiam, qui anno 1664. a Seren.mo Electore Palatino miſſus Francofurtum ad Legatos utriusq; religionis, Lutheranæ videlicet & Reformatæ, ut cum iis de diſſidiis componendis ageret, ſapientiſſimumque Electorem dixiſſe, animadvertere ſe, omnes in Anglia turbas diſſidio Clericorum imputandas, ſeque vi voti, quod fecerit ante redditum Electoratum, obſtringi omnibus modis, ad impendendum ſtudium operamque, ut partes diſſidentes concilientur: hinc etiam nolle, ut ſententiæ privatorum Doctorum, Calvini, Bezæ, Zanchii, & ſimilium, in ſuggeſtu proponantur, ſed unicam normam agnoſcendam & ſequendam eſſe Scripturam ſacram. Placæum de divinitate Chriſti omnium optime ſcripſiſſe contra Socinianos, eiq; addi poſſe Coccejum, Cloppenburgium, Heidanum; Mareſium autem, Comenium, Arnoldum aliosque, in hoc argumento tanti non eſſe æſtimandos; Hackſpanii Diſtinctiones theologico-philoſophicas ante, quam oculos ſubirent ſuos, majoris pretii ſibi viſas eſſe; exiſtimâſſe enim ſe, doceri in illo libro, quomodo diſtinctiones philoſophicæ ad Scripturam intelligendam adhibendæ ſint: qui demum labor utilis eſſet futurus, ſi quis eo defungi vellet; denique Socinianos, ſatisfactionem Chriſti, quem pro nudo homine habeant, negantes, haud meliores eſſe Platonicis aliisve doctis Ethnicis, qui ipſi poſſint talem hiſtoriam de homine quodam conſignare & credere, qualem Sociniani tradant de Chriſto crucifixo & mortuo. In iisdem ſtyli elegantiam, & philoſophiæ rerumque ſacrarum notitiam non eſſe ſpernendam, ſed ipſos interim nimis audaces, quod primitivæ Eccleſiæ teſtimonia rejicere non vereantur; egregie contra illos ſcripſiſſe Petavium in loco de Incarnatione, nec non Hoornbeckium, ac Patrum noſtrorum ætate Joh. Junium; nec inter Lutheranos

nos facile reperiri, qui felicius cum adverſariis iſtis decertare poſſit, quam Joh. Muſæum; Spanhemium, Heidelbergæ docentem, eſſe Genevenſem h. e. aliquanto rigidiorem, moderatiorem autem & ſolidioris judicii, Fabricium, eumque videri parum recedere a partibus Remonſtrantium atque Independentium, & diligenter legere Molinæum; Sylviumque, Paſtorem Clevenſem, ſatis acute ſcripſiſſe contra Walenburchios. Ex ſententia Irenæi, Cypriani & Auguſtini, nullam juſtam cauſam eſſe ſchiſmatis: Lutherum ergo male feciſſe, nec SS. Patrum effatum obſervare eos, qui illum ſequantur, hodieque ſchiſma foveant; neminem niſi ſolum Lutherum fuiſſe excommunicatum, ſed reliquos omnes, cumprimis Principes, ab Imp. CAROLO V. monitos, ut in Eccleſia catholica manerent, vel ad eam redirent; Lutheranos in ſua juſtificatione non habere ſpiritum Chriſti, quandoquidem negent juſtificari hominem charitate, quæ *ſpiritus Chriſti* appelletur; non ſe negare juſtitiam imputatam, ſed hoc duntaxat, quod per eam primario juſtificemur, quandoquidem ratio denominationis vera & præcipua non extrinſeca, ſed intrinſeca ſit afferenda. Rationem tollendi Noſtratium diſcordias videri hanc optimam, ſi non colloquio, ſed ſcriptis rem agerent in uno aliquo loco, ubi diſceptantes conveniſſent; & Menzeri conſilium, quo is ajebat, inſiſtendum eſſe verbis Scripturæ, & repudiandos terminos ſcholaſticos, omne ferre punctum, hanc enim rectam eſſe viam perveniendi ad concordiam; fugiendas eſſe tricas Philoſophiæ, inprimis Ariſtotelicæ, & Theologiæ ancillari debere linguas, Hebræam præcipue & Græcam. Eum, qui aliquid præclari aliquando præſtare velit in ſtudio homiletico, non tam libris libellisve artem concionandi venditantibus, quam Sripturæ ſacræ meliorumque ejus interpretum, & Eccleſiæ Patrum, qui in illo excelluerunt, lectioni

ctioni debere incumbere; optimosq; ſacrarum literarum interpretes eſſe illos, qui tractationi ſanæ Philoſophiæ adjunxerint accuratam notitiam illarum linguarum, quibus verbum divinum primitus perſcriptum fuit. Arndii, Gerhardi, Lütkemanni & aliorum cum ipſis facientium ſcripta, ad pietatis exercitium eſſe oppido utilia, nec ſatis prædicari poſſe pietatem, prudentiam atque magnanimitatem ERNESTI, Seren.mi Saxoniæ Ducis. Georgii Richteri, Procancellarii Academiæ Altorfinæ, ſingularem eruditionem, incredibilem erga exteros humanitatem atq; beneficentiam ſummis in cœlum laudibus extollendam, facundiſſimosque in Eccleſia Noribergenſi Tractatores ſuo tempore fuiſſe Saubertum & Cornelium Marci; nec conſultum, ut quis in regionem aliquam ſecedat, cujus vernacula ipſi ſit ignota, neque credendum, auxilio communis Mercurii, h. e. Latinæ linguæ, defectum illum penſari poſſe; fuiſſe namque, qui in inſula ab orbe diviſa, Præfecto illuſtris Collegii fere ad horam Latine locutus ſit, varia narrans & ſciſcitans, ſed hunc piſce magis mutum, ne verbulum quidem reſpondiſſe. Notas in Sulpitium Severum, nec non Hiſtoriam Eccleſiaſticam, inter Horniana ſcripta, pro melioribus agnoſcenda eſſe. Pacem colendam cum iis, qui nolint; tolerantiam vigere inter nos debere, donec Deus revelet, quæ nunc non poſſimus capere; placere ſibi conjungere, etiam quoad effigies, Eraſmum, Lutherum & Calvinum, qui alias male disjungantur, nam Eraſmum glaciem fregiſſe, Lutherum auſum eſſe, Calvinum expoliviſſe. Mauricium, Kilonienſis Athenæi profeſſorem, eſſe virum doctiſſimum; improbandamque tantam Academiarum copiam, præſertim in Germania; voculam γὰρ in N. T. bis poni pro Hebraico כי *quamvis*, ut Joh. IV, 44. & ad Rom. V, 7. multos quoque in eodem eſſe Helleniſmos, ut Joh. VII, 44. *ἐν παῤῥησίᾳ* *in pu-*

in publico, hoc eſt, publice; nullos fere bonos dari Grammaticos inter Judæos æque, ac Chriſtianos, atque hinc fieri, ut ſæpe non recte interpretentur Scripturam Vet. Teſtamenti; audiviſſe ſe, quod quidam Lipſiæ editurus ſit Apologiam fabularum Judaicarum, nec enim credendum, Judæos tam fuiſſe ſtupidos, ut in fabulis ſuis nihil aliud intenderint, quam quod earum litera præ ſe fert, ſed potius eos feciſſe more Orientalium, res ſuas obſcuris & involutis dictis occultantium; nec recte a Chriſtianis exſibilari Judæos, dicentes, Evam concubuiſſe cum Sammaële, atque ex eo ſuſcepiſſe Cainum, cum & idem illud dicat Scriptura Matth. III, 7. XXIII, 33. 1. Joh. III, 12. quæ loca commode exponi nequeant, niſi hæc Judæorum ſententia præſupponatur. Nicolai Hunnii Conſultationem optimum eſſe librum; neque ob perſecutionis, & turbarum fructu carentium metum, confeſſionem veritatis intermittendam, hanc enim nunquam ſine fructu fuiſſe, etiamſi confeſſores in exilium ejecti fuerint, aut etiam neci traditi. In Rep. libera licitum debere eſſe, libere ſentire; neque ſe cum Socino, cui alioquin adſtipuletur, facere poſſe in doctrina de ſatisfactione Chriſti. Non recte fieri, quod Theologia tam prolixe & intricate proponatur, ſed meliorem eſſe hanc methodum, ſi credere jubeantur homines, eſſe Deum, eundemque eſſe juſtum, fidelem in ſervandis promiſſis & exequendis comminationibus, omnipotentem, omniſcium &c. & JESVM eſſe Chriſtum: quibus ſi addatur Symbolum Apoſtolicum, jam omnia haberi credenda; Ethnicos cognitionem illam de Deo habuiſſe ex traditione, nam conſtare ex hiſtoria, quod Græci a Pythagora, Pythagoras ab Ægyptiis, Ægyptii ab Iſraëlitis multa acceperint; nullam inter diſſentientes Chriſtianorum partes poſſe ſtabiliri concordiam, niſi

Confeſ-

Confessiones particulares exterminentur aut seponantur; nec quidquam pro articulo fidei obtrudendum, nisi quod aperte in Scriptura S. expressum; neque etiam dissentientes, e societate civili aut ecclesiastica protinus ejiciendos, sed Deum potius orandum, ut omnibus veritatem patefaciat; & ex cap. XI. epistolæ ad Rom. universalem Judæorum conversionem exspectandam esse, ac futuram aliam Ecclesiæ faciem, quam quæ sit hodie, vitiis hominum tantopere deformata. Omnes animas ab initio simul fuisse creatas, quarum singulæ a Deo in corpus, tanquam in carcerem, immittantur; Adami animam & omnes reliquas ante peccâsse, quam cum corporibus unirentur, eo nimirum tempore, quo peccârunt Spiritus quidam cœlestes, & propter id non tantum Adami animam, sed & reliquas omnes in pœnam incarnari, hominisque hanc esse definitionem, *Homo est Spiritus rationalis incarnatus*, nam corpus non esse partem substantialem hominis, sed accidens & instrumentum animæ, neq; habituros fuisse homines corpora, nisi peccâssent animæ, nec redunitum iri aliquando corpora animabus humanis. Mezeræum omnium, qui historiam scripserunt Gallicam, esse quidem optimum, sed tamen multa in eo jure meritoque desiderari; neque nimium tribuendum illis scriptoribus, qui *les Galanteries*, h. e. venustates, & dulce præ utili sectantur, jucunditateq; magis, quam rerum pondere placere student, atque adeo peccare Germanos, qui magni tales æstiment, & inde, quasi ex quantivis pretii thesauro, mutuo quædam sumant. Medicum Anglum, Talbotium, a febrifugo remedio, non Lutetiæ tantum, sed passim in Gallia aliisq; orbis partibus clarissimum, illud acceptum debere ferre Sydenhamo, qui duas scripserit epistolas, alteram de Morbis Epidemicis, de Lue venerea alteram, & in prio-

re contineri illud ipſum remedium, quod tantam celebritatem nomini Talbotiano conciliârit. Non eſſe conſultum, ut vocabula Gallica ad eum plane modum, quo pronunciari ſolent, etiam ſcribantur, ſic enim fore, ut omnia deinceps pereant veſtigia derivationis ex lingua Latina. Joh. Launoium, Theologum Pariſienſem, cum ſuis ſcriptis majorem habere, quam mereri famam, illa quippe maximam partem conſtare excerptis; baſilicæ nomen Gallicum, *le Louvre*, videri originem habere a fundamento, quod ſic fuerit dictum; ſicut contiguus hortus, a tegularum officinis, *les Tuileries* nuncupetur. Papam Rom. offenſum Lutheraniſmo Maimburgii, eo fortean, quod Cæſari poteſtatem temporalem, juxta illud Evangelii, *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, tribuerit, juſſiſſe auctorem diſcedere e conventu Jeſuitarum, ſed ipſum jam melius vivere, lauteque tractari a Rege munificentisſimo, nec meliorem eruendæ, ac propalandæ veritati conditionem vel votis deſiderare potuiſſe. Denique non de nihilo eſſe, quæ de Græcorum cum Reformatis conſenſu dicuntur, quandoquidem famæ hujus fidem ſalvare poſſint monumenta in Bibliothecæ Genevenſis ſcrinio ſolicite aſſervata. Atque hæc ex eruditione & doctrina clarorum hominum diſcurſibus privatis (quo etiam merito referuntur *les Conferences*, ſeu conventus & collationes eruditorum, quales in domo ſua, ſingulis hebdomadibus, præter alios inſtituebat Menagius, Apollini Muſisque charisſimum pectus) recitare volui, non quod exiſtimem omnia illa probanda eſſe, (nam ſunt bona mixta malis, ſuæque auro adhærent ſcoriæ) ſed ut oſtenderem, peregrinanti meo Studioſo eruditionem ſingularem, ad impetranda virorum doctorum colloquia, nec exiguum judicium, ad diſcretionem boni & mali, neceſſari-

cessariam, omnia vero audita, sive ut retineantur, sive ut ad veritatis regulam examinentur, in codicillos & chartam referenda esse.

Si quis plura & rectiora.) Talem, quod ad memorabilia Hollandica attinet, omnino esse video, gaudeoque, & eidem hoc nomine gratulor, Henr. Ludolff. *Benthemium*, piæ laudandæque curiositatis virum, qui in eximio & peregrinantibus utilissimo libro de *Hollandicarum Ecclesiarum & Scholarum Statu*, ea abunde supplet, quæ apud nos, pro instituti nostri ratione, non reperiuntur. Vtinam idem, eive similis alius, nobis etiam daret Ecclesiarum & Scholarum Germanicarum Gallicarumque Statum, pari studio conscriptum & concinnatum!



ORATIO IV. DE PIETATE ET PRUDENTIA DIVI JULII

in condendis Statutis Theologicis Academiæ Suæ.

Recitata in panegyri academica *A. 1698. IIX. Decemb.*

Magnifice Dn. ProRector,

Professores omnium ordinum celeberrimi, Venerandi & suavissimi Hospites,

Lectissimaq; cum natalium splendore, tum virtutis & eruditionis cultu ornatissimorum Studiosorum Concio & corona.



Quamvis non ita frequentes, in Ordine theologico inclytæ hujus universitatis JULIÆ, fuerint promotiones, ut alibi, non tamen nullæ fuerunt; & tales quidem, qualium nos

nos neutiquam pudere oportet. Non enim indignis, & indoctis, sed virtute ac eruditione conspicuis, & in ecclesiastico vel academico munere optime jam versatis viris, adeoque ex merito, collati fuerunt honores. Et verbis hisce facile assensum præbebitis, Auditores optimi, si nomina eorum, qui studiorum suorum præmia apud nos obtinuerunt, percipere haud gravati fueritis. Sunt autem (a) Dan. *Hofmannus*; Joh. *Olearius*; Basilius *Satler*; Henricus *Boëthius*, Laurentius *Scheurelius*, Henricus *Papebergius*, Joh. *Pandochæus*, Casparus *Pfafradius*, Gotfridus *Schluterus*; Henr. Julius *Strubius*, Joh a *Fuchte*, Theodor. *Berckelmannus*, Georg. *Calixtus*; Petrus *Tuckermannus*, Michaël *Waltherus*; Conr. *Hornejus*, Paulus *Müllerus*, Justus *Gesenius*, Brandanus *Dætrius*; Balthasar *Cellarius*, Erasmus *Hannemannus*, Henricus Martinus *Eccardus*, Gerhardus *Titius*; Albertus *Elers*, Achatius *Mylius*, Fridericus Vlricus *Calixtus*; Joachimus *Hildebrandus*; Autor *Stein*, Henricus *Müller*; Gebhardus Theodorus *Meyer*; Joh. *Hilpertus*; Joh. *Saubertus*, Henricus *Rixnerus*; Andr. *Frölingius*; Henricus *Vffelmannus*; Paulus *Heigelius*, Justus *Cellarius*, Joh. Eberhardus *Busmannus*, Joh. Conr. *Schneiderus*; Henricus *Wideburgius*, Joh. *Riemerus*, Joh. Bartholdus *Niemeierus*, Christianus Ludovicus *Ermischius*; Christoph. Tobias *Wideburgius*, & Fridericus *Weisius*. Nonne hæc nomina celebria sunt in orbe erudito? nonne gratuletur sibi Facultas Theologica, tanquam pia mater, de inclytis hisce filiis, quos viginti partubus enixa est feliciter? nonne gratias agamus Domino DEO nostro, Patri luminum & fonti omnis sapientiæ inexhausto, quod tam egregios Doctores & Pastores dare voluerit christianis Academiis & Ecclesiis suis, perque nos eorum tempora laurea doctorali cingere & condecorare? Benedictus sit Dominus, qui tam favens fuit Academiæ Juliæ, ejusque Collegio Theologico,

& benedictum ſit nomen ejus in perpetuum. Benedictus ſit Dominus, qui hanc etiam diem nobis reddit lætam & frugiferam, qua præclariſſimo & fere in culmine dignitatis eccleſiaſticæ poſito viro, ſtudiorum & laborum fulgidiſſimum brabeum, ipſis etiam Muſis adplaudentibus, nec niſi invidis ringentibus, tribuetur. Ante autem, quam hoc fiat, orationeſimplici & plana (quis enim cultam & ornatam in ea temporis brevitate, quæ mihi ad illam conſcribendam in tanta negotiorum multitudine & varietate concedebatur, a me requirat vel exſpectet?) oſtendam vobis, quam pius, ſapiens, Juliæque ſuæ, inprimis autem Theologici in ea Ordinis amans fuerit Seren.mus hujus Academiæ fundator, JVLIVS, Dux Brunſvicenſium & Lunæburgenſium, glorioſisſimæ memoriæ, in præſcribendis Collegio noſtro Statutis & legibus. Cumque hæc commemoratio tam docentes, quam diſcentes, officii ſui commonefaciat, nobisque & auditoribus noſtris ſcitu neceſſaria, reliquis vero auditu non injucunda, omnibus certe ad edenda devotiſſima, erga pientiſſimum Principem & ſtrenuiſſimum literatorum Heroëm, gratitudinis documenta, incitamento ſit futura, plane ſpero atque confido, vos vel non rogatos dicenti auſcultaturos eſſe, linguisque animisque fauturos.

De Collegio theologico.

Prima & ſumma, in conſtitutione Academiæ Juliæ, cura & ſolicitudo Seren.mi Fundatoris *fuit, ut doctrina de Filio Dei Servatore noſtro, Jeſu Chriſto, & æterna ſalute noſtra, in Eccleſiis & Scholis, ex fontibus verbi divini limpidis & ſinceris, pura & illibata teneris diſcentium animis inſtilletur, & cum lectione fontium ſeu textus Bibliorum aſſidua, univerſæ etiam doctrinæ chriſtianæ ſumma in locos ſeu articulos certos, erudita methodo diſtributa, & in unum velut corpus redacta, καὶ σωματοποιηθεῖσα, ut Græci loquuntur, ex illuſtribus verbi divini teſtimoniis extructa & confirmata, additis in*

quolibet

quolibet articulo antithesibus, seu errorum rejectione diserta, fideliter & fundamentaliter auditoribus tradatur. Cum autem non quivis ad hoc faciendum sit idoneus, (b) requisita Theologorum, per quos id proponi debeat, graviter exprimit, dum eos *pietate, doctrina, prudentia, modestia, & docendi dexteritate* vult *præditos esse, qui & intelligant ipsi, & monstrare aliis dextre veram & salutarem studii theologici recte instituendi rationem possint, & quæ forma ac ratio docendi utilissima in tradenda universæ doctrinæ summa, quæ in enarrandis Prophetarum & Apostolorum libris in schola, quæ in templo seu concione populari, quæ in examinibus ratio, quæ in disputationibus servanda sit.* Et ne quis linguas & amœnitates philologicas, atque scientias philosophicas ex foro theologico proscriptas esse putet, a Theologis etiam ostendi jubet, *quomodo Græca & Ebræa lingua, historia, dialectica, ethice, physica, & cæteræ artes philosophicæ ad illustrationem, propagationem & conservationem cœlestis doctrinæ & religionis veræ, recte & utiliter accommodandæ sint & usurpandæ.* Cur vero hoc? *Quia ad tuendam & propugnandam cœlestis doctrinæ puritatem, & Ecclesiæ Christi gubernationem, non tantum initiis classicorum studiorum & catechesios lectione assidua opus est; sed pro adultioribus postea libros Prophetarum & Apostolorum, qui fontes & fundamenta veræ religionis continent, fideliter & accurate explicari, & omnium ætatum controversias, & judicia inquiri necesse est, & considerari, quomodo in omnibus nostrorum temporum de doctrina certaminibus nos instruere & munire debeamus, ut unam, veram & incorruptam de Deo doctrinam, in verbo Dei patefactam, & quæ catholicæ Ecclesiæ Christi consensus est, Deo juvante retineamus, & puram ac illibatam ad posteros transmittamus. Quod sine multiplici doctrina, & sine magna exercitationum literatarum, omniumque optimarum artium varietate præstari*
ne-

ne quiat. Porro Theologos suos jubet *veram de Deo & Jesu Christo doctrinam, in verbo Dei patefactam, fideliter tueri ac docere, & fontes seu libros canonicos V. & N. T.ti assidue in Schola prælegere, & simpliciter ac perspicue interpretari & explicare, in ea sententia, quæ cum Symbolis probatis, & communi Ecclesiarum nostrarum Augustana Confessione, Apologia, Smalcaldicis articulis, Catechismo, ac uberioribus Lutheri scriptis, & cum Libro continente doctrinam & ritus harum Ecclesiarum congruit.* Præterea, quoniam doctrina absque usu & applicatione inanis & inutilis est, eos *usum doctrinæ in quotidianis pœnitentiæ atque invocationis exercitiis, in gubernatione vitæ, in doloribus & consolatione nostrî & aliorum, in concionibus ad populum recte & utiliter instituendis, in dijudicandis dogmatum controversiis, & refellendis falsis sententiis, perspicue ostendere* præcipit. Postremo, ne, quod una manu ædificatur, destruatur altera, *exemplis* (c) *veræ pietatis & omnium virtutum theologicarum, auditoribus prælucere* mandat, *& typum esse fidelium in doctrina, morum integritate, dilectione, spiritu, fide, & castitate. Est enim Theologia,* ut celsissimus Princeps, tanquam ex tripode, pronunciat, *non* θεωρητικὴ, *sed* πρακτικὴ, *ars veræ pietatis & fidei & obœdientiæ erga Deum, & benignitatis erga proximum, pie vivendo & benefaciendo potius, quam argute disputando exercenda. Quod practicum religionis studium eo ardentioribus animis suscipiendum & urgendum est, quo propius, omne studium veræ pietatis ruere, & Theologiam rursus in Sophisticam curiosarum disputationum & cavillationum inanium degenerare, videmus.*

De studio Theologiæ recte inchoando & institu-

Cum vero, ut gravissime D. Irenæus dixit, DEVM recte discere nemo possit, nisi Deo ipso docente, & tria præcipue sint instrumenta, per quæ Spiritus S. nos ad veram & salutarem doctrinæ christianæ cognitionem ducit, & nos vere

Theolo-

Theologos, i.e. recte de Deo sentientes, & recte Deum colentes sive pie viventes, efficit. Precatio, Verbi divini lectio ac meditatio, & Experientia seu praxis; severe præcipit Germanicus Josias noster, 1. *ut omnibus studiorum laboribus precatio ardens & assidua præluceat, singulæque lectiones theologicæ, non secus ac conciones sacræ, precatione inchoentur & concludantur.* 2. *ut prima docentium & discentium Theologiam cura sit, quo textus Scripturæ sacræ, & conciones ac testimonia de articulis fidei universis, ac historiæ Bibliorum omnes familiarissime ipsis notæ sint, & verbum Christi opulente cum omni sapientia in eis habitet. Qua de causa a pueris susceptam consvetudinem quotidie a lectione unius aut plurium capitum biblicorum, labores studiorum exordiendi retineri, ac ut rerum & verborum phrasiumque obscuritas omnis in lectione verbi divini, quantum in hac infirmitate fieri potest, tollatur, Grammaticam inpretationem Bibliorum textus, velut præcipuam & summam in hoc Collegio lectionem, faciendam, eamq; assidue institui & pertexi* imperat. Cæterum in tradendis Locis communibus, eam vult observari rationem, ut *sub finem cujusque loci monstretur ejus usus, juxta regulas docendi & discendi a S. Paulo præscriptas* Rom. XV, 4. 1. ad Tim. I, 4. *Immo*, ex Seren.mi nostri Legumlatoris sententia, (d) *non tantum in locis communibus, verum etiam in catecheseos & textuum biblicorum enarratione adjungendæ sunt singulis partibus commonefactiones de usu & praxi doctrinæ, non ad inanes speculationes & curiosarum disputationum cavillationes, quæ in veræ pietatis & pœnitentiæ exercitiis usum nullum habent, & in Academicam & Epicuream profanitatem mentes tandem deducunt, sed ad veram pietatem in mentibus accendendam transferenda est, in quotidiana invocatione, pœnitentia, timore Dei, fide acquiescente in benevolentia Dei propter Filium promissa, in veris doloribus & consolationibus. Quas qui*

endo, ac ratione docendi Theologiam.

Ratio docendi Locos communes.

non sunt experti, nihilo magis doctrinam de timore DEI, pœnitentia, fide, consolationibus intelligere possunt, quam de coloribus & picturæ elegantia judicare coeci. Neque hoc sufficit; sed & aliud subjungit monitum, ad omnes pertinens Christianos, inquiens: *Atque hæc applicatio doctrinæ, & pietatis veræ exercitia, non Theologiæ solum Professoribus & Studiosis, sed omnibus, qui Christiani esse & perhiberi volunt, communia & familiariter nota esse debent.* In concionibus formandis sic docendam esse studiosam juventutem præcipit, ut *explicationem catecheticam, omnibus subtilitatibus & terminis artium scholasticis omisfis, quanta possunt perspicuitate, & ad popularem captum, instituant; in enarrationibus autem Evangeliorum & Epistolarum indicent populo, ad quam partem Catechismi singulæ lectiones pertineant, & totam doctrinam ad hos fines dirigant, ut auditores ad veram pœnitentiam, fidem, invocationem, dilectionem Dei & proximi, & alia bona opera exhortentur, & in cruce ac doloribus, promissione gratiæ, auxilii & liberationis divinæ, in Evangelio patefacta, consolentur. Præcipuam* autem *lectionem tribuit expositioni textus sacri, ut videlicet ad fontes Theologiæ limpidos, perennes & sinceros, ex quibus solis doctrinam de vera sui agnitione & invocatione atque æterna salute nostra hauriri vult Deus, Candidati Theologiæ deducantur.* Ita tamen prælegendus est textus Scripturæ, ut *Professor, omissis commentariis prolixioribus, in quæ omnium Locorum communium diffusas explicationes, dissimilesq; Interpretum sententias & disputationes infarcire quidam solent, in singulis libris & capitibus 1. argumentum & dispositiones indicet. 2. locos communes articulorum fidei, & virtutum ac vitiorum, de quibus testimonia, vel exempla in eo capite illustria extant, excerpat, & breviter ex catechesi, repetita cujusq; definitione &c. & usu in quotidiana invocatione, pœnitentia, fide, & vitæ gubernatione monstrato, consignet.*

De Concionibus formandis.

De Textus Biblicorum lectione.

signet. 3. nativam sermonis sententiam, vocabulorum insignium significationes & emphases, phrases Scripturæ proprias, & figuras ex fontibus linguarum & præceptis artium dicendi, & dextra collatione aliorum Scripturæ testimoniorum eruat & illustret. Et in historiarum lectione, chronologiam seu temporum seriem diligenter notet, & loca, in quibus res gestæ esse scribuntur, & regionum, urbium ac fluminum nomina & situs in tabulis geographicis demonstret; in dictis vero insignioribus, ut promissionibus de Christo Gen. III. XII. & XLIX. & de justitia fidei Gen. III. & IV. & similibus, post evolutas diligenter & expensas singulorum vocabulorum emphases, indicet etiam & rejiciat corruptelas. Etsi autem omnes S. Scripturæ partes Dei oracula, & singulæ inexhaustam Dei sapientiam continent; tamen ut in cœlo stellæ aliæ aliis splendidiores, & inter agros alii aliis fertiliores sunt; ita pius & sagax interpres facile animadvertere creditur, ne dicam jubetur, ubi aliquantum commorari, (ut in IV. primis Geneseos capitibus, quæ totius sacræ Scripturæ fontes & summam continent) & ubi una hora integrum caput, ut Gen. 42. 43. 44. 45. & 50. atq; Exodi 2. 3. 10. & 11. percurri & absolvi debeat. Denique disputationibus, præcipue inauguralibus, saluberrimum hunc modum præscribit, non rixandum esse, vel acutis sophismatum præstigiis, aut maledictis & pugnis, ac venenatis contumeliarum aculeis, adversario deformato & victo, sibi palmam ingenii & doctrinæ arrogandam; sed candide, benigne, & tranquillis animis, placidoq; & amico, velut familiari colloquio, de Deo & aliis rebus bonis & vitæ salutaribus sententias & argumenta conferenda, & veritatem inquirendam ac illustrandam: & postquam eruta vel illustrata est veritas, libenter cedendum, & Deo propter ostensam veritatem gratias agendas: hoc enim esse, quod SS. Evangelistæ nominent ὁμιλεῖν & συζητεῖν.

De Modo disputandi.

Hæc profectò ita se habent, ut eum talpa cœciorem esse necesse sit, qui Serenissimi Fundatoris sinceram pietatem, summam prudentiam, singularem erga sacra studia, eorumque incrementa affectum, & igneum procurandæ multorum hominum salutis zelum inde non videat emicare, immo tam clare splendere, quam sol splendet ipso in meridie. Sicut igitur omnes illustris hujus Juliæ Ordines, ita inprimis Theologicus, pro tam bonis & salutaribus legibus & statutis, gratias debet humillimas, atque illa religiosissime observare, & omnes officii sui partes peragere studebit, ut qui maxime.

Nunc autem ad illud negotium accedendum nobis est, cujus gratia hæc panegyris est instituta.

Atque ut illud rite fiat, ea qua par est observantia saluto Magnificum Procancellarium, Dn. Fridericum Ulricum CALIXTUM, S. Theol. D. & Prof. primarium, Academiæ Seniorem, Abbatem Regio-Lutterensem, & Consiliarium ecclesiasticum Gvelphicum, Collegam & fautorem meum honoratissimum; cumque Serenissimi & potentissimi Principes ac Domini,

DN. RUDOLPHUS AUGUSTUS,

&

DN. ANTONIUS ULRICUS,

Duces Brunsvicensium & Lunæburgensium, & Academiæ suæ Juliæ hoc tempore Directores & Cancellarii magnificentissimi, Domini nostri clementissimi, tibi, Vir magnifice & maxime venerabilis, partes suas, quod attinet promotionem hanc doctoralem, clementissime demandârint, enixe Magnificentiam tuam rogo, ut pro ea, qua pollet in præsenti autoritate, potestatem mihi faciat, dignissimum

mum Candidatum noſtrum, virum plur. reverendum, & non tantum in Germania noſtra, verum etiam in litterato Belgio & Anglia celebratiſſimum,

Joh. Theodorum Heinſon,

Eccleſiarum Principatus Friſiæ Orientalis Superintendentem generalem, Conſiliarium conſiſtorialem, & Concionatorem aulicum, (e) creandi & renunciandi S. Theologiæ Doctorem, cum collatione omnium, quibus alii Doctores Theologi fruuntur, privilegiorum. Faciet hoc ipſo Magnificentia tua rem ampliſſimo ſuo muneri convenientem, almæ huic Juliæ, atque in ea Collegio Theologico honorificam, Eccleſiæ & ſacris ſtudiis, uti ſperamus & vovemus, ſalutarem, & illuſtri huic Spectatorum conſeſſui cœtuique gratisſimam, atque a me & præclariſſimo Candidato meo, omni ſtudiorum & officiorum genere, gratitudinis teſtandæ cauſa, lætiſſime compenſandam.

* * *

Quod itaque DEVS O. M. almæ huic Juliæ felix fauſtumque, Ordini noſtro theologico lætum & honorificum, atque Eccleſiæ chriſtianæ ſalutare & plauſibile eſſe jubeat, ego JOH. FABRICIVS, S. Theol. D. & Prof. ordinarius, hodieque Decanus & promotor legitimus, te,

Joh. Theodore Heinſon,

S. Theol. Doctorem creo, renuncio & proclamo, in nomine P. F. & Sp. S. unius veri & æterni Dei, cui ſit laus, honor & gloria in æternum.

Creato, renunciato & proclamato tibi *Doctori facultatem tribuo, utendi omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis & exemtionibus, libertatibus, conſvetudinibus, honoribus, præeminentiis, favoribus ac indultis, quibus cæteri*

Doctores in Bononiensi, Senensi, Patavino, Papiensi, Perusino, Parisiensi & Lipsiensi, ac aliis Studiis privilegiatis, promoti & insigniti gaudent & utuntur, de consuetudine vel de jure: quæ ipsissima verba sunt diplomatis, ab augustissimo Romanorum IMPERATORE huic Vniversitati clementissime concessi.

Sed & ritus nonnulli, qui in oculos Spectatorum incurrunt, & de gravissimis nos rebus commonefaciunt, renunciationi Doctoris, laudabili piæ Antiquitatis exemplo, jungendi & associandi sunt.

Et primum quidem voco te in superiorem hanc *cathedram*, plurimum reverende & clarissime D. Heinsoni. Ingressus in hunc locum, indicio tibi est, collatum jam tibi esse jus, e cathedra superiore docendi, declamandi, disputandi, aliosque etiam, si vocatio accedit, actus doctorales exercendi. *Lateri* autem te meo jungo, ut communicatis consiliis & junctis viribus cuncta rectius, quam seorsum & privato arbitrio geri memineris.

Porro *codicem Scripturæ Canonicæ* tibi trado, eumq; *apertum*: ex eo enim docere debes imperitos ac dubios, ex eo hortari in studio virtutum sive cunctantes, sive currentes, ex eo corripere peccantes, ex eo solari afflictos, ex eo denique convincere contradicentes. Eundem vero etiam *claudo*, quia non satis est, ex libris sapere, sed sæpe absque omni librorum apparatu promendum est consilium, & præstandum officium; præcipue autem ea, quæ in sacris paginis continentur, Doctorum memoriæ probe credita & infixa esse debent.

Jam capiti tuo, o charum Caput, *pileum* impono, eumque rubeum, in signum dignitatis & eminentiæ, immo etiam libertatis. Tu enim præ multis aliis nunc emines, sicut ab ignorantiæ & affectuum servitute in libertatem vindicati, præcellere atque eminere solent.

Post

Post hæc, agedum, porrige mihi pollicem dextræ tuæ, ut eum cingam atque exornem *annulo.* Annulus, ex mente veterum, dignitatis & nobilitatis signum est. Sicut vero aurum, unde ille conflatus est, omnium metallorum est purissimum, ita illud te jubet retinere fidem orthodoxam, & bonam conscientiam. Sed & memineris, aurum, quo sæpius igne coquitur, eo nitidius & defæcatius reddi. Ita etiam tibi, o optime, (f) non deerit ignis adversitatum, afflictionum, & persecutionum, si Deo ejusque Ecclesiæ, ceu nulli dubitamus, fideliter vis servire. Sed animum propterea non abjicias; quin potius accede propius ad hunc ignem, & Deo age gratias, quod constantiam & fidem tuam sic experiri, teque puriorem, & aliis Martyribus præclarisque Servis suis, immo & Filio suo quasi conformem reddere velit. Tria sunt Theologi munia, Oratio, Meditatio & Tentatio. Ab hac igitur, qui verus es Theologus, immunis esse, nec si posses, voles, nec, si velles, poteris.

Denique addo, non oscula, (nam hæc tibi relinquam & (g) generosæ Sponsæ tuæ, de qua tibi, in publico & sacro hoc loco, prolixiore affectu, quam verborum copia gratulor) sed amicum *amplexum*, ut te admoneam sinceræ dilectionis erga alios exercendæ. *Ex hoc* enim, ait Servator noster, *cognoscent omnes, vos esse meos discipulos, si charitatem habueritis alii in alios.* Et Paulus scribit: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace vivite.* Rogabis etiam Dominum ac Deum nostrum, qui est Deus pacis, & pro virili ipsemet operam dabis, ut perniciosa Ecclesiæ dissidia vel tollantur vel minuantur, atque *ut omnes*, qui verum Deum, & quem misit JEsum Christum agnoscimus, *incedamus eadem regula, & idem sapiamus, idem loquamur omnes, ita ut omnium sit cor unum, & anima una.*

Finitis

Finitis ſic ritibus conſvetis, nihil aliud mihi ſupereſt, quam ut tibi, plurimum reverende & nobiliſſime Doctor, primus gratuler de novis honoribus. Gratulor autem ex toto corde, Deum ter O. M. venerans, ut eos tibi fauſtos fortunatosq;, & Eccleſiæ ſuæ proficuos, nec non conjugium tuum mox inchoandum, felix, fœcundum & pacatum eſſe jubeat, quo iis non tu duntaxat, ſed & nobiliſſima Caja tua tecum gaudere fruiq́ue poſſit quam diutiſſime. Sed nec hoc prætereundum, ex veteri, eoq́ue laudabili more, jam tibi incumbere, ut *quæſtionem*, quam optimæ ſpei adoleſcens, quemq́ue veſtigia meritiſſimi Parentis lecturum Deus felicitet, Joh. Bernhard. Wideburgius propoſiturus eſt, evolvas, atq́ue erudita, ut ſoles, reſponſione illuſtres, eiq́ue decentem gratiarum actionem, ad inſtar ſacrificii euchariſtici, ſubjungas. Quo facto toti huic actui colophon imponetur, diciq́ue læta voce poterit:

Claudite jam rivos, pueri; ſat prata biberunt.

ANNOTATIONES.

Ad pag. 773.

(a) Dan. *Hofmannus* &c.) Accipe, quo anno, ſub, & a quibus promoti fuerint. Nempe Dan. *Hofmannus*, Halenſis, Logices & Ethices Profeſſor, A. 1578. d. 13. Maji, præſente & Cancellariatum ipſomet obeunte Rev.mo & Celſiſs. Principe HENRICO JVLIO, poſtulato Epiſcopo Halberſtadienſi, Duce Brunſvicenſium & Lunæburgenſium, Prorectore Joh. Bökelio, D. & Prof. Medico; promotore Timoth. Kirchnero.

Joh. *Olearius*, Hebrææ linguæ Profeſſor, A. 1579. 12. Oct. Vicerectore & Procancellario D. Dan. Hofmanno, Logices adhuc & Eth. profeſſore; promotore Tilem. Heshuſio.

Baſilius

Basilius *Satler*, Würtenbergicus, Ecclesiastes aulicus Wolfenbutelensis, A. 1586. 11. Aprilis, sub Seren.mo JVLIO, Acad. Fundatore, Prorectore Joh. Bökelio, Procancellario Tilen. Heshusio, Promotore Dan. Hofmanno.

Henricus *Boëthius*, Theol Professor, Laurentius *Scheurl*, Theol. Prof. & Pastor Helmstadiensis, ac vicinarum Eccles. Superint. generalis, Henr. *Papebergius*, Superint. Wunstorpiensis, Joh. *Pandochæus*, Pastor Northusanus, Casp. *Pfafradius*, Prof. Theol. extraordinarius, Gotfridus *Schluterus*, Pastor Gottingensis, A. 1598. d. 30 Maii, Prorectore Joh. Sigfrido, Med. D. & Prof. Procancellario Joh. Hederico, Theol. D. & Prof. Promotore Dan. Hofmanno.

Henric. Jul. *Strubius*, P. L. Eccles. Helmstad. Pastor, & vicinarum Superint. generalis, Joh. a *Fuchte*, Theodor. *Berckelmann*, Georg. *Calixtus*, omnes hac in Academia Professores Theologiæ publici & ordinarii, A. 1616. 2. Maji, Prorectore pariter & Procancellario Casp. Pfafradio, Promotore Henr. Boëthio.

Petrus *Tuckermannus*, Seren.mo. Brunsvic. & Lunæb. Duci a concionibus & consiliis sacris, & Mich. *Walther*, Noribergensis, Theol. Prof. & Ecclesiastes aulicus Schöningensis A. 1623. 17. Junii, Prorectore Henr. Andr. Cranio, J. V. D. & Prof. Procancellario G. Calixto, Promotore Henr. Julio Strubio.

Conr. *Hornejus*, Theol. Licentiatus ac Professor, & Paulus *Müller*, hactenus hîc S. Theol. Prof. & Superint. generalis, nunc autem designatus Aulæ Calenbergicæ Proecclesiastes, & Ecclesiarum illius ditionis Superintendens generalissimus, A. 1636. 27. April. Directore Seren.mo. WILHELMO, D. B. & L. Promotore & Prorectore G. Calixto, Procancellario Joh. Stuckio, J. V. D. & Prof. modo autem designato Serenissimi Ducis GEORGII Consiliario & Vicecancellario.

Justus *Gesenius*, Aulæ Brunsvico Calenbergicæ Ecclesiastes primarius, ejusque ditionis Superint. generalissimus, & Brandan. *Dætrius*, aulicus ibidem Ecclesiastes & Consistorii Assessor, A. 1643. Eid. Mart. Directore Ser. FRIDERICO D. B. & L. Postulato Coadjutore Raceburgensi & electo Præposito Bremensi; Prorectore. Andr. Kinderlingo, Log. Professore, Procancellario Conr. Hornejo, Promotore G. Calixto.

Balthas. *Cellarius*, Theol. Prof. Ecclesiæ Helmstad. Pastor, & vicinarum Superint. generalis: Erasmus *Hannemannus*, Consistorii ecclesiastici Wolfenbütelani Assessor, & ibidem Pastor ac Superint. generalis: Henr. Mart. *Eccardus*, Theol. in Academia Rintheliana Professor: Gerh. *Titius*, Theol. in hoc Athenæo Professor, A. 1650. 10. Dec. præsente, Serenissimique Parentis AVGVSTI vicem sustinente, & promovendi facultatem concedente Celsissimo Principe ac Domino, DN. ANTONIO VLRICO, Duce Brunsvicensium & Luneburgensium; Prorectore Herm. Conringio, Promotore G. Calixto.

Albertus *Elers*, in Ostfrisia Ecclesiastes aulicus & Superintendens: Achatius *Mylius*, Ecclesiæ Catholicorum Augustanæ Confessioni in diœcesi provinciaque Hildesheimensi addictorum primarius Superintendens, Consistorii Assessor, & Pastor Alfeldensis: Frid. Vlr. *Calixtus*, Georgii filius, Theol. in hac Vniversit. Professor, A. 1652. 27. Julii, Directore Ser. GEORGIO WILHELMO, D. B. & L. Prorectore Jacobo Tappio, Med. D. & Prof. Procancellario Balthas. Cellario, & Promotore G. Calixto.

Joach. *Hildebrandus*, Theol. Prof. A. 1653. 21. Junii, Directore Ser. AVGVSTO, D. B. & L. Prorectore Christoph. Schradero, Eloq. Prof. & Cœnobii Mariæmontani Præposito, Procancellario G. Calixto, Promotote Balth. Cellario.

Autor *Stein*, Consistorii Electoralis Halberstadiensis Consiliarius, & Ecclesiæ cathedralis ibidem Pastor primarius, & Henr. *Müller*, in Acad. Rostoch. Prof. Theol. ædisque D. Mariæ Archidiaconus, A. 1660. 10. Dec. Directore Ser. CHRISTIANO LVDOVICO, D. B. & L. Prorectore Valentino Henr. Voglero, Med. D. & Prof. Procancellario Balth. Cellario, Promotore Frid. Vlr. Calixto.

Gebhard. Theodor. *Meyer*, Theol. Prof. extraordinarius, A. 1661. 25. Junii, Directore Ser. GEORGIO WILHELMO, D. B. & L. Prorectore Andr. Kinderlingo, Procancellario Gerh. Titio, Promotore Joach. Hildebrando.

Joh. *Hilpertus*, Hildesiæ ad D. Andreæ Pastor, & Ministerii ibidem Superint. nec non Consistorii Assessor, atque Scholarum Inspector, A. 1666. 15. Maii, Directore Ser.mo GEORGIO WILHELMO, D. B. & L. Prorectore & Promotore F. V. Calixto, Procancellario Joh. Sauberto, Theol. & orientalium Linguarum Professore.

Joh. *Saubertus*, Norimbergensis, designatus Professor Theol. primarius in Academia Aldorfina, & Ecclesiæ ibidem Antistes, & Henr. *Rixnerus*, Helmstadiensis, Phys. & Metaphys. Professor ordinarius in Academia patria, Theol. autem extraordinarius, A. 1673. 14. Januarii, Directore Ser. JOHANNE FRIDERICO, D. B. & L. Prorectore Val. Henr. Voglero, Procancellario F. V. Calixto, Promotore Gerh. Titio.

Andr. *Frölingius*, S. Theol. Prof. & Pastor Helmstad. ac vicinarum Ecclesiarum Superint. generalis, & Henr. *Vffelmannus*, Moralium Prof. ordinarius, A. 1676. posteridie Jubilæi Academici, d. 16. Octobr. Directore Ser. JOH. FRIDERICO, D. B. & L. Prorectore G. Engelbrecht, J. V. D. & Prof. Procancellario Gebh. Theodoro Meyero. Promotore Henr. Rixnero.

Paulus *Heigelius*, Norimbergensis, Theol. & Mathem. Super. Prof. Cœnobii Mariæ Bergensis Præpositus, & per Ducatum Brunsvic. Guelph. Scholarum Inspector generalis; Justus *Cellarius*, Theol. Prof. Pastor & Superint. generalis Helmstadiensis: Joh. Eberh. *Busmannus*, Theol. & Linguarum oriental. Prof. & Joh. Conradus *Schneider*, Ecclesiæ cathedralis apud Halberstadienses Pastor, A. 1684. 2. Octobr. Directore Ser. GEORGIO WILHELMO, D. B. & L. Prorectore Joh. Henr. Bottichero, J. V. D. & Prof. Dicasteriique Guelphici Assessore, Procancellario F. V. Calixto, Promotore Gebh. Theod. Meiero.

Henr. *Wideburgius*, Theol. Prof. Joh. *Riemer*, Ecclesiarum utriusque civitatis Hildesiensium Superint. Joh. Barthold. *Niemeier*, Primæ Philos. & Logices Prof. Christianus Ludov. *Ermisch*, Ecclesiæ & Scholarum Brunsvicensium Superintendens, A. 1693. 18. Maji, Directore Ser. GEORGIO WILHELMO, D. B. & L. Prorectore Henr. Meibomio, Med. D. ejusque & Historiar. Professore, & Archiatro Guelphico, Procancellario F. V. Calixto, Promotore Gebh. Theodoro Meiero.

Christoph. Tob. *Wideburgius*, Theol. & Mathemat. Prof. & Frider. *Weisius*, designatus Theol. Prof. & Pastor Helmstadiensis, ac vicinarum Superint. generalis, 1697. 15. Junii, Directore Ser. ERNESTO AVGVSTO, D. B. & L. S. Rom. Imp. Electore, & Episcopo Osnabrugensi, Prorectore Henr. Meibomio, Procancellario Joh. Andr. Schmidt, Theol. D. & Prof. Promotore F. V. Calixto.

Licentiati autem promoti fuerunt

1. Henr. *Boëthius* A. 1586. 11. Aprilis.
2. Conradus *Hornejus* A. 1622. 30. Dec. Prorectore Henr. Jul. Strubio, Procancellario Theodoro Berckelmanno,

Promo-

Promotore G. Calixto. Atque hæc erat ſexta promotio.

3. Erneſtus *Stiſſerus*, Hebr. linguæ Profeſſor, & Eccleſiarum Collegiatarum Magdeburgenſium S. Nicolai & S. Gangolfi Canonicus, A. 1636. 27. April.

Ad pag. 775.

(b) *Requiſita Theologorum*) Huc referri poteſt, quod Collegium Theologicum Academiæ Juliæ, IV. Profeſſoribus, iisq; Doctorum gradu ornatis, (quorum tamen nunc, ſingulari Ser.morum NVTRITORVM munificentia, ſunt VI.) conſtare; unus ex Senioribus, & ἱστορικωτέροις Theologiæ Lectoribus, vel *Chronicon Carionis Philippeum*, cui rerum eccleſiaſticarum ſeries breviter intexta eſt, tractare, vel ipſe *chronologiam* Eccleſiæ, quæ formam & ſtatum Eccleſiæ ſingulis temporibus, & Doctorum celebrium nomina, ſcripta utilia, & nævos, & certamina de doctrina ac judicia amplectatur, dictare; ac *nemo ex privatis aliquid theologici*, ſive domi ſuæ, ſive publice, absque conſenſu & permiſſu Decani, proponere debeat. Sic enim ſonant leges A. 1597. in Viſitatione Academica traditæ.

I.

Nemo in Theologia, ſine conſenſu Decani Facultatis Theologicæ, aut legat privatim, aut diſputet.

II.

Decanus conſultationi adhibeat eum Profeſſorem, cujus lectionem alter privatim proponere conſtituerit: uti ſic decernat, ne publicæ profeſſioni privata officiat.

III.

Nemini collegium privatum aperire concedat Decanus, qui non prius & eruditionem & ſinceritatem ſuam, Profeſſoribus Theologis probaverit.

IV.

Singulis jus Collegii petentibus proponatur liber aliquis ex Corpore Doctrinæ Julio, continens controverſiarum de-

clarationem, de quibus lectis & mature consideratis, Decano, in præsentia cujusdam Collegarum, quærenti respondeat.

V.

Publicis statutis de lectionum fine & ordine, etiam privati se accommodare jubeantur, neque liceat ipsis in publicos Professores, aut eorum labores, quicquam calumniose aut contumeliose dicere, vel scribere.

VI.

Nullas theses, nisi a Facultate Theologica approbatas & subsignatas, prelo subjiciant privati.

VII.

Disputatores, sive publice sive privatim, intra cancellos Corporis Doctrinæ se contineant.

Ad pag. 776.

(c) Exemplis veræ pietatis) Scilicet, ut bene scribit V. CL. Joh. Christian. Schulenburgius, Athenæi CAROLINI, & Scholæ cathedralis Regiæ Bremensis Rector, in programmate ad orationem de Laudibus Pietatis invitatorio,

Pietas ad omnia utilis.

Reliqua omnia sunt somnia.
Omnis scientia sine hac est futilis.
Sapite ergo, sapite, quod Pietas suadet, quotquot scire ac sapere cupitis.
Si hoc verbum capitis, nullum sentietis capitis periculum:
In hoc enim capite situm est veræ scientiæ caput.
Sapientia sine pietate est sterilis, quæ cum charitate est fertilis.
Scientia sine amore erga Deum & proximum, inflat, intumescit, superbit.
Follis vento distentus, non est mollis, sed duri instar muri turget & urget.

Arcus

Arcus nimium tensus, rumpitur.
Bulla, in qua aër ebullit, tandem fit nulla:
Tangitur, angitur, frangitur, exit, abit, perit, ac evanescit.
Sic comparata est sapientia, quæ mundum sapit,
& Christum nescit.
Si Christum bene scis, nihil est, si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Ad pag. 777.

(d) *Non tantum in Locis communibus, verum etiam in catecheseos, & textuum biblicorum enarratione.*) Huc referri potest sapientissima lex de Examinibus, quæ sic proponitur in Statutis nostris: *Semper in Ecclesia usitatæ fuerunt Catecheses seu examina, in quibus auditores, qui instituebantur, seu catechumini, capita doctrinæ ipsis traditæ, vicissim Catechetis sciscitantibus recitare & exponere cogebantur, ut intelligi posset, an recte dictata percepissent, & doctrinæ summam intelligerent, ac tenerent, & feliciter in studio pietatis veræ proficerent: præterquam enim quod diligentiam & curam recte & integre discendi ea, quæ proponuntur, examina augent & acuunt, & cursum studiorum, ne aberret, aut neglectis utilibus & necessariis temere vagetur, intra certas metas cohibent, & judicium de doctrina, memoriam & facultatem eloquendi alunt & confirmant, & vocem ac gestus pronunciantis informant. Ad fidelitatem etiam, quam Paulus in Ministro & Doctore Ecclesiæ requirit, pertinet, ut docentes in templis & scholis, quæ pars sunt Ecclesiæ, studia & profectus auditorum subinde explorent, ut sciant, quid intelligant discentes, & quantum profecerint. Statuimus igitur & Professoribus Theologiæ nostris, ac inprimis Catecheseos Doctori, mandamus, ut, quod nomine ipso profitetur, vere Catechetam agat, & in lectionibus auditores suos non tantum viva voce doceat, verum etiam examinet, &*

tradita

tradita in priori lectione, repeti, & definitiones præcipue singulorum doctrinæ christianæ locorum, accurate ab eis ediſci & recitari jubeat, ac reliquas etiam methodicæ explicationis partes ſubinde ab eis repoſcat. Adjungit etiam aliquid D. JVLIVS de examine Ordinandorum, ſic pergens: *Examen etiam Ordinandorum ad miniſteria eccleſiaſtica, deinde in Academia noſtra Julia retineri, & a generaliſſimo Superintendente & Collegio noſtro Theologico adminiſtrari, de ſingulorum vocatione, doctrina & vita diligenter inquiri volumus, eo ordine & modo, qui in libro Eccleſiarum noſtrarum prolixe deſcriptus eſt.* Quæ conſtitutio poſtea confirmata fuit cum in Receſſu Conventus provincialis Gandersheimii, d. X. Octobr. A. 1601. tum in Viſitatione Academica A. 1624. d. XV. Junii. Quod attinet examina, quæ promotiones ſeu graduum collationes antecedunt, ea glorioſiſſimus Princeps *diligenter & graviter inſtitui, & de præcipuis doctrinæ chriſtianæ articulis, & horum temporum controverſiis confeſſionem ſingulorum diſertam & ingenuam, & facultatem explicandi veras ſententias, & argumenta ſeu ſophiſmata, quæ objiciuntur, diſſolvendi, & de cæteris etiam artibus ac linguis Doctori Theologiæ neceſſariis, & hiſtoria veterum certaminum & judiciorum Eccleſiæ, Candidatorum eruditionem explorari, & in ea doctrinæ inquiſitione conſcientias Examinatorum, juxta privilegii Cæſarei tenorem, onerari* vult. Idem etiam Studioſos illos, qui Principali munificentia ſua in hoc Athenæo aluntur, hac conditione, ut aliquando literis & doctrina inſtructi & exculti, ſuæ ditionis Eccleſiis, Scholis, & Rebusp. viciſſim ſerviant, præcipue *Decano Ordinis theologici* commendat, eique *ſtudia illorum curæ eſſe vult, ita ut, adjunctis mandato Prorectoris aliquot Collegis & Artium Profeſſoribus, bis quotannis ſtudia eorum exploret, & nonſolum in Grammatica & Artibus philoſophicis, ſed præcipue in Catecheſi, ſeu doctrina Eccleſiæ eos examinet,*

minet, ac, si quorum industriam & profectum probabit, eosq; docendæ Ecclesiæ aut Scholæ utiliter præfici posse judicabit, nomina eorum annotet, ut, cum Ecclesiæ aut Scholæ Seren.mi Fundatoris ministros flagitabunt, idoneos indicare possit.

Ad pag. 781.

(e) Creandi & renunciandi S. Theologiæ Doctorem) *Sapienti* enim, ut in Statutis nostris *L. de Gradibus* dicitur, *& gravi consilio instituti sunt & retinentur in Academiis gradus seu testimonia doctrinæ publica, non, ut inepti existimant, honoris tantum & dignitatis causa, sed ut præmium diligentiæ & virtuti debitum tribuatur. — Cum enim Ecclesiæ plurimum intersit, scire, quales doctores habeat, an puram & incorruptam evangelii doctrinam, & a quibus acceptam profiteantur, gravissima causa est, cur gradus velut publicum & fide dignum testimonium probati Collegii eis tribuatur, quod ostendat, eos universam doctrinam Ecclesiæ recte tenere, & ad eam recte docendam & propugnandam idoneos, & moribus honestis & doctrinam ornantibus præditos esse. Deinde & discentium studia ac profectus sæpe per examina explorari, & velut per gradus ab inferioribus & cognatis studiis ad superiora, quæ Ecclesiam & Remp. gubernant, ordine traduci, plurimum ad veram & solidam eruditionem, gravitatem judicii, firmitatem & promtitudinem memoriæ, exsuscitandam intentionem animi & curam, tollendam superbiam & inanem persuasionem sapientiæ (qua nulla veræ & solidæ doctrinæ pestis capitalior est: multi enim ad veram sapientiam pervenire possent, nisi se jam pervenisse putarent) utilitatis & adjumenti adfert.* His & aliis de causis, non duntaxat *veterem ordinem graduum in hac sua Julia retineri & usurpari*, sed *nec quenquam proponere aliquid in Theologia, vel Ecclesiarum*

ſuarum Superintendentem generalem aut ſpecialem deinceps aliquem conſtitui vult laudatiſſimus Lycurgus noſter, *niſi gradu aliquo theologico ornatum, vel ea inſtructum eruditione, ut dignus eo gradu cenſeatur.* Requiſita vero Candidatorum hæc exprimit: *Qui gradum & inſignia Doctoris Theologiæ petet, is & mores inculpatos ac caſtos, &, ſi aliunde adveniat, teſtimonium Eccleſiæ, a qua vocatus eſt, vel cui antea præfuit, honeſtum habeat, & toto quinquennio doctrinam de Deo in aliqua Academia, conſenſum doctrinæ, quæ in noſtris ſonat Eccleſiis, amplectente, aſſidue audiverit, & recte didicerit, & in publica diſputatione ac privato examine ſpecimen doctrinæ laudabile præbuerit, & de omnibus fidei articulis pie ſentire, & Corpus doctrinæ Eccleſiarum noſtrarum ſe vero corde amplecti oſtenderit.* Neque prætereundum, quod addit: *Gravi etiam de cauſa neminem ornari gradu Doctoris aut Licentiati in Theologia volumus, qui vocationem & functionem docendi in Eccleſia vel Academia certam nondum habuit.* Et *ſumtus promotionum ita moderari* jubet, *ne magnitudine illorum, tenuiores a gradibus petendis arceantur, vel alii etiam locupletiores abſterreri poſſint.* Denique, *teſtificandæ ſuæ erga Miniſterium evangelii & ſtudia doctrinæ Eccleſiæ, totamque Academiam benevolentiæ, & Candidatorum honoris cauſa, ad ſingula Doctorum vel Licentiatorum convivia, quæ uſitato Academiarum, & vetuſtiſſimo etiam Eccleſiæ ſacrificiorum more, poſt ceremonias ſacras pie peractas celebrantur, cervum vel aprum & cadum vini Rhenenſis,* clementiſſime *ſe donaturum* pollicetur. Quam munificentiam Seren.mi Succeſſores non tantum ipſi ſecuti ſunt, ſed &, pro ſummo in dilectiſſimam Juliam ſuam affectu, ſubinde auxerunt & amplificârunt. Quod ad æternam ipſorum gloriam, & devotiſſimæ gratitudinis noſtræ teſtandæ cauſa, jure meritoque a nobis hîc celebratur.

Ad pag. 783.

(f) Non deerit ignis adverſitatum) *Scimus enim*, ait ſapientiſſimus Solon noſter, *gradum Theologiæ Doctorum, non ad voluptates, gloriam & opes, ſed ad miſerrimas curas, labores, certamina, & pericula omnis generis, aditum patefacere, & mercedem fidelibus Doctoribus præcipuam non in bis terris, ſed in cœlo copioſam promitti.*

(g) *Generoſæ Sponſæ tuæ*) Mariæ Eliſabethæ, Generoſiſſimi Dn. Joh. Diderici a Münnich, S. Regiæ Danicæ Majeſtatis in Comitatu Oldenburgenſi Aſſeſſoris Provincialis, filiæ.

RHYTHMI
Situm aſtrorum cœleſtium
ſcite deſcribentes,

Autore

ANDR. INGOLSTÆTTERO.

Quorum mentio facta eſt in Dedicatione.

I.

Auf! träger Sinn / ſey munter /
Beſing die ſchöne Wunder /
Die gold-beflammte Lichter /
Des Himmels Angeſichter.

II.

Schau / wie die beyde Wächter /
Mit blinckendem Gelächter /
Am kleinen Beeren-Wagen /
Sich um den (1) Pol-Stern tragen.

(1) Vrsa Minor, dessen eusserster Schwantzstern / Stella polaris genannd wird / ist an 2. hellen Sternen in seinem quadrat, die man Vigiles heisset / erkenntlich.

III.

Schau den gekrümmten (2) Drachen /
Den Pol vom Thier-Kreis machen.
Schau auch den (3) Cepheus stehen /
Nächst bey (4) Cassiopeen.

(2) Draco, dessen Schwantz ziehet sich über den quadrat des grossen Beerens / und unter den Vigilibus hin / und machet unter dem Stella polari eine grosse Krümme.

(3) Cepheus nächst dem Stella polari, gefolget von (4) der Cassiopea, welche gleichsam ein geschobenes 3 formiret.

IV.

(5) Andromeden von Ketten
Komt (6) Perseus zu erretten.
(7) Medusens Ungeheuer /
Das macht ihn desto freyer.

(5) Andromeda nechst der Cassiopea. Ihr Kopff ist einer vom grossen quadrat mit Pegaso. Wolte man diesen den grössern Wagen heissen / so wäre Andromeda die Deichsel davon.

(6) Perseus, nach der Andromeda, formirt gleichsam einen halben Cirkel-Bogen / woran (7) Caput Medusæ fast das centrum ist.

V. Dar-

V.

Drauf zeigt des (8) Dreilings Spitze
(9) Des Widders (10) Wallfisch-Sitze/
Und unter dessen Flossen/
Komt (11) Eridan geschoßen.

(8) Triangulum △ zeiget mit seiner Spitze auf die nahe darunter liegende Cornua Arietis, an welchen der Aries zu erkennen ist. (9) Dieser sitzet auf dem Kopff des Wallfisches/ (10) in dessen rictu ein heller Stern. Sein Leib aber windet sich unter den Piscibus und Pegaso fast biß an den Aquarium hin. Unter dem Ceto ist (11) Eridanus.

VI.

(13) Der Fuß vom (12) Ziegen-Träger/
Entdeckt des (14) Stieres Läger.
(15) Orion komt zur Seiten/
Ihn muhtig zu bestreiten.

(12) Auriga, an der Capella, einem Stern primæ magnitudinis, bey welchem 2. kleine Sterne/ Hoedi genannt/ die er auf den Rucken trägt/ erkenntlich. (13) Sein Fuß gibt einen von den Cornubus Tauri. (14) Am Tauro sind die Plejades auf dem Rücken/ und die Hyades vor seinem Oculo, so auch ein Stern primæ magnitudinis ist.

(15) Orion ein lichtes kenntliches sidus. Durch dessen Cingulum gehet der Æquator. Er wendet gegen dem Tauro einen Sternen-Bogen.

VII.

Doch unter seinen Knien/
Sieht man (16) den Hasen fliehen;
Damit (17) der grosse Hunde/
Ihm nicht den Balg verwunde.

(16) Lepus ist unter dem Orione. Er wird vom (17) Cane Majore verfolgt. An dessen Kopff ist der schöne helle Stern. Er stehet auffgerichtet / gleichsam mit den Pfoten nach dem Hasen langend.

VIII.

So unter (18) beyden Brüdern /
Will sich (19) das Hündlein niedern /
(20) Dem Krebse sich entziehend /
(21) Die Wasserschlange fliehend.

(18) Die Gemini sind an 2. hellen Sternen / welches ihre Capita sind / erkenntlich. Unter ihnen ist (19) Canis Minor, welcher mit Cane Majore, und einem in humero Orionis den grösten Triangel am Himmel machet.

(20) Der Krebs ist obscurum sidus, an einer nubecula erkenntlich / und folgt dem Cani Minori. Unter des Krebses lincken Scheer ist (21) Caput Hydræ, deren Leib und Schwantz sich unter dem Leone und Virgine herziehet.

IX.

Die (22) Beeren-Trapp hat Scheue /
Zu tretten auf (23) den Leue;
Da jener (24) Beerenhüter
Tritt auf der (25) Jungfer Glieder.

(22) UrsaMajor ist ein bekanntes sidus, und nimt einen grossen Platz am Himmel ein. (23) Unter seinen Pfoten ist Leo, der in Corde und Cauda, 2. Sterne primæ magnitudinis hat. (24) Bootes weiset mit seiner Hand auf Caudam Vrsæ Majoris. *Sua sidera monstrat*, sagt der Poët Palingenius. An ihm ist der schöne Arcturus in fimbria vestium,

und

und seine Füsse stehen (25) über der Jungfrauen / derer Spica ist unterhalb der Eclipticæ. Sie nimmet einen grossen Raum am Himmel ein.

X.

Der (26) Berenicen Treue
Hat über ihr die Reihe.
Sie führt besagten Hüter /
Und gehet vor ihm nieder.

(26) Coma Berenices ist über der Virgine vor dem Boote. Davon Catullus: *Vertor in occasum, tardum dux ante Bootem.* Stehet unter der Cauda Vrsæ Majoris.

XI.

Nach (27) ihr / sieht man (28) den Raben /
Sich bey dem Becher laben /
Und unter ihm / (29) Centauren,
Auf (30) Jasons Schiffarth lauren.

(27) Der Virgine. (28) Unter der Virgine stehen Crater & Corvus auf dem Leib der Hydræ. (29) Centaurus streichet über unsern Horizont, und (30) Argo navis wird auch nicht viel gesehen.

XII.

Was wieget uns (31) die Wage?
Gegleichte Nächt und Tage:
Doch ist / bey ihrer Zungen /
(32) Die Schlang zur (33) Kron gedrungen.

(31) Die Wage ist ein dunckel Gestirn. Uber ihr steiget (32) Serpens Ophiuchi hinauf zur (33) Kron / welche zwischen dem Bootes und Hercules stehet.

XIII. Ari-

XIII.

Arions (34) Leyer-Lieder/
Werffn (35) Herculem darnieder:
Doch sieht man von (36) Delphinen,
Den lieben (37) Schwan bedienen.

(34) Lyra hat einen schönen hellen Stern. Nächst ihr ist (37) Cygnus, unter welchen Ovidius den Arion verstehet/ der von den Schiffleuten ins Meer geworffen/ und von dem (36) Delphin, welcher unter dem Cygno, vor dem Capite Pegasi und Equulei zu sehen/ salvirt worden ist. (35) Hercules sitzt auf einem Knie.

XIV.

Hingegen / wie ich glaube/
Ist auch am Himmel Raube:
(38) Antinous muß trauen
Des (39) Adlers (40) Pfeil und Klauen.

(39) Aquila, in dessen obern Flügel (40) Sagitta stecket/ gehet vor dem Equuleo, und unter ihm ist (38) Antinous: unter diesem aber die Capita Sagittarii und Capricorni.

XV.

Laß/ (41) Scorpion/ dein Dräuen:
Du selber hast zu scheuen
Des (42) Schlangen-Mannes Füsse/
Des (43) Wolffes böse Bisse.

(41) Scorpius hat einen hellen Stern/ so Cor Scropii heiset. Auf ihn tritt (42) Ophiuchus, der die Schlange hält/ von welcher oben num. 32. geredet worden. Ist ein grosses Gestirn/ und erstreckt sich hinauff biß an den Herculem, mit wel-

welchem er wie num. 35. gesagt ist/ gleichsam stutzet. (43) Fera ist unter dem Scorpion, und nur halb über unsern Horizont.

XVI.

Der (44) Schütz wird auch nicht schertzen:
Er ziehlt dir nach dem Hertzen.
Nur sagt er / daß der (45) Bocke
Ihm gar zu nahe hocke.

(44) Sagittarius zielet nach dem Corde Scorpii. Seine Füsse bleiben unter unserm Horizont. (45) Capricornus stösset mit seinen Hörnern gleichsam auf den Rucken des Sagittarii.

XVII.

Bleib/ (46) Pegasus, im Fluge/
Sonst bricht (47) der Wasser-Kruge.
Wird dieser nicht befeuchten/
Kan (48) Fomahand nicht leuchten.

(46) Pegasus, (vor welchem auch Equuleus ist/ ein obscurum sidus, dessen ich nicht gedencken wollen) ist zu suchen vor der Andromeda, derer oben num. 5. gedacht/ auch theils nach den grossen quadrat daselbst beschrieben worden. Unter dessen Capite ist Urna Aquarii, auf welche Pegasus gleichsam mit dem Kopff herab zu fallen scheinet (47) Aquarius giesset sein Wasser aus besagter Urna herab auf den Piscem Austrinum. In dessen rictu ist der helle Stern (48) Fomahand.

XIIX.

Halt einen von den (49) Fischen:
Sonst wird er auch entwischen.

Andromedens verlangen
Hat einen schon gefangen.

(49) Einer von den Piscibus liegt unter dem Flügel des vorbesagten Pegasi: der ander aber unter den Armen Andromedæ, derer sidus oben num. 5. beschrieben ist.

XIX.

Die sich (50) dem Süd-Pol nähen/
Die niemahl ich gesehen/
Die kan ich auch nicht lieben/
Und laß sie unbeschrieben.

(50) Sidera versus Polum Antarcticum nobis inconspicua.



I. IN-



I.

INDEX AVCTORVM,

Qui vel citantur, vel notantur.

Matthæus

Vzin-

II.

INDEX DICTORVM SCRIPTVRÆ S.

AD TI-

III. INDEX RERVM.

A.

Ægyptis

natores

J. Mich.

Eleemo-

S. Irenæi

Corn.

N.

T.

V.

(o)

ERRATA ET ADDENDA.

Pag.	lin.	
6.	15.	tribuitur. Dreier. in Controv. cum Pontificiis. p. 145.
7.	14.	Gen. I. 16.
20.	30.	*ma* deleatur.
22.	23.	decedit
24.	15.	*ex* deleatur
29.	2.	Brompton
47.	ult.	Lucius
95. 112.	12. 21.	Deſpagne
168.	12.	quodam
392.	20.	Parckerus
	21.	Pithœus
487.	10.	jiciamus
554.	15.	Bajer in Comp. 976
588.	19.	violandas
601.	14.	ſufficiat
604.	26.	Parthenope
612.	13.	in quibus
632.	8.	quarumcunque
659.	21.	adde: ſed aliis *fulminatrix* videtur dicta fuiſſe ob velocitatem & ardorẽ pugnandi. Joh. Gottl. Möller in Obſervat. philol. ſeptenar. p. 48.
		Poſt 676. pone, ad numeros paginarũ deſignandum, 677. 678. 679. 680.
680.	10.	ejusque
701.	31.	exſilire
706.	11.	Lupara.
	23.	orphanatrophiis
708.	7.	Carentone
710.	16.	Inventis
720.	12.	ſeptimo
757.	18.	aſſervatur
760.	18.	tremulos
765.	25.	qui & ipſi
777.	2.	efficit,
784.	23.	Pro-Cancellariatũ
790.	2.	reſpondeant
796.		*DE SITV*
797.		*ASTRORVM COELESTIVM.*
	20.	cornibus
800.		*DE SITV ASTROR. COELESTIVM.*

Pro Bibliopego.

Icones IIX. duobus quaternionis foliis impreſſi, præfigendi ſunt paginæ 617.

Für den Buchbinder.

Die unterſchiedliche Kupferſtücke/ von I. biß IIX. auf einen halben Bogen gedruckt/ gehören vor das 617. Blat.